REVERENDI PATRIS THOMÆ DE MERCADO ORDINIS PRAEDICATORVM ARTIVM,

ac sacræ Theologiæ professoris in Logicam magnam Aristotelis commentarij, cum noua translatione textus ab eodem Auctore edita.



CVM PRIVILEGIO.



HISPALI.

EX OFFICINA FERDINANDI diaz, in via Serpentina. ANNO 1571.

Esta tassado en maravedis.

EPIGRAMMA IAC. DONII, VELISII, IN PHILOSOphia & vtroq; iure Baccalaurei in hanc Logicam Magnam.

NAuigat Ægæi qui stagna immensa profundi
Ioniumue citis nauibus æquor arat.
Quiq, premit syrtes, vasti discrimina ponti
Aut Maleæ tentat scindere puppe vias.
Et quà Scylla vorax, quàq; irrequieta Charybdis,
Mobileq; Euripus fertq;, refertq; fretum.
Siquem per tumidi metuenda pericula ponti
Inueniat, timidas qui regat ante vias.
Sternat & instabiles tranquillis flatibus vndas
Amoueatq; trucis cuncta pericla freti:
Quas illi grates? quæ præmia digna rependet?
Quæ meritis tantis munera digna feret?
Hoc logicæ immensum pelagus penetrabile nulli
Fluctibus, & vastis cautibus ante frequens:
Reddidit en cunctis Thomas tranabile, quotquot
Securi, has cupiant ire, redire vias.
Pro quibus officijs, & tanto munere post hac
Æternum memores nos decet esse sui.

Aliud eiusdem in opusculum.

MErcurium Circes, Ithaco ne philtra nocerent
Hæc illi quondam dona dedisse ferunt:
Moly vocant quicunq; ferat non artibus vllis,
Non magico Rhombo, carminibus ne cadet.
Huius odoriferi floris munuscula Thoma
Cum dederis, Meritum gloria quanta manet.
Perte præstigias coruuntq; tela docemur
Et Crocodilinos fallere posse dolos.
Iniectis Xerxes coniunxit molibus vndas,
Tu maior maius sis quòd adortus opus.

REVERENDI PATRIS THOMÆ de Mercado, ordinis prædicatorum artium, ac sacræ Theologiæ professoris, in Logicam magnam Aristotelis, Prologus.





INeunti mihi sæpe numero rationem, quid nam in causa foret, cur hæc dialectices facultas nunc hirta, aspera, & insipida, nunc lubrica, & caligine obsita efficeretur: quæ desę nec nimis in fulsa, nec adeò difficilis mihi vnquam visa est: duas huius vniuersi tædij rationes comperi. Alteram, quòd latini Autores ęgræco (quo idiomate Aristoteles eam tradidit) sermone rudi, & (vt ita dicam) inculti transtulerunt: alteram, quòd paucis ab hinc annis multas doctores inseruerint materias ab instituto penitus alienas, ad alias præstantiores facultates attinentes. Quòd Aristoteles græcis litteris scripserit, non parum facessat negocij, palam est aduertẽti, quam sepius quæ perspicue ac splendide in vno idiomate dicuntur, in aliud translata ipsum etiam captum effugiãt, & intellectum aspernẽtur, nusquã demũ ad lepores accedãt priores. Diffidẽtes linguæ diffidẽtibus cõstant dialectis. Quæ re quę græcis suauiter sonant, & facunde, clareq; effaris, isdem verbis latinitate donatis obscure, aut sane aspere profers, quemadmodũ in sacris litteris hebræis charateribus, & vocibus inscripta vsu euenire didiscimꝰ. Cuius architypos sonos esse lucidissimos omnibus innotescit: in latina tamẽ interpretatione ipsemet litterális sensus vix crebro enucleari potest, contextus vero semper. Iutulentus fluit. Qui natiuo in fonte scilicet Hæbreo vitreo plusquam, & christalino fulgore (vt illius idiomatis dissertissimi testãtur) conspicuus est. Quo circa & si Græce Aristoteli multum inesset splendoris, & dialecticam maxima cum luce tradidisset: latine persalebras & saxa currens non nichil puluetis (id est) illepiditatis & asperitatis exhaustura erat. Quamquã neminẽ latet, philosophum semper verborum obscuritatem affectasse, & sentẽtias sepissime (vt ipse ad Alexandrũ scribens fatetur) ita intercidisse, vt cãtabros nostros hac in re superaret. Qui ergo: ꝓprio idiomate adeò tortuose ac obscure loqui perpetuo voluptati duxit? quid miramur peregrino si sermone ita obtenebrescat. Vnde allucinãtur, qui Aristotelem in latinum aduerbum transferunt. Tum quòd (vt Seneca docet) interpræ tis est non eundem verborum numerũ sectari, sed quibus accommodatioribus potuerit verbis eamdem sententiam exprimere. Tum quòd si pro animi libito philosophus verborum inuolucris doctrinam obnubillare quasi conatus est, eã ipsam illustrem illi ac splendidam reddere, in animum inducere debuissent. In canonicis quidem scripturis æquissimum semper duxi, verbum verbo cõmutare: vt pote diuina proloquia, quorum sensus omnem intellectum mortalium antevertunt. Cuius idcirco verbis ratio exigit adeò astricti simus, vt ne latum vnguem (quod est in prouerbium) ab vocibus ipsis discedamus At philosophia humanum inuentũ est, à nostris mentibus profectum, cuius sensum nõ labefactatum aut lacerum, sed integrum lectionibus, ac cõcinnioribus verbis effari, & possumus & debemus. Quibus de causis peculiarem Aristotelis trãslationem edere constitui: que genuinum sensum, veras rerum notiones, propriam sententiarũ

interprætationem ſtilo limato,ac leni,verbis ſelectis,ac idoneis efferret. Quare ſiquæ addere,vel adimere viſus fuero,mathematica erũt exépla quædam in poſterioribus acceerſita:quæ non parum caliginis infundebant,cum ediuerſo valde plana,expeditaq; fore deberent, vt doctrinam enodarent, vt pote quæ eo excogitantur vt rem clariorem faciãt. Ariſtoteles velut de induſtria minus aſſueta, & maxime exquiſita reconditaq; inuehit. Vnde maior cõmenti pars poſteriorum in ipſa latini ſermonis litera, & ſerie emodulanda, & exemplis dilucidandis inſumitur. Quo labore dialecticos noſtris reſolutionibus deinceps leuo,ſat negotij arbitrans,ſatq; laboris,ipſam ſecum artem afferre , non opus eſſe,onus addatur oneri,ſudor ſudori. Nam vetus prouerbium eſt , portare aſellum pondus,non ſuperpondiũ.Itaq; hic textus eſt ipſius met Ariſtotelis,ac cæteri, e græco in latinũ verſus,&(vt ſeneca docet) interprætatus,tã patens , ac lucidus:quã reliqui obſcuri,ac inuoluti.Circa ſecundum ſane exoticas quæſtiones hic,vt cõ ſiſtentiam vniuerſalium,perſcrutando:partitionem entis rimando,prædicamentorum ſeparationem perquirendo, ſummopere aberratur:cum in eadem diſciplina plurimæ ſint,propriæq; quæſtiones, quibus rariſsime facimus ſatis. Nam vitimũ genus ſtultitiæ eſt,proprias nõ diſſoluere,& alienas võtilare. Præſertim quòd vniuerſalia , & prædicamenta metaphyſica quinto,& ſeptimo vnà nobiſcum amplectitur. Vnde non debet dialecticis ad viuũ reſecari,ſed multa circa illa metaphyſico enucleanda deferri præcipue materia non pellucida certe , vel perſpicua,ſed captu difficilima etiam, his qui in philoſophia callum obduxerũt, ſcilicet entis analogia,& eius à prædicamentis diſiunctio , ac identitas. Quam obrem error eſt grauiſsimus,has diſceptationes hic interponere , quas proinde ego ſilentio inuolui defæcatam harum rerum veritatem,ſicubi huius artis opus fuit præſupponẽs. Quemadmodum Ariſtotelis factitat,quoties vel in Metaphyſica phyſico vtitur principio, vel contra in Phyſica metaphiſicam vſurpat propoſitionem.Igitur cum adea ſolum modo agitãda animum adijcerem: quæ ad noſtram facultatem attinerent:prodijt,hæc dialectica partim extenſior cæteris,quæ hactenus vulgo circunferuntur,partim adeò arctior, vt nullaſit ad alias collatio. Annuat omnipotens exoptatũ ſcopũ attingamus , quem tam ſtrenuè,tã anxie conquiſiuimus.

REVERENDI PATRIS THOMÆ de Mercado ordinis predicatorum artium ac sacræ Theologiæ professoris Commentarij in Logicam magnam.

QVAESTIO PROEMIALIS DIALECTICAE.

Vtrùm obiectum dialecticæ sit ens rationis.

A PARTE NEGATIua arguitur, Logica agit de rerum speciebus ac generibus, de prædicabilibus scilicet, ac prædicamentis: hæc autem sunt entia realia: ergo, minor probatur. Species & genera prædicātur inquid, sed ens rationis de ente reali nō prædicatur inquid: ergo sunt entia realia. Confirmatur. Hæc ars tractat de modo sciendi, is autem est ens reale: ergo. Minor patet, modus rei & res cuius est modus, sunt eiusdem generis (cum plerunq; realiter nō distinguantur sicut ambulare, & modus ambulandi) scientia autem & scire est ens reale: ergo & modus. Secundo obiectum dialecticæ est scibile, cum ipsa sit scientia: ens autem rationis non est scibile, ergo nec obiectum. Minor probatur Obiectum est causa habitus, quoniā ab obiecto & potentia producitur, ens autem rationis non potest causa entis realis existere, & per cōsequēs nec habitus vt pote ens reale, ergo non potest esse obiectum. Confirmatur. Quod non est verum (vt docet Arist.) non scitur, ens rationis non est verum, ergo non scitur. Minor probatur, verum diuiditur per decem prædicamenta, quæ sunt tantum coordinationes entium realium. Cōfirmatur secundo. Si ens rationis obiectum est, vtrum omne, an aliquod. Primum non, de quo nam grammatica tunc, & reliquæ rationales agerēt. In singulari nullum genus nulla species est signabilis, quia nec negatio, nec priuatio, nec relatio.

¶ In contrariū est sententia Arist. s. Tho. & commentatoris in quarto Metaphi. tex. 5. Dicentium, primum Phylosophum & logicum laborare circa omne ens: priorem circa omne ens reale, posteriorem circa ens rationis.

¶ Ex latebrosis summularum sinubus emergentes: vbi multum pelagus velis complicatis nauigauimus: ad Logicam tādem velut ad portum iam satis optatum, peruēnimus. Quo licet ea exerto stilo protendā, quæ propria materia sunt: ab his tamen Porphirium & Aristotelem imitatus, manum abstinebo, quæ viscera sunt Metaphysicæ, nec dum limites contingunt. Tāto enim circunspecto iudicio has disciplinas semper ipsarū tractatores discernāt, oportet: quāto codē tramite, eodemq; alueo ipsæ confluere videntur. De omnibus dialecticus & primus phūs, & si diuersa ratione agunt. Dialecticus perpendit quid cūcta per intellectum aut sint, aut habeant (multa enim rebus intellectus tribuit vt animali quod sit genus, homini vt species, predicatū, subiectum vel quid simile) alius vero quid eisdem natura confert. Quod est sensus textus citati in argumēto sed contra. Vnde turbatur ordo, quando vel hic de naturis; consistentiaq; rerum late, vel illic de intentionibus disputatur. Tāmetsi (quod ingenue fateor) compellimur nonnunquam rerum naturalia vtcunq; tractare, ob id quod cū de intentionibus non quomodolibet, sed in concreto tractemus, non possumus subiecta non aliquādo concernere. Id tamē merito iam diu vitio datur, quod plusquam necessitas postulat, Methaphysicæ terminos violamus. Quod, velut acti pœnitentes nunc corrigere cupimus. Quo circa multas quæstiones in prædicabilibus & prædicamentis prætermittimus ibidem ab alijs discusas, ventilatasq;. Eius numeri erunt, quas præfati phylosophi dialecticæ progenitores relinquendas ab se indicarunt, & ab omnibus relinqui impēdio conducere admonuerunt.

¶ At inter multa quæ commode hac proemiali quæstione prælibari poterant, quatuor breuissime disserenda seleximus, nempe quid sit dialectica: quid eius obiectum, quod officium, & munus

ac deniq; quis finis. Hæc enim primo & ambigua, & si vere definiantur, plurimum vtilia videntur. Reliqua vero, scilicet quis auctor eius habeatur, quanta eiusdem necessitas, & qua ipsius studio comparetur vtilitas, quis ordo in traditione tenendus, quæ cuncta solent etiam in exordio edisseri, adeo sunt perspicua, vt obiter atq; promiscue priorum expositione quantum refert, apparitura crediderim.

¶ *QVAESTIO est iamdudum per viros doctos in vtranq; partem arbitrata: an dialectica sit scientia. Cuius partem negatiuam qui defendunt, his maxime rationibus vtuntur, quas in exordio iecimus. Qui & si non in celebres, per pauci tamen fuere. Cuius causa ideo indecens ratus sum ab communi sapiẽtium confessione vel vnguẽ discedere. Quo circa sit prima huius quæstionis conclusio. Dialectica est scientia. Probatur. Scientia est quæ per demonstrationem proprietates de subiecto concludit, quod dialectica præstat: ergo. Maioris sensus est, eò disciplinam quam piam esse scientiam, quatenus conclusiones per causas proprias ostendit. Scire enim est rem per causam cognoscere. Vt cõtueri eclipsim obtutibus non est scire: at cognoscere solis eclipsim ex lunæ interpositione inter nos & ipsum: & Lunæ eclipsim interpositione terræ inter ipsam & Phœbum fieri: id scientia est: quoniam illa horum effectuum causæ sunt. Quo præsupposito probatur minor. Dialecticus ostendit, eò aliquam naturam esse prædicabilem, quia est vniuersalis (quod est causa de per se illius) & quæ etiam principia & causæ syllogismo existãt (vt 9. libro fecimus) sicq; in reliquis partibus (vt sigillatim experiemur) ergo si demostrat, scientia est. Secundo omnes ingenue fatentur dialecticã exactã nobis notitiã modi sciẽdi eiusq; specierũ difinitionis, diuisionis & argumentationis (multipliciter enim postmodum vna quæq; secatur) subministrare: demonstratio autem vna species (de qua in posterioribus) & syllogismus topicus (de quo in topicis) habent aliquot proprietates, tũ cognitu necessarias quum necessario per suas causas, principiaq; ostẽsibiles: ergo vel hæ perpetuo ignorantur, vel in dialectica certe expandũtur, ac per consequens est scientia. Prob. minor. Demonstratio habet hanc proprietatem, ꝙ facit scire, producitq; scientiã: quod est scitu admodũ necessariũ. Nisi enim id sciamus, nemo sese scire sciet: quod multum scientiæ repugnat, & valde absurdũ est. Quo pacto nanq; potest quisq;, aut solet nosse se scire, nisi quia omnino certus est demostrationẽ efficere sciẽtiã & se demostrationẽ assequtum: ergo per necessariũ est firmissime hæc demostrationis proprietas cognoscatur. Cognosci vero firmiter id nequit nisi demonstratione, cum demonstrationis proprietas id sit, non natura nec essẽtia. Et (vt post modum videbimus) modus certus cognoscendi proprietates est solũ demonstratio: ergo dialectica infert suas cõclusiones demonstratiue, ac proinde est scientia, vnde s. Tho. in. 4 Metha. dialectica (inquit) considerat de intẽtionibus ostendens quo pacto eis in alijs scientijs vtamur & hoc demõstratiue facit & secũdũ hoc est sciẽtia. Tertio ad hominẽ, si modus & res nõ distinguntur genere, & dialectica modus est phylosophiæ, sequitur sub sciẽtia cõtineri. Quod præclara eius existimatio (quam apud omnes semper obtinuit) patentissime testatur. Igitur deinceps dialectica sine vlla hæsitatione scientia habeatur.*

¶ *AT hoc constituto celebris inter modernos disputatio est, quid eius obiectum. Sed de obiecto necesse est aliqua prænosse: ne multiplex eius appellatio æquiuocationẽ ingerat. Nam cũ disciplinæ obiectũ inquiritur: hæc tria obiectũ, materia subiectũ, pro eodẽ plerunq; tametsi non eadẽ, sed varia ratione capiuntur. Est enim obiecti cũ sciẽtia velut indissolubilis societas & vndequaq; sphericа connexio: ac proinde secũdũ multiplicẽ vtriusq; cõplexũ, multigena illa denominatio consurgit. Primo res scibilis cognoscitur ab sciẽtia (habitus enim tendit in illã velut obtutus in lucẽ, & quælibet potẽtia in suum obiectũ) ideo eius obiectũ nuncupatur. Deinde sciẽtia rem intellectam disponit, primo difiniẽdo, mox diuidendo, proprietates demum ordinando, simul & ostẽdẽdo. Sciẽtia enim non est otiosa sed offitiosa. Cui negociũ perpetuũ est circa suũ obiectũ multa tractare. Et quãquã intellectus actio sit cognitio, eoq; hæc cõtinua obiecti versatio tendat vt perfecte cognoscatur: nihilominus quia obiectũ definit, confert, præponit, ex illoq; deducit, diuidit, & multifarie versat, materia sciẽtiæ obiectũ iure nũcupatur. Quoniã in quouis negocio id materia nominari solet, quod tractatur. Quare obiectũ sensus apprehendentis tãtũ obiectũ, nõ vocatur etiã materia. Nimirũ quod similes potentiæ circa suũ obiectũ*

solum

solũ negocij est illud simpliciter percipere: quod prior nomenclatura explicat. Ad hæc obiectum habet prædicata quibus substernitur: ob quod subiectũ pariter appellatur. Quæritur ergo quid obiectum, materia & subiectum dialecticæ. Cuius non vniformis, sed differens omnino sentẽtia doctorũ est. Primo nominales arbitrantur obiectum ly. argumentatio, vel ly modus sciendi, vel propositiones materialiter sumptas: quod certe non videtur uero simile. Primo obiectum est de quo scientia tractat. Dialectica autem non agit de his nominibus, sed de rebus significatis, quid enim id nomen præter significationem habet? quod disputari possit. At dialectica significationẽ ex grammatica præsupponit: naturam rei significatæ serutatur. Res ergo importatæ nõ voces importantes obiecta sunt. Præterea scientia de obiecto proprietates ostendat: at istud nomen aut proprietates non habet, vel quas dialectica demonstrat, huic nomini non conueniũt. s. q generet scientiam, vel efficiat opinionem. Et cõfirmatur quare ars artium, & scientia scientiarũ plenis cunctorum buccis celebratur: nisi quia modũ docet, & methodum acquirendi scientias subministrat. Methodus vero nullo modo ist hæc nomina sunt. Igitur cũ obiectum dialecticæ, aut cuiusuis alterius disciplinæ inuestigatur, ad nomina obiecti nullatenus recurrendum est. Siquidẽ nec in grammatica, cuius institutum est de vocibus agere, de nominibus materiæ, sed de ipsa materia agitur. Quomodo s. recte loquamur & scribamus. Et poesis non ly carmen obiectum est: sed ipsa carminum compositio, & ita alijs in artibus. Quod est euidentius, quàm vt clariori ostensione indigeat.

¶PRO NOTITIA ergo veritatis notato dupliciter obiectũ considerari, materialiter & formaliter. Primo modo est res ipsa, quæ obijcitur: secũdo modo ratio, sub qua tractatur. Distinctio est vniuersalis & in habitibus, & in potentijs. Vt obiectum materiale visus est coloratum: formale lucidum. Materiale intellectus ens: formale verum. Materiale volũtatis bonum, formale appetibile. Materiale physicæ res naturalis: formale mobile. Materiale theologiæ deus: formale veritas prima. Dico ergo incongruum esse satis multo discursu in obiecti materialis inquisitione, quauis in arte vti. Quippe quod de se euidens & in ea euidentius ac in foribus sese obijciẽs. Quid enim viro quauis in disciplina versato notius, quã quid ars doceat. Quod enim quisq; didicit: hoc illa, & nihil aliud docet. Quod autem docet: hoc eius obiectum incunctanter habendum est. Porro de ratione formali (vt pote contẽplatio subtilior) merito pluribus controuertitur. Quo circa sit 2. conclu. Obiectũ dialecticæ est modus sciẽdi. s. difinitio, diuisio & argumentatio. Quæ ideo prob. Quòd hoc ipsum perfecte dialectica & nihil amplius docet. Cõfirmatur, Dialectica est sciẽtia communis: quia media ad omnes scientias comparandas subministrat. Vnde Arist. vocat eam modum omnium scientiarum. Modus autẽ est difinitio: ergo modus est eius obiectum. De hoc nulla est inter reales disceptatio. Albertus putat obiectum esse argumentationem. Et potest in eius patrocinium argui: quòd modus sciendi non vniuoce, sed analogice his tribus conuenit: quia definitio & diuisio non perinde scire faciunt, ac argumentatio. Ideo vt aliquod vniuocum pro obiecto constituamus, potest argumentatio cõstitui. At si hæc ratio valet, haud argumentatio obiectũ, sed demõstratio erit. Sed est notandũ duplex esse obiectum, adæquatum scilicet & principale: vt in metaphysica adæquatum est ens, principale substantia. Primum est quod in se omnia cõtinet siue in recto, siue in obliquo, quæ in illa disciplina tractantur. Secundarium est quod inter primas partes obiecti est præstantius. Potest ergo dici obiectum adæquatũ modus sciendi, & principale argumẽtatio, vt Albertus vult, hoc quantum ad rem quæ est obiectum.

¶SED VT de ratione formali cõstet disceptatur vtrum modus sciendi ens reale sit, vel rationis primũ cũ rationibus in anteriori parte quæstionis formatis suadet, q modus sciendi est operatio intellectus. Vnde sicut nos modum sciendi obiectũ constituimus, aliqui nõ re, sed voce differẽtes (aiũt) dialecticã circa triplicẽ operationẽ intellectus versari. S. simplicium apprehẽsionem cõpositionem & ratiotinacionẽ. Quæ omnes cũ sint operationes intellectus reales: entia realia sunt. Et confirmatur auctoritate s. Tho. dicentis in prologo posteriorum dialecticã per homines, vt intellectũ ad notitiã veritatis capiẽdã instrueret, ex cogitatã esse. Vt cũ scilicet in suis discursibus, ne quãdoq; impingeret, semper dirigeret: ergo modus sciendi est actio intellectus realis. Pro huius difficultatis cognitione aduertito, ita in

 mente

mente, ac in voce contingere. Quinimo voce imitari ea, quæ in anima sunt: vt pote à quibus originē traxerunt. Bifariè enim loquimur. s. intra lingua quiescente, & lectulo iacentes versamur mēte negotia: alio modo hominibus voce, qui mentē intueri nostram, aut eam nisi vocibus attingere, nō queunt. Et quemadmodum prior est cognitio in homine deinde locutio, ita arbitrandū est quæ in voce consistunt. i. ipsas voces, esse eorū, quæ in mente verba existunt signa. Nam locutio mētis est naturalis, nullo enim instigāte magistro sibi, homines intelligunt atq; cognoscunt: locutio vero exterior artificiosa. Quam necesse est cōsuetudine moreq; discamus. Ars autem imitatur naturā in quantū potest. Vnde locutio corporea imitatur mentis intellectionem: quæ est naturalis loquella. Igitur vt ad fieri potest (rationi consonat) vt per ea, quæ in voce offendimus, ea quæ sunt abdita & occulta cognoscamus. Vt pote illis valde similia. Tres ergo operationes intellectus assignantur. Prima rerum singularium cognitio: vt cognoscere Petrum, albedinem, saporem. Secūda harum cognitionum compositio, coniunctio. s. vel diuisio rerum simplicium: vt coniungere Petro albedinem, dicendo Petrus est albus: aut negando Petrus non est Ethiops. Tertia ratiocinatio. Quibus similes in voce contingunt. Primo enim sigillatim simplicibus terminis res significamus vt homo, Leo, animal. Nam quod est hanc vocem Leo illum significare: est intellectum eundem cognoscere. Et sicut hæc significatio potest simplicium significatio, seu representatio nūcupari: ita prima operatio simpliciū cognitio vocatur. Mox in voce ex simplicibus dictionibus propositionē cōponimus, vt equus est albus: ita ex duabus cognitionibus. s. equi, & albi intellectus apud se orationē facit dicens intra equus est albus. Quod vocatur compositio, vel si negatiua fuerit, diuisio. Ex quibus vltimo discursum hac forma conflamus. Omne albū est disgregatiuum, equus est albus: ergo equus est disgregatiuus. Sed quæris quare hactenus conceptuū, sicut & vocū nō meminimus? Nimirum quod voces sunt nobis notiores, etiā si illi interiores: & à notioribus nobis sēper inchoādū est. Deinde quòd omnino superfluit mētalium seorsum meminisse. Cū docēdo quomodo hæc operationes fiant in voce, doceatur naturalissime quæ fiāt in mēte & quomodo procedatur. V. g. dicimus propositionem veram, quæ rē esse ac est, significat: non est opus seorsum inconceptibus id exponi, cū consecutio sit tam naturalis, vt antequam exēplum vocale cognoscas, & ipsum & difinitionē veritatis fabrices in mēte. Et si constat syllogismus ex tribus & terminis & propositionibus nonne hoc quam primum in voce exercere audio, intus protinus imitor? non ergo opus est seorsū hominē quomodo arguatur in mente doceri. Adhæc cū productio conceptuū, eorūq; significatio simul & intellectus locutio naturalis sit, superuacuè in dialectica de his formaliter & directe homo operose instruitur: sed sicut materia rite administrata probe mulier naturæ generationis ignara concipit, & stomachus naturali virtute illatum cibū salubriter diggerit: ita vt animus recte concipiat, sufficit non cōceptiones sed materiā conceptionū edoceri. Id enim est materiā subministrari. Quod Aristoteles sapiēter aduertens, dum mentē ad intelligendū in logica instrueret, non aliter quā singularū specierū naturas in prædicamētis ipsi differendo eam illustrauit. Et nec voto, nec spe sua frustratus est: cū omnes ingenue cognoscāt optime, & logicam traddidisse & intellectum instruxisse: dū rerum naturas (quas intellecturus, & circa quas ratiocinaturus erat) ei propalauit, etiā si conceptuum nullā hic doctrinam interseruerit. Barbare ergo nedū præpostere vel natura terminorū, orationū & discursus vocaliū cognita in eandem exponēdam in mentalibus immoratur, aut ab mentalibus incipitur: quod iuniores interpretes Petri Hispani facere video: in summularū exordio, omnē fere conceptuū, & notitiarū sermonē coacerbantes: quo solummodo perpetuū disciplinæ odiū inuehant: teneros philosophos doctrinæ profunditate comminuentes vt feruens per discendi ipsorū desiderium materiæ obscuritate penitus extinguāt. Cū è cōtra omni ingenio inuestigaturi essēt quemadmodū à notioribus inchoarent & exordiū omni pōdere exonerarent. Quod nos illo in loco diligēter, vtiliterq; pstitimus: omnē cōceptuū notitiarūq; sermonē maximo oportunoq; silētio cōtexentes: & cū in opusculū argumētorū frugifera doctrinarū vbertate lustrātes. Quē mētaliū terminorū tractatum cū ab proprio studio dialectici feriauerint, non inauiter inuisent.

¶ His præiactis vt oratio redeat, vnde digressi sumus, sit 3. conclu. Operationes hæ intellectus nō sunt obiectū logicæ. Probatur primo. Nullibi earum

rum hic natura docetur, sed in libris de anima: vnde dudum præfata depromsimus: ergo. Confirmatur. Eiusdem est disciplinæ agere de potentia & operationibus eius. sed logicus nõ tractat de intellectu. ergo nec de eius actibus. Minor constat. Altioris enim facultatis est de huiusce virtutibus disserere. Deinde modus sciendi est obiectũ (vt patuit) sed hæ operationes nõ sunt modus ipse: ergo nõ sunt obiectũ. Minor probatur. Hæ operationes sunt nobis naturales: quæ si modus forent, à natura idonei philosophiæ auditores essemus. Cõfirmatur. Logica (vt dicit Auicena) est de secundis intentionibus adiunctis primis: hæ vero actiones non sunt intentiones? quibus enim primis illæ copulantur, cum tãtum intellectui adhæreant. Potius sunt ipsæ primæ: quibus nostra secũdæ iunguntur. Siquidem de prædicato, & subiecto & argumentatione agitur: quæ reperiuntur in conceptibus, in voce, & in scripturis. Vnde noua cõfirmatio colligitur. Ita se habet operatio intellectus ad secundam intentionem, sicut vox & scriptura: sed hæc non sunt ipsæ secundæ intentiones, sed subiecta potius earũ: ergo & intellectus conceptus. Vbi considerandum est duplicem esse materiã. Alia ex qua, alia circa quã. V. g. lignũ est ex qua sculptor formã atq; imaginẽ educit: sculptile vero, circa quam ars ipsa versatur. Ita operationes non sunt materia circa quã (idest) ipsum met obiectum dialecticæ, sed materia in qua forma dialecticalis reperitur, vel quod idẽ est, eius obiectum. Vt quemadmodum lapides ligna, & reliqua sunt materia ex quibus domum architector construit: domus vero constructa obiectum artis est: ita operationes hæ sunt, in quibus nos & nostras intentiones offendimus, & ex quibus modũ sciendi conflamus. s. definitionẽ diuisionẽ & argumentationem. Et ita est 4. concl. Modus sciẽdi quatenus obiectũ est dialecticæ, formaliter est ens rationis: & per cõsequẽs obiectũ logicæ est ens rationis quod S. Tho. affirmat in 4. meta. dicens duplex est ens. s. reale & rationis & huiusmodi ens rationis est proprie subiectũ logicæ. Prob. omnia nomina nobis propria, vt definitio, argumẽtatio, maior extremitas, minor, antecedẽs, cõclusio sunt rei artificialis & cõnotatiuæ: ergo & significata sunt artificialia. Sed eorũ formã nullus assignabit realẽ sed rationis: ergo formaliter obiectũ dialecticæ ens rationis est. Quid enim in definitione formale est, nisi vt genus & differẽtia coniungantur. Quid in sillogismo, nisi propositionũ & terminorũ dispositio, quæ vniones, & cõiunctiones sunt entia rationis. Iã si genus sumas & prædicabilia, quid? nisi relationes rationis forma illorũ est. Igitur si in cunctis ad logicã pertinẽtibus formale ens rationis est: obiectũ pariter ens rationis erit. Cõfirmatur huiusmodi entia sunt scitu plurimũ vtilia. Haud enim existimãdũ est absq; magna vtilitate, imo & necessitate philosophi grauissimi tantũ laboris ac ingenij in rerũ & entium huiusmodi inuẽtionem atq; tractatũ impẽdissent. Ergo cõcedamus oportet aliquot disciplinas earũ notitiã efficere. Quæ rectius nisi rationales nullæ sunt iudicandæ. Ideo enim rationales peculiari iure nuncupatæ sunt: quòd de rationis entibus agant. Quo circa ita solent eruditiores primo scientiã partiri. Nẽpe in practicã & speculatiuã. Practica est, cuius finis est aliquod externũ opus, vt architectura, sutoria, argentaria. Speculatiua est cuius finis, atq; scopus veritatis cognitio est. Quæ rursus in realem, & rationalẽ secatur, realis est quæ de rebus realibus tractat, siue de substantijs (vt physica et metaphysica) siue de accidentibus vt mathematicæ, & morales, quæ in naturã virtutũ, & vitiorũ, & similiũ qualitatũ expendẽdam immorantur. Rationalis vero entia rationis versat. quæ in operibus rationis sunt. Vbi nam enim aptius entia rationis quàm in actibus rationis colocabimus? Quæ post modũ in quatuor species subdiuidũtur, in grãmaticã. s. & poësim, Rhetoricã, Dialecticã. Vnde colliges non omne ens rationis subiectũ esse dialecticæ. Alias reliquæ superfluerent disciplinæ: quæ tñ apprimè requisitæ sũt. Quæris ergo quod? Aduerte dupliciter ens rationis cõsiderari: abstractè. s. vt specieitas, vniuersalitas, cæcitas, tenebræ (priuationes enim et negationes, sicut & relationes, entia rationis sunt) & incõcreto, vt sillogismus, propositio, genus. Hoc aũt modo scilicet in cõcreto nõ in abstracto obiectũ sunt dialecticæ, & cuiuslibet sciẽtiæ rationalis. Nã inquisitio eorum in abstracto nullius fere vtilitatis est metaphysicũ dũtaxat concernẽs. Grãmaticorum enim haud refert nosse, quid vocis significatio: quod omnes prorsus ignorãt: sed quid vox significatiua. Nec ad logicã quid genereitas, sed quid genus Vnde errãt plurimũ, qui omnẽ hic diligentiã in quidditatẽ hariu qualitatũ discutiẽdã adhibẽt. Inconcreto ergo illud ens rationis est obiectũ

*dialectica:quod est modus sciendi.s.difinitio,diui
sio & argumētatio:quod vero in recta locutione
cōsistit:grāmatica:q in figurata poesis:q demū
in facūda atq; elegāti:Rhetorica.Quod si fusius
hanc rē nosse cupis,aduerte:q ens rationis est du
plex,aliud quod naturaliter rerū naturas conse
quitur(supposito intelligātur)aliud quod remex
voluntate instituentis cōsequitur.V.g.ex quo ho
mo intelligitur subiectus aīali (etiā si nollimus)
sequitur hominē speciem esse aīal genus.Ex quo
affirmatur color de albedine:est albedo subiectū
& color pdicatū.Et sic de maiori & minore ex-
tremitate & reliquis proprietatibus dialecticali
bus.Necessario enim tales operationes intellectus
sequūtur.De hoc ente rationis tractat dialecticus:
& vniuersum nomine modi sciendi includitur.
Aliud ens consequitur rē,vel vocē ex voluntate
solū humana omni exclusa necessitate.Vt ex quo
ly equus intelligitur:nō restabat vllo pacto signi
ficatiua,nisi voluntas significationē adidisset.De
similibus entibus tractat grāmatica,poesis atq;
rhetorica.Vnde quia eorum obiecta volūtate cō
stant,quæ apud omnes est varia:nō est eadē grā
matica,nō eadē poesia,non eadē facundia apud
omnes.Latini docent adiectiuū & substantiuum
cōuenire in tribus,suppositū & verbū.in duobus:
aliæ nationes his conuenientijs non vtuntur, aut
paucioribus, aut pluribus.Quodā idioma habet
numeros & casus,aliud nec numeros,nec casus,
aliud diuersos à nostris,& sic in cæteris discipli
nis exēplifica.Dialectica vero eadē est apud om-
nes.At circa modū loquendi notato hanc propo
sitionē ens rationis est obiectum dialecticæ sano
modo intellectā esse veram,stricte vero minime
quia prædicatū appellat supra subiectū, vt sup-
ponat simpliciter pro ente rationis , ac pro inde
pro omni ente tali:quod in similibus patet.Nam
cū physica de omni ente naturali disputet,nō di-
cimus ens reale est obiectū physicæ:quoniam nō
de omni ente reali disputat:sed cōtractim ens mo
bile est obiectū physicæ.Nec in arithmetica dici
mus quantitas est obiectū,etiam si aliqua quan
titas:sed singulariter quantitas discreta.Nimirū
quòd similes propositiones sensus & vniuersales
& formales faciāt.Vnde quādo de re controuer
sia est,nō dicimus ens rationis obiectū:sed nec se
cunda intētio,quādoquidē nec de omni ente hic,
nec de omni secūda intētione discutitur Dicemus
aūt aptissime modus sciendi est obiectū logicæ,
vel obiectū est ens rationis. Extra hos vero scru
pulos vere ac sane dicitur ens rationis est obie-
ctū dialecticæ sicud è contra obiectū dialecticæ
est ens rationis.Ad argumētum ergo principale
dubitationis fateor nos de operibus intellectus fa
cere quatenus secūdæ intentiones in his reperiun
tur:ita vt illa sint materia.hoc aūt forma. Vnde
arguere est quidē actio realis:argumentum vero
ens rationis in ente reali positū.Etenim sicut om
nes artes materiā à natura mutuatā accipiunt,
& formā super inducūt:à qua & obiectum,&
ars denominatur:ita dialectica operationes ra-
tionis sumit,quibus suas intētiones fundet.Hacte
nus de quidditate,& obiecto dialecticæ nobis di
ctum sit.*

¶ DICAMVS *super est quid eius munus, quid
hominibus cōferat. Nonulli arbitrantur officiū
esse dialecticæ,in se & in alijs artibus probabili
ter disputare.Cui patrocinari Aristoteles uidetur
dicens duplicē esse sillogismū,dialecticum.s. &
demōstratiuū.Priorē appellat probabilē.Et in 4.
meta.tex.5.sentit dialectico & primo philosopho
cōmune esse de omnibus disputare:sed ille proba
biliter,is aūt demonstratiue.Hoc ergo opus est dia
lecticæ.Pro huius quæstionis notitia aduerte dis-
crimē inter logicam & alias scīētias physicas.
Quod hæ tantū habent cognoscere & iudicare ob
iectum: vt metaphysica cognoscit ens & partes
entis:physica ens mobile,ac genera illius:itidem
& Ethica.Ratio est.quia sunt talia obiecta quòd
vel à nobis effici nō possūt,sicut entia naturalia:
vel si factibilia sunt,plus ad sui efficiētiā exigūt
quam vt cognoscātur,vt moralia.Postulat enim
virtutes præter sui notitiam,vt exerceātur, re
ctitudinē volūtatis,et intellectus prudentiā,quas
morales scientiæ non præstant,nec scīī adferut.
At dialectica & reliquæ rationales tractant de
obiectis:quæ vt cognoscuntur, protinus actu ex
hibemus.Quid enim facilius quā recta locutiōe
cognita recte loqui? & cognito syllogismo illico
illū cōficere.Hac de causa specialiter de dialecti-
ca quæritur quid præstet:quod de cæteris reali-
bus non inuestigatur.Vnde nō est pro eius officio
assignādū,quod iudicat recte de obiecto, aut per
fecte eius naturā docet.Id enim omnes discipli-
næ quātumuis naturales habēt.potius quærimus
quid ea doctrina & iudicio mediātibus nos ope
re præstemus.Circa quod celebris dialecticæ par
titio apud doctores s.Tho.4.metha.le.4.habetur*

indocentem & vtentē: docens appellatur quatenus subiectum naturam. s. sillogismi, diuisionis & definitionis tradit: vtens vero: vt nos eius obiecto, & in se ipsa & in alijs definiendo & diuidēdo, & argumentando vtimur. Quatenus docet ergo præstat dialectica quod cæteræ scientiæ, notitiā. s. exactam & perfectum sui obiecti iudiciū. At mistim vt docēs, & vtēs, primo dico eius munus esse omnia opera philosophiæ construere atq; fabricare: dialecticā scilicet esse qua est omnia fieri. Siue discas quid, siue doceas, & ad discēdū diuina pariter & humana, atq; ad docendū omnino iuuare. Vt pote vtriusq; muneris doctrinæ s. & disciplinæ methodum præscribens. Quod euidenter prob. Omnes operationes intellectus præsertim speculatiui sunt tres: dialectica aūt est facultas, qua omnes hæ recte fiant: quippe eius materia, in qua ipsius subiectū est. Vnde docet quomodo sine herrore fiant. S. vt quidditatem vnius cuiusq; apprehendas: quid cum quo componas: quid ex quo inferas. Confirmatur dialectica est intellectū ne labatur, firmare: ne à recto deuiet, dirigere. Intellectus autē (vt dicit Arist.) est, quo est omnia fieri. Ergo si dialectica forma intellectus est: profecto ea omnia est recte fieri. Itaq; intellectus est, quo cuncta fiunt: dialectica vero qua recte cuncta fiant. Nempe vt in omni opere intellectus speculatiui, rectitudo & bonitas ex dialectica proueniat: & in omni sapientiæ negotio (quæ sunt tñ grauiora) semper te ipsum sapiēter geras. Ac demū sicut inter morales virtutes eò prudētia præstantior resplendet, quod media ad cæterarū fines assequēdos inuenit, cōsulit, & præcipit: ita inter virtutes intellectuales prudētia intellectus speculatiui dialectica est. Quippe quæ media & modū ministrat quibus cæteræ cōparētur, & quo & quādo vnoquoq; sit vtēdū, edocet. Qua de re S. Tho. loquens in prologo posteriorū, ad vniuersa (inquit) quæ humanā vitā instituūt, siue ad vtilia efficienda corporis, in quibus ingenia mæchanica laborāt: siue ad intellectus bona cōparanda artes humanitus inuēta sunt, quæ ist hec ipsæ ignaros doceant. Vt ad suadendū honestum, & dissuadendum turpe (res in vita hominū impēdio necessaria) rhetorica per antiquos indagata est: ad recte loquendum grāmatica. Cū vero animæ rationalis operationes & si à natura facere possemus, dirigere tñ, & rectificare nesciamus (quod est omniū rerum præstantissimū) cōsequens fuit aliqua ars magno studio excogitaretur, quæ nos in ipso progressu mētis gubernaret: ne in re grauissima deciperemur. Quo in loco aptissimè Plutarchi doctrina quadrat, tanto scilicet satius, ac sublimius fore, imperatorē virtute ac legibus, quàm ciues singulos instruere, quāto commodius reipublicæ obsequiū præstat qui fontē communem infectum sanat, quàm qui riuum inde fluentem salubrem reddit. Ita intellectus cum omnium operationum fons & origo sit, dialectica vero eius instructio generalis, ac lex directiua: pape quantum hominibus præstat qui recte dialecticam elucidat. Quantū boni lucratur, qui eam perfecte assequitur. Vt iustus enim Imperator ac Princeps prudentissimus inter ciues, inter sapientes fulgebit. Qui ea caruerit, aut nō probe calluerit, veritatē amplecti, etiam si in eā impegerit, ignorabit. Quoties discurrere velit, et necesse est frequenter discurrat: toties cæcutiet hallucinabitur, creberrime corruet. Secūdo dico dialecticā esse omnium scientiarum formā. Vniuersæ enim materiam præbēnt: quam illa informet, disponat & acinet. Nam quæ alia in eis forma est, quam prædicata habere debitis applicata subiectis: definitiones formatas definitis proprijs coniungi: principia applicari conclusionibus. Sine qua forma inuisæ sunt profecto ac deformes ipsæmet physicæ veritates velut auri massa, ex qua nō dum conflatur vas. Cæteræ sciētiæ sunt vt lapides, ligna, claui: dialectica vero præstat, quod architectus domui, sutor calceis. s. decorem ac figurā. Et quemadmodum domus cōstructa multo pluris habetur sua in acerbo congesta materia: ita aliarum disciplinarū obiecta cum præceptis dialecticalibus & regulis disponūtur. Tertio dico propriū huius artis quoq; inuenire in omnibus disciplinis, de omnibus probabiliter disputare. In hoc tñ mihi nonnulli vehementer errasse videntur: quòd id dumtaxat eius officium designarunt: quod nunquam Arist. opinatur. Haud enim minus est dialecticæ quoties philosophi demonstrant, formam demonstrationis præbere, & in cunctis siue definientibus siue arguentibus opem conferre: quam probabiles rationes formare. Tametsi id discriminis inter est: ꝙ cum quisq; demonstrat, demonstrationis materia eius artis est qua demonstrator peritus est: forma dūtaxat ex dialectica mutuata. At quando sillogismi fiunt dialectici, materia simul &

forma communiter est dialectica. De forma nemini dubium est: sed de materia aduertito, considerare ex proprio obiecto dialecticam quasdam in rebus proprietates vniuersales, per quas multa de rebus probare potest etiam priusquam in altiores partes philosophiæ contendat. Cognoscit enim facile quid vnius cuiusq; genus saltem cõmune, differentias, species: quibus cognitis non est arduum in quauis materia aliquot rationes construere. Quæ quia communes sunt, probabiles nominantur. Quantum enim vnaqueq; distat à proprijs, tantum ab euidentia. Vt si quæratur? num vir bonus pro repub. mortem opetat. Moralis procedit ex proprijs, ex amore patriæ, ex præstantia boni communis. dialecticus ex definitione virtutis: quæ est iustum facere habentẽ, cuiusq; opus reddere bonum: subsumetq; iustum videri, vt pars exponatur pro toto. Idẽ de principijs scientiarum dicito. Quæ cum demonstrari nequeant, dialecticus probabilibus argumẽtis suadet. Sed contra obycitur. Quòd id per omnes vti peculiare rhetoricæ tribuitur, ergo non debet dialectica sibi vsurpare. Multa discrimina prisci philosophi inter dialecticam & orandĩ facultatem assignarunt. Primo Diogenes Laërtius cui omnes subscribunt, appellat dialecticam breuiorem, & rem paucis agentem: rhetoricam vero debere quæstionem multis protendere. Vnde priorem pugno complicato: posteriorem volæ assimilat extensæ. Boetius adducit aliam. Nempe rhetoricam considerare hypothesim (idest) argumẽtum facti, cum omnibus circunstantijs: dialecticam vero thesim (idest) ipsam solam materiam. Hæc differentia oritur ex alia. Scilicet q; dialecticus agit de rebus vniuersalibus. Vnde & vniuersis partibus philosophiæ seruit: quarum subiecta vniuersalia sunt. Adæquatum enim totius philosophiæ instrumentum est. Rhetorica vero de singularibus actionibus ac euentibus: vt pote ad suadendum inuenta: quo nisi in actibus nostris, vt eos prosequamur, aut euitemus, haud opus est. Hinc est debere circunstantias concernere: tum quòd hæ sint singularium proprietates, quum ex circunstantijs frequenter res aliàs decentes dedecent, & minus conuenientes contra magnopere conducunt. Propterea hæc de rerum naturis nihil prorsus proponit nec in particulari. Quod si aggredi ausa fuerit: nulla orationis materia eius propria erit. At dialectica ex propria materia de omnibus probabiliter disputat: ex genere scilicet & alijs prædicabilibus, atq; prædicamentis, vel ex natura oppositionis, aut rei possibilis, necessariæ, contingentis: quæ omnia in se ipsa nos docet. Vltimo tandem differunt fine. Quòd dialectica & in se vt obiectum principale generat scientiam (probat enim multas conclusiones demonstratiue) & vt instrumentum in alijs scientijs. Ipsa (inquam) materia, & ipse eius vsus sæpe producit scientiam. Et deniq; prope semper non minus quam opinionem, Rhetorica vero vt in plurimum non vltra quam fidem: nec sublimius quicquam vnquam intendit, quam vt suæ orationi fides adhibeatur: & ea mediante iudicis animum in sui clientũli partes ac fauorem deflectat. Per hæc constat falsum esse obiectionis antecedens.

¶DE SCOPO *& fine haud est opus, seorsum multa discutiamus. Vniuersale enim est, vt habitus quisq; propter suam operationem existat. Et quæ sint effectus & operationes dialecticæ non paucis exposuimus. Ad primum argumentum principalis quæstionis respondetur, dialecticam agere de naturis rerum: quatenus secundis intentionibus substant. Vt de specie humana nõ quatenus animal est rationale, sed vt de pluribus prædicabilis. Ita considerat non rerum differentias, sed differentias prædicandi. Hoc prædicatur de multis, illud de paucis, illud quidditatiue, id accidentaliter. Confirmationi dicito duplicem esse rei modum, alterum intrinsecum, vt currit velociter, ambulat contingenter, qui rebus significatis adiacent: & hic forsam eiusdẽ generis. Extrinsecus vero (qui & apte medium vocatur) minime. Et talis est dialectica. Medium s. rationis. quo cæteræ disciplinæ comparantur. Ens autem rationis in concreto bene potest medium esse ad ens reale. Vt in rebus moralibus cõtuemur. Potestas enim principis & prælati facultas, atq; iurisdictio, entia rationis sunt: plurimorum effectum realium suo modo caussa. Huiusmodi enim entia, & deus instituit: & homines ad sui gubernationem necessaria sapientissime iudicarunt. Similiter (vt dicit Aug.) dialectica non pro libito conficta, sed in rerum ratione inuenta est. Secundo dicito, ens huiusmodi scibile esse Nam obiectum caussam esse habitus intelligitur (si vniuersaliter loquamur) obiectiue. Et nõ est immane, sed nec rarum ens rationis obiectũ*

esse

esse conceptu, nec dum habitus. Ad confirmationem respōdeto: duplex esse verum: aliud, quod in compositione, & veritate propositionis consistit, vt cæcitas est. Quod & entibus pro inde rationis competere potest: & si adsunt cætera, sufficit, vt intelligibile, & scibile dicatur. Aliud cōuertitur cum ente. Et forsan nec hoc deficit obiecto dialecticæ. Certum est enim postquam huiusmodi intentiones intelliguntur, vnum eis competere. Nam auctore Arist. qui non intelligit vnū, nihil intelligit. Quid ergo mirum si & verum competat. Maxime si verum est intellectus obiectum. Tertio iam satis fecimus: illud ens pro obiecto constituentes: quod est modus sciendi.

¶ PROLOGVS

CVM necessarium sit, Chrysaori, & ad Aristotelis prædicamentorum doctrinam, quid nam genus, quid differentia, quid species, quid proprium, & quid accidens sit, cognoscere: cumq; & ad definitiones etiam assignandas, ac omninò ad diuisiones demonstrationesque conficiendas, vtilis horum sit contemplatio: breuius enitar tibi ea, quæ apud maiores nostros de his ipsis sunt, tradere, quasi ingressum quendam tibi ad hæc omnia demonstrando. Atq; altioribus quidem quæstionibus abstinebo: faciliores aūt sic afferam, qualiter nunc quidem tibi accomodatas esse coiector. Protinus igitur genera quidē & species in rerum natura sint nec ne, an in solis nudisque conceptibus collocentur: & si corpora sint an expertia corporis: & vtrū separabilia sint, an in ipsis sensibilibus rebus & circa eas subsistant, dicere nunc omittā: quippe cum altissima sit talis tractatio, & alia maiore indigeat perscrutatione. Vt de ipsis vero cæterisque propositis magis disserendi modo veteres, horumque maxime Peripathetici tractauere, recēsere nunc atque ostendere tibi conabor.



DIALECTICA quemadmodū cæteræ res tū à natura, tū ab hominibus inuēta, nō protinus ac genita est absolutā perfectionē induit: sed ex paruo pricipio orta per suos augmēti gradus paullatim adoleuit. Primo ante Aristotelem adeo pusilla quinimo ita discerpta atq; dilaniata erat, vt nullū decus, nullā speciē artis haberet: sed tenera multū, inuisaq;, nondū naturā artis adepta iaceret. Plato & Arist. eā solerti cura, atq; magno ingenio congregātes disposuerūt, sed quia familiaris fuit, et nimiū amica Aristoteli in omni philosophia obscuritas, coactus est post quingētos annos multorū p̄cibus Porphyrius (quos magna necessitas ad p̄cādū cōpellebat) prædicabiliū tractatū adycere, quo totius logicæ et ingressū et intelligentiā facilitaret. Cuius tractatus & prologus attico cōpendio absolutus vices proœmij sufficientissime præstat. Siquidem pandit ad quanta, quanq; sublimia cognoscenda eius doctrina cōferat. Quo & claritatis simul et breuitatis pollicitatione, reddit auditores multū beneuolos valde attētos, et omnino dociles. Ad quatuor ait eā valere. 1. ad prædicamentorū libri notitiā. 2. ad definitiones rerū assignandas (origo & fundamētū totius eruditionis) 3. ad diuisiones constituendas (quo tollitur omnis æquiuocatio) 4. ad demonstrationis naturam cognoscendā: omnium

ſcientiarum clauis. Hæc cum pollicetur & opere complet: non poteſt hominum ſibi animos non vehementer Porphyrius attrahere. Haud enim hæc vulgaria ſunt & communia, ſed grandia & philoſophis mirum in modum appetita. Vt pote vnica media: quibus in omni diſciplina vti debeant. Nec Rhetorum Porphyrius aut poëtarum fucum, hypochriſimq; imitatur: qui magna profeßi in paruis verſantur. Experiemur breui quàm potiora potius, & grauiora promiſſis re ipſa præſtat: aut certe quantũ ſummis rerum faſtigijs comparãdis præſens doctrina proſit. Ad prædicamenta enim mente capeßẽda iuuat. Quia hic agitur de prædicabilibus, quorum ordinatio eſt prædicamentũ, nempe quo ſitu & loco genera, differentiæ, & ſpecies collocẽtur: vbi proprium conſtituendum, accidens excludendũ. Siquidem vt recte quis quæq; diſponat, non minus neceſſe eſt, noſcat ab ordine ſemouenda, quã quæ diſpoſiturus eſt. Neceſſario ergo ad cõſtituendũ prædicamentum prædicabilia cognoſcenda ſunt. Quod ſi iã prædicamẽta cõſtituta ſunt: hoc opuſculo mirabilem ac ingenioſam eorũ ſtructuram intelligimus. Ea enim forma cõſtructa ſũt: quæ ſi nõ iam erecta fuißent, erigẽda forẽt. Ad hæc in prædicabilibus ſunt duo. ſ. natura prædicabilis de multis, & ſecunda intentio. Prædicamentum aũt eſt ordinatio naturarum, quatenus prædicabiles ſunt. Vt ſubſtant (inquam) intentionibus, de quibus in concreto hic diſputatur. Vnde re bene inſpecta depræhendes hunc librum formã illius eſſe. Et ſi illic harum intentionũ materiæ, id eſt, natura ſubſtracta ſecundam intẽtionũ dignitatẽ diſponũtur: hoc pacto videlicet iſta natura illo in loco (quia tali intentioni ſubſtat) collocetur: hæc aũt hic eadem ex cauſa. Haud ordinẽ intelligere, nec ordinata poteſt, qui formas ignorauerit. Ad cathegorias igitur capiendas is codex maxime confert.

¶ SECVNDO *ad definitiones rerum aßignãdas. Exigunt enim tales conditiones bonæ definitiones, quales ſine huius operis cognitione obſeruare nemo poterit. Primo nanq; oportet noſſe definibilia (nec enim omnia definiri poſſunt) tã ineruditi eſt hominis omnũ rerũ definitiones ſtabilire, quam omnium rerũ cauſſas exquirere. Quædã enim ſunt incauſata, quædamq; indefinibilia. Genera ſcilicet ſuprema, & differentiæ laterales, de quibus poſtea nobis ſermo habebitur. Definibilia rurſus debent per genus propinquũ, non remotum: per differentiam propriam, nõ inadæquatam definiri. Scire vero quid horum propinquum, quid remotũ, niſi quidditate generis cognita: ſimiliter in differentijs vtra communis, vel propria, quis poteſt? Quæ omnia tamen præſens conſideratio dilucidat. Ad definitiones ergo aßignandas multum vtilis. Hinc perpendere incipies quàm docendi ordinem antevertant, qui naturam & conditiones exactas definitionis in ipſo ſtatim ſummularum exordio fuſißime tractant. Qui quantũ ipſi præproperant dicendo, tantũ iuuenes immorantur diſcendo, ad iſtũ vſque locum nihil horum propemodum intelligentes. Ad diuiſiones etiam conſtituendas. Hæc eſt tertia commoditas. Diuiſio eſt quædam rei in ſuas partes diſtractio. Partes ſunt, & genera, & differentiæ: & quod ſecatur quandoq; ſpecies. Vt ergo partes quales ſint cognoſcamus, opus eſt nullum horum ignoremus. Deinde etiam pro demonſtrationis formatione ſubſeruit. Nam demõſtratio eſt ſillogiſmus; cuius medium eſt definitio, maior extremitas propria paßio, minor ſpecies: deinde propoſitiones ipſius neceßariæ frequentius prædicationes eſſentiales ſunt, quis autem illud prius, aut hoc poſterius abſq; prædicabilibus percipiet, vbi maxime prædicationis notitia apperitur. Hic diſcit quiſq; qualis vnaquæq; ſit prædicatio, & quæ arti demonſtrandi commoda eſt, ſeligit. Reſtabat nunc pandere quàm hæc omnia ad philoſophandum conducant, definire ſcilicet diuidere & demonſtrare, ni tam latè tum in ſummularum prologo, quum in præcedenti quæſtione prodidißemus. Vbi manifeſtißime oſtendimus priora duo omnis ſcientiæ fontem, demonſtrationem vero conſummationem eße. Sed id denuo addimus quam neceßaria ad cæteras diſciplinas comparandas dialectica eſt, tam requiſitum ad dialecticam adquirendam hunc tractatum eße. Dialectica eſt omnium ſcientiarum modus: & opuſculum iſtud totius logicæ modus.*

¶ HAC PARTE *proœmij lectores attentos ac dociles aſſecutus, beneuolos ſequenti pollicitatione reddit. Nam cum doctrinam tam vtilem, ac penitus ad altißima quæq; conquirenda neceßariam, præſenti opere ſeſe tradditurum proponat, quos non auidos ac beneuolos reddet, ſi breui ſtillo, ac lucidißimo ſcribat.*

Modus

Modus(inquit)erit introductorius. Quod fit dum exclusis argumẽtis et quæstionibus ea ĩ materia exagitari consuetis, veritas & rei substãtia summa resolutione traditur. Velut si quis articulũ incarnationis rustico viro breuiter exponat: quẽ si theologorum more, scholastico stillo per quæstiones & articulos explicuisset, nec multis diebus absolueret. Ita generũ ac prædicabiliũ materia totambiguitatibus implexa est, vt si argumentis obiectis res ageretur, altioris disciplinæ principia postularet. At resolutorie tradita paucis diffinitionibus ac diuisionibus complicabitur. Et nihilominus excellentis ingenii robur & firmitatem doctrinæ cõparat dicens, sese ex antiquorũ decretis, quæ hic inferit, decerpturus. Quod enim vis argumentorum facit, id antiquorũ authoritas præstat. Et vt veritate pollere doctrina credatur sicut Porphyrii modum cũ video iuniores interpretes velare hic de vniuersalibus metaphysice tractantes: non video certe quomodo ab eis culpã repellam: cum tantũ (vt experientia cõperimus) hæc materiæ eo methodo tradita doceat qualis de summis est à patribus metaphysicæ. Qua in re aduertendum est genus & vniuersale quodlibet habere duo, materiã s. ac formã. Materia est ipsa natura substracta: vt in genere animal, color, sciẽtia, hæc sunt res penitus reales. Intentio, quæ est ipsa prædicabilitas, seu vniuersalitas, est forma. Ergo ad duas scientias de generibus differere pertinebit. Nã quoties in vniuersalibus quæritur, quod ad naturas substractas expectat: quæstio profecto est prorsus realis & metaphysicalis. Huiusceemodi sunt quæ à Porphyrio narrãtur: an sint s. vniuersalia i. naturæ vniuersales? quid sint, qualia sunt, nimirum res ab Arist. 7. Metaphysicæ discussæ. Quãdo vero vt ꝑdicabiles considerãtur, inuestigatio est logicalis. In illis ergo prioribus veritatẽ ab illis examinatam vt nostrarum intentionũ materiã (par est) nos præsupponamus, non ventilemus. Circa huius operis necessitatem triuiale dubium est, quẽ gradum necessitatis habeat. Siquidem duplex est etiam in medijs vtilibus necessitas, alia absoluta atq; perfecta: qua id exactum est, sine quo aliud haberi nõ potest. Vt necessarius est oculus ad vidẽdum: os ad loquendum. Alia imperfecta. Videlicet qua res melius adquiratur. & sine qua res, licet ægrè, adquireretur. Vt equus ad iter. Sine quo via lacessenter: & cũ quo gratanter peragitur. Quo ergo horum modorum opus hoc, & ad cathegorias Aristotelis, & ad cætera necessariũ iudicabitur? Nã ꝙ non absolute, probat compositio ipsa logicæ Aristotelicæ: vbi prædicabilia primo Topicorum inseruit, non hic in exordio. Præterea antiquiores per plures sine huius opusculi præfatione logicam audiebant, & callebant. Circa hãc quæstionem nota, quod doctrina hic contenta, non est à Porphyrio, vel inuẽta, vel addita: sed ab Arist. 1. Topicorum copilata. Quod celare Porphyrius non potuit, palam contestãs, sese quæ hic differat, ab antiquis mutuasse, estq; ipsius doctrinæ notitia, quid s. sit genus, & reliqua omnino requisita, imo ante prædicamenta prærequisita. Vt pote sine qua nec definire quisq; perfecte, nec diuidere, & multo minus demõstrare sciet. Quam proinde Aristoteles non prætermisit, neq; prætermittere nisi notabiliter deficiendo poterat. Dixi etiam præ requiri ad perfectam prædicamentorum notitiam: quia impossibile est aut prædicamentum erigere, aut erectũ comprehendere, dispositionem scilicet prædicatorum, nisi prædicata noscantur: existimoq; ante Porphyrium priores expositores cum in scholis discipulos instruerent, solere prædicamentorum expositioni harum rerum sermonẽ intertexere. Quod in multis materijs in omni fere disciplina scholastica hodie nobis cõtingit. Nec ideo Arist. iure reprehendendus est huiusmodi ordinẽ præteriens. Satis existimare debemus cũ esset & homo & primus disciplinarum reformator, præstitisse si omnia logicæ necessaria pulchra dispositione tradidit. tametsi frustulum aliquod potuerit, vel debuerit aptius colocari. Sed neq; in re tam exigua oportet nos amplius immorari.

De genere cap. I.

TEXTVS.

CVM nomẽ ipsum genus æquiuocũ sit (multi farie nanq; dicitur) significationes primo distinguere oportet. Dicitur autem genus omnis multorum collectio habẽtiũ

& ad vnum aliquod, & inter se habitudinem, per quam ab alijs similibus congregationibus distinguatur. Sic Israelitarum dicitur genus, & pariter Romanorũ, vt pote illi omnes ex Israele descendẽtes, hi ex Romulo: & inter se propterea aliquam cognationem ob id ipsum habẽtes. Dicitur etiã genus ipsa generatio deducta ab aliquo principio, siue patre, siue patria. Sic Orestes habet genus à Tantalo. Orestis nanq; generationis Tantalus fuit principium. Et Plato dicitur Atheniẽsis, à patria: vt pote Athenis oriundus. Patria enim, quemadmodum et pater, principium cuiuslibet generationis est. De quibus significationibus grammaticis interest per tractare. Dicitur etiã tertio genus, cui subijciuntur species. vt animal, cui homo, & Elephas. Significatio nimirum haud penitus à præcedẽtibus diuersa. Quim potius hoc genus ipsarum specierũ principiũ est, ad illudq; habitudinẽ ipsæ habẽt, & inter se mutuo. Huius modi generis speculatio ad philosophos pertinet. Quod proinde sic definiunt. Genus est, quod de pluribus differẽtibus specie in eo quod quid prædicatur. Per quã definitionẽ et genus cõstituitur, & ab alijs prædicabilibus distinguitur. Nam prædicari solent, ens de omnibus, genus, species, differẽtia, proprium, & accidẽs. Ens non vniuoce: genus aũt vniuoce: species vero de pluribus differentibus tantum numero, non specie. Vt homo de Socrate et Platone: animal vero de homine & leone. Differẽtia vero, propriũ & accidens, non in quid, sed in quale. Interrogan ti enim quid homo? respõdemus apte animal: nõ recte vero respõderemus, rationale, risibile, quantum, aut quale. Hæc ergo definitio generis ad æquata videtur.

EXPOSITIO.

CAPVT in tres partes maiores secatur. In 1. de nominis acceptionibus agitur. In secũda difinitio generis traditur. In tertia exponitur, & expositione prob. Circa primum: oportuit priusquam tractatũ aggrederetur, significationis multiplicitatem duplici de caussa propalaret. Primo quia est nomen æquiuocum: & æquiuoca prius sunt diuidenda quàm definienda. Vniuoca vero è contrario prius definiuntur: post modum diuiduntur.

Ratio est: quia difinitio semper est vnius. Est enim oratio explicans rei naturam. Impoßibile est autem plura vt sic, eandem naturam habere. quia si eandem sortirentur, plura esse desinerēt & vnum forent. Natura enim facit idem Igitur quia plura vnam naturam non habent, & definitio est rei natura, nequeunt plura definiri, sed vnũ. Vnde æquiuocum, vt pote plura, definiri nō potest. Vniuoca vero quia vnum sunt, apte definiuntur. Plura vero possunt sane diuidi: & ita æquiuoca diuidũtur, vt ad eorum singula veniamus. Secũdo cũ æquiuoci multiplex sit repræsentatio: esset confusio, si prius secundum quã procedatur, non exprimitur. Præterea quãquã plures quam hic relatæ huius nominis significationes sint, eas præstingit, quæ cũ sint apud latinos frequentiores, significationi nostræ (vt mox videbimus) similiores sunt. Primo ergo, genus significat multitudinẽ rerũ habentium inter se aliquã habitudinem, & ad vnũ primum qua à cæteris discernantur collectionibus. Vt Israelitarũ genus atq; Hebræorum descendentium ab vno Abrahamo, & propinquius ab vno Israeli. Mementote (inquit) Abraham patrem vestrum & Saram, quæ peperit vos: quia vnum vocaui eos, & multiplicaui. Sic omnes vnius prosapiæ generaliter vnius generis appellãtur Vel à patria: vt omnes Hispalenses. Vnde cum Tobias Raphaelem rogaret, indica mihi de qua domo, de qua tribu es tu? respõdit genus quæris mercenarij, an ipsum mercenarium, qui cum filio tuo eat? Sed ne forte solicitum te reddam, ego sum Azarias magni Ananiæ filius. Tobias ad hæc ex magno genere es tu. Ecce interrogatio de tribu, interrogatio generis est. Respectus autem secundus & mutuus eorũ cognationis, vel alterius necessitudinis ex isto primo dimanat: quo illud vnũ omnes quasi sui principium respiciunt. Quod vnum latißime patet. Primo de patria: non modo oppidum vbi quis ortus est, verũ & totũ regnũ, imo integrum etiam clima cœli generis appellationem facit. Sic omnes Lusitani, omnes Betici, quin omnes Hispani vnum genus esse dicuntur. Imo genus Orientalium, & occidentaliũ (locutiones satis consuetæ) nec opus est principio naturali: sufficit politicum. Sic Romani vocantur: qui Romulum principem habent ciuitatis conditorẽ. Omnes etiã eiusdem religionis eundem cultũ habentes: omnes eiusdem instituti viuendi vnum genus nominantur. Vt genus gentiliũ, catholicorum, Mahometicorum. Omnes huiusmodi locutiones in hac acceptione fundantur. Sed tota collectio hominum & si ex vno prothoparente manarit genus haud dicitur vnũ: ob id quod ab alio per hoc principium non secernitur (quod tũ summopere exigitur vt in cæteris constat) sed est cõmune omnibus. Secundo sumitur pro ipsa alicuius origine ab aliquo principio deducta: vt Orestes ducit genus à Tantalo eius proauo. At cum hic sint duo. s. rei origo, & principium ipsum originis: vt Tantalus & proceßio Orestis à Tãtalo, controuertitur, quid horum hac acceptione genus nuncupetur, Tantalus, an ipsa ex Tantalo proceßio, atq; generatio? Porphyrius dicit esse vnius cuiusq; generationis principium, siue id sit pater, siue patria: & subiungit, siue ab eo, qui genuit, siue à loco quo quis genitus est. Sic Orestẽ dicimus à Tantalo genus habere. Vnde prioribus verbis videtur genus dixisse principium, posterioribus ipsam proceßionem à principio. Sed licet referat nihil quoduis dicamus: existimo, originem hac acceptione genus esse. Quod vsus communis loquendi probat. Nusquam enim dicimus Tantalum esse genus Orestis: sed à Tantalo genus ducere, istũ à Cæsare, illũ ab Alexandro. Verum si morem loquendi attendas, videbis quod non à quolibet principio proceßio genus trahi dicatur, sed ab remoto: non ab immediato, Vt quedã multorum series ab illo principio emanantium vsque ad me requiratur. Vnde si quis Hispali oriundus parentes habet lusitanos, ab Lusitania genus eũ trahere asserimus. At de his acceptionibus Rethorum est disputare. Tertio vero modo capitur philosophicè pro eo, cui supponitur species: vt pro animali, colore, scientia. Animali enim homo, equus & alia. Colori viridis, Ruffus, phœniceus luteus: spadix. Scientiæ vero omnes partes phylosophiæ, vt Logica, Ethica, Physica. Hæc significatio est plurimum præcedentibus germana. Nam similis natura est principium quoddam suarum specierum: à quo proinde originem trahunt (vt videbimus) & inter se cognatæ sunt. Hac significatione genus est terminus secũdæ intẽtionis: priores erũt primæ. Vnde hæc distinctio generis vel primæ vel secũde intentionaliter accepti est apud logicos tam arguẽdo quã respondendo celeberrima. Nobis vero deinceps philosophice de genere semper loqui, suppo

natur

natur Igitur nominis significationibus expositis, sequitur secunda pars textus.s. difinitio generis huius, cui species supponitur. Est nãq; quod de pluribus differentibus specie in eo quod quid prædicatur. Vt animal de homine & elephante: differentibus (vt constat) specie, idest, natura & essentia, prædicatur quidditatiue. Huius difinitionis probatio est eius expositio: vtraq; sane erudita multum, ingeniosaq;. Enimuero non oportet efficatioribus argumentis definitiones probētur. Quinimo probari non possunt: sed exponi. Expositio autem huius est totius codicis vtile cõpendium. Vbi notandum est ꝙ cum hic de prædicabilibus agatur, prætermissis indiuiduis quæ de vno dũtaxat dicũtur, duplex est prædicatio, essentialis scilicet, & accidentalis. Distinctio, quæ entis innititur diuisioni. Primo enim ens reale secatur in substantiam & accidens, prædicatum autem, necesse est, ens existat: sic totuplex fiet prædicatio ab illis partibus appellationem consonam habens, scilicet essentialis & accidẽtalis. Proprium autem, & accidens posteriora prædicabilia prædicãtur accidentaliter: vt pote qualitates semper accidentales. Tria vero priora, genus, species, & differentia essentialiter. Sed hæc rursus alia est essentialis tantũ: quæ qualis essentialis appellari solet: alia autem essentialis quidditatiua. Differẽtia prædicatur in quale essentiale: genus & species quidditatiue. Quod à signo euidenti Porphyrius ostendit. Nam interroganti qualis sit Petrus, respondemus, rationalis: si vero quid? dicimus homo, vel animal. At genus multo maioris ambitus est quàm species. His suppositis Porphyrius probat virtualiter simili argumẽto difinitionem. Difinitio illa bona est per quam diffinitum differt ab alijs rebus. Per naturam suã enim & quidditatem vnaquæq; res à cæteris differt. Vnde differre per difinitionem, ostendit in eam explicari naturam. Per hanc autem difinitionem differt genus ab alijs omnibus prædicabilibus: ergo est bona. Minor prob. Ab indiuiduis (si quo pacto rite prædicantur, quod postmodum discutiemus) per hoc ꝙ de pluribus. Ab his vero, quæ de pluribus pariter dicuntur, primo ab ente, in eo quod vniuoce: ens vero analogice. Ab differentia & subsequentibus: in eo quod quidditatiue dicitur. Ab specie: in eo quòd de differẽtibus specie. Igitur recte sic genus innotescit & diffinitur.

Quæstio vnica.

VTRVM TEXTVS INTEGER veritatem habeat?

PRo parte negatiua contra primã generis descriptionem arguitur. Genus est pars speciei, hæc vero totum: sed parti totum non supponitur ergo. Maior prob. species includit genus, & vltra differẽtiã addit ergo. Secundo in id quod genus principium specierum est. Species & genus sunt relatiua: sed vnũ relatiuum non est principium alterius. Sunt enim simul: cum principium oporteat aliquo modo antecedat effectũ. Cõfirmatur. Genus est totum in qualibet specie: sed vna species non est aliarũ principiũ, ergo nec genus, quod est in illa. Confirmatur secundo. Principiũ & principiatum debent distingui: sed genus & species non distinguũtur: cum animal formaliter de homine prædicetur. Ergo non est ipsarũ principiũ. Tertio contra definitionem principalẽ. Nulla natura cõmunis multis speciebus est generica: ergo. Prob. quia ibi subauditur, vt prædicetur vniuoce, per quod excluditur ens: sed nulla natura sic vniuersalis vniuoca est: ergo. Maior prob. Nõ est eadem ratio ipsius naturæ in omnibus speciebus. Etenim ratio sumitur à forma: & tamen in speciebus sunt diuersæ formæ omnino differẽtes. In homine, rationalis, in leone, rugibilis. Vnde Aristoteles asserit in genere latẽre æquiuocationes: ergo. Quarto. Difinitum huius difinitionis prædicatur semper denominatiue, vt animal est genus, color est genus sũt prædicationes denominatiuæ. Est enim secũda intentio in concreto: quæ denominatiuè necesse est dicatur: ergo nusquã in quid. Si dixeris ꝙ substractum prædicatur quidditatiue: præterquã ꝙ natura hic nõ definitur, adhuc natura prædicatur in quale: vt pote secũda substãtia. Cõfirmatur. Vna, eadẽq; natura nõ potest prædicari in quid & in quale: differentia & genus sũt eadẽ essẽtia: et differẽtia prædicatur in quale. Ergo genus nõ in quid. Quinto, si aĩal quidditatiue enunciatur, natura animalis dicetur de natura hominis: vt hæc humanitas est animalitas. Nã in quid dici, est, vt sit natura et quidditas. Cõsequẽs est falsum. Nam rationalitas est humanitas, & tñ rationalitas non est animalitas: cum differentia sit extra genus, ita vt per se de illa nõ prædicetur, ꝙ phũs dixit 4. Ethico. & 3. metaph. Et tñ prædicatio formarum semper est de per se. Ergo ratio-

rationalitas non est animalitas. Sexto quãdo anũ tio homo est animal, aut prædicatur animal in cõmuni, vel animal, quod est homo. Si hoc dederis nõ prædicatur genus, nec superius, sed æquale. si in cõmuni, est pars. ergo nullo modo. Septimo. Natura generis non est integra in singulis speciebus ergo, non prædicatur de illis. Consequẽtia est bona: añs prob. Omnes dicunt ꝙ nõ conseruatur genus ĩ vna specie: sed ꝙ ad minus requirit duas: ergo non erat in singulis integrũ. In cõtrarium est auctoritas Porphyrij per omnes hactenus logicos huc vsq; suscepta.

¶ QVANQVAM *nostra intentio est à quæstionibus peregrinis calamũ inhibere, ne in messem alienã falcem mittere videamur, donec magno precio nobis eam cõparemus: nihil silere volumus eorũ, quæ vel dialecticalia sũt, vel vt hæc perfectius noscantur, sua notitia cõferunt. Ergo in nostris materijs discutiẽdis immorabor: in exteras si vestigiũ impressero, nũquã figã: protinus leuabo. Eas vero distinctiones ex metaphysica mutuabo: quæ disciplinis omnibus cõmunes sũt. Dialectica vero (vt frequẽter nec in tẽvestiue ex Auicena citamus. Agit de secundis intẽtionibus adiunctis primis. Vbi opus est in principio illico dialecticæ præter ea, quæ primo libro de hac re à nobis disserta sunt, operosius nunc, quid sit prima intẽtio, quidq; secũda dicamus. Doctrina vbiq; logicæ pro futura. In libro terminorũ sermo erat de vocibus: nunc de rebus. Voces enim haud intẽtiones sunt: sed intentionũ termini. Igitur cũ intẽtio nomen sit actionis: apud logicos idem est, quid cognitio. Actus. s. intellectus: sicut visus actus est potẽtiæ visiuæ. Apud logicos (inquam) quia inter morales pro actu capitur voluntatis: quo per media appetitus tẽdit in finem. Vocatur autem conceptus intentio: quoniam quoties quid cognoscimus, attendimus. Sine attentione nihil prorsus cognoscitur. Intellectio autem est duplex alia prima, alia secunda: distinctio ex rebus promanans. Nam sunt quædam apta vt ab intellectu primo intuitu & aduertẽtia noscantur: aliæ tales, quæ nisi his primis iam cognitis, non attendentur. Prioris generis sunt quæcũq, in se habẽt esse: siue corporea siue incorporea, siue præuia, siue occulta & abdita fuerint. Secundi generis sunt, quæ in se cum non sint, ex priori operatione intellectus pullulãt. V. g. animal est ens reale sensibile & alia, sed vnde habet prædicetur de homine, homoq; ei subijciatur? Vtrumq, negocium est intellectus. Esse autem prædicatũ subiectũ ve est aliquod esse, seu ens. sed hoc ens non est, nisi intellectus animal de homine prædicaret. Ergo ex operatione intellectus simile ens consurrexit. Vnde intelligi etiam, nisi prima intellectione præuia non potest: vt pote similium entium fons atq; origo. Nam cognitum animal prædicaui de homine. Deinde animaduerti ex meo negotio animal prædicatum resultasse, hominẽ subiectum: quod aduertere priusquam fieret, nullatenus potui. Factum est autem prima operatione: ergo secunda, vt quæ ex prima effecta remanserunt, cognoscantur, opus est. Quæ non sunt numero vel specie paucæ: vt oratio, propositio, suppositio, ampliatio, oppositio, argumentatio. Quorũ naturã protense in hac disciplina tractamus. Igitur prima intentio est prima cognitio: secũda posterior. Sed iam nomina conceptionum propria, vsu & more ad res cognitas significãdas trãslata sunt: vt prima intentio sit ens reale: secunda ens, quod in rebus ex actione intellectus resultat. Sic deinceps nobis horum nominum, ne à cõmuni locutione deuiemus, erit vsus & acceptio. Quæ nimirũ entia ideo rationis appellãtur: quòd ex operatione intellectus nascũtur. De quibus scientiæ rationales semper agunt: reales de prioribus. Et quia huiusmodi intẽtiones ex operationibus procreantur, fit, vt dum de intẽtionibus loquimur simul operationes, quales debeant esse, monstremus. Tales enim esse debẽt: vt ex illis rectæ intentiones ipsæ promanent. Hac de causa vt munus præstantissimũ dialecticæ tribuitur intellectũ in suis operibus dirigere, quanquam reuera subiectum eius sit secunda intentio non operatio.*

¶ INTENTIONVM *aũt prima per nos enucleanda genus est: cuius productio sic se habet. Quẽadmodũ ex quo ĩtellectus aĩal de homine affirmat, aĩal sit prædicatũ, homo subiectũ: ita ex alia operatiõe intellectus illud fit genus, ista species, rationale differẽtia, & ita de alijs p̃dicabilibus. Omnia enĩ secũdæ intẽtiones sũt copulatæ primis. Experimur aũt intellectũ esse talis virtutis: vt res multo aliter intelligat ac sũt. Et inter multas eius cõditiones sublimes ac illustres, hæc ex potioribus videtur: quòd intelligit aliquid, in quo multa conueniunt, cæteris relictis, quibus disconueniunt. At hæc est vniuersalis potentia: qua totius naturæ ordinẽ illustremus, ac reuoluamus.*

Velut

Velut miser, & in fælix orbis, licet in se pulcherrimus, mea sententia fuisset, si homo, qui admirabilē eius dispositionē, amœnißimumq; cōcētum intelligeret, & tantæ eius pulchritudinis cōsideratione letaretur, defuisset. Ad quod nos propheta inuitat. Venite (inquiens) & videte opera domini, quæ posuit prodigia super terrā. Et alibi. Mirabilia opera tua, & anima mea cognoscit nimis. Mens enim humana eius est potestatis vt in se (modo vellit) alium orbem huic similimum condat, dum eius rerum gradus, coudependētiā differentiamq, percipit. Nam ipsa rei cuiusq; cognitio est ipsius generatio, atq; productio, non quæ in re fiat (vt pote iamdudum antea facta) sed quæ intellectualiter producitur. Vnde Augustinus orbis creationem genesis per Mosem sex diebus distributam, non ad rerum productionē physicam, secundum quam cum Salomone putat simul in ictu oculi cuncta omnipotentem cōdidisse, sed ad eiusdem in angelico intellectu productionem refert. Vt quod Moses ait dixit deus fiat lux, & facta est lux, sit angelos lucem imperio & voluntate simplici creatoris creatam cognouisse, & sex dierum partitio sextuplex notitia, quam de rebus conditis formauerunt. Vide quo pacto apud viros grauißimos rerum cognitiones quasi earum in anima productiones existimatæ sunt. Hinc Aristoteles suam exhausit parenesim, intellectum esse quo omnia fiant. Igitur sicut in re homines singulares natura vniuersi cōueniūt, & multis inter sese proprietatibus differūt (& quod de hominibus singularizo, de cūctis cuiusuis speciei intelligatur) intellectus similiter format conceptum: quo apprehēdit quod omnes participant, s. naturam. In quo homine sic intellecto (par est) ea dumtaxat appareant: in quibus omnes conueniunt. Vnde nec niger aut palidus est, nec pusillus, aut procer & similia, quæ sunt, quibus indiuidua differunt. Ex tali natura sic cognita cousurgit intentio speciei. Rursus animaduertito, hominem, leonem, & reliquas feras animantes naturam sensibilem communem sortiri: tāmetsi vna quæq; aliquid amplius peculiare addat. Vt homo rationale, leo rugibilitatem. A quibus peculiaribus differentijs natura sensibilis intellectu exuitur. Nam hæc consideratio naturæ sensibilis relictis differentijs, quibus in singulis speciebus cōiūcta est, quædam intellectualis segregatio est, atq, disiunctio. Hæc ergo natura sic abstracta multis communis speciebus est genus. Qua abstractione potest quisq; facile exercitationis gratia ad substantiam vsque ascēdere. De qua Phylosophi axioma intelligitur. Nempe abstrahentium non est mendacium. Nā posset quis existimare semper in simili abstractione, deceptionem aut falsitatem latere, quippe qua animal ab speciebus secernitur, quibus est reipsa coniunctum. Sed aduerte ꝗ sic abstrahens, non aßeri, hominem non esse animal, quod esset falsum, sed contemplatur animal non contemplato homine. Quod nullum est crimen, aut falsitas. Exemplum pomi est s. Thomæ appositißimum. In quo cum color, odor & sapor adueniantur, olfactus sine vlla falsitate percipit odorem, non colorem nec saporem, gustus saporem, non odorem, aut colorem, obtutus vero colorem, non reliqua Sicut ergo sensus ita operantes non decipiuntur, nec intellectus sic abstrahens decipitur. Igitur in natura sic abstracta, sicq; intellecta secunda intētio generis resultat. Hactenus de generatione generis pingui minerua.

¶ SECVNDVM quam hic difinitur per hoc quod prædicatur de multis specie differentibus. Vbi nihil ponitur eorum quæ de se natura habet. Vt in animali, quod sit viuens sensibile, vel aliud simile quid, sed quod per intellectum natura sortitur. S. quod sit de multis hoc pacto prædicabilis. Nisi enim intellectus animal eleuasset, & ab specificis differentijs depurgasset, nullum certe de multis verificari poßit. In qua difinitione duo sunt breuiter discutienda. Primo quid sit difinitum, vt pote quod non est admodum euidens, secundo sufficientia, & bonitas difinitionis. Quo ad primum rerum multiplicitas nomine generis inclusarum huic disceptationi causam dedit, vtrum substractum, an secunda intentio difiniatur. Quod vero primum sit difinitum, suadet, cōuenire illi solum modo difinitionem. Sola enim natura prædicatur in quid. Quia in quid prædicari est dici quidditatiue, eßeq; rei quidditatem. Et profecto quidditas Petri & Brunelli differentium specie non est secunda intentio, sed natura animalis. Quod vero intentio difiniatur, probat difinitionem esse Logicalem, ac proinde debere de proprio obiecto dari. Nos autem duabus conclusionibus quæstionē plane diluimus. Prima. Nō definitur substractum vt animal etiam quatenus intentioni substat. Prob. Neceße est difini-

tum.

tum fit vnum subiectis, conueniens definitis minus principalibus: substractis vero vt animali, colori, actioni & passioni (omnia hæc sunt genera) nullum est substractum commune: ergo. Secunda conclusio. Secunda intentio in concreto definitur, quæ antequam ratione roboretur: nobis explicanda est. Et primo recole definitionem esse definiti expositionem. Res vero vti sunt & non aliter explicandæ sunt. Forma vero accidentalis huius conditionis est: quòd eius proprietas etiam naturalis non illi adeo competit, quasi proprietatem ipsa forma exerceat: sed subiectum mediante forma actũ exercet. Vt albedo dicitur disgregare visum, nigredo congregare: verum ita dicũtur ista efficere, vt non albedo disgreget, vel ater color congreget: sed quia subiecta, quibus hæsunt, hæc mediantibus ipsis faciunt. Album revera mediante albedine disgregat. Vnde quanquam hæ sint harum qualitatum proprietates, non prædicantur de illis: sed sunt rationes formales, & velut instrumenta substantiæ, quibus hos effectus producit, sine illis neutiquam productura. Et calori etiam tribuitur calefactio: qui tamen non calefacit ipse, sed subiectum mediante calore. Definitio itaq; accidentis in concreto cum eius proprietatem vel actionem explicat, non conuenit ipsi accidenti: sed explicat id, quod subiectum accidentis mediante illo facere habet. Quod inde nimirum prouenit, quòd actiones sunt suppositorum: quæ diuersis formis mediantibus differentes producunt. Vnde cum accidens sit forma subiecti actiones accidẽtium sunt ipsorum subiectorum, seu suppositorum. Ideo in similibus definitionibus necesse est aliud sit definitum, aliud quod exercet definitionem: sicut aliud est accidens, aliud subiectum accidentis. Quo circa in præsenti definitione explicatur proprietas seu actio natura secundæ intentionis & tamen definitio non prædicatur, seu non verificatur nisi de substracto intentionis: quod intentionis actum exercet: qui est prædicari de pluribus in eo quod quid. Hæc doctrina plurimum aduertenda est non modo pro omnibus prædicabilium definitionibus. Verum pro cunctis dialecticalibus. At his suppositis conclusio prob. Definitum debet esse vnum inferioribus commune: sed generibus sola intentio est communis ergo. Secundo. Definitio definiti explicat quidditatem: hæc vero explicat ens rationis, vt pote data per terminos secundæ intentionis. Ergo difinitum est ens rationis: cum ens reale esse non possit. Sed obycies, tũ quod definitum & definitio sunt termini cõuertibiles, tum quod definitio debet competere definito. Respondeo quod ambæ regulæ, vt sunt in dialecticorum praxi, obseruantur. Est enim mutua consequentia inter genus & suam definitionem, & propterea definitio prædicatur de definito (vt hic definitur) scilicet de genere.

¶ DE DEFINITO cũ iam pateat, ad definitionem exponẽdam transeamus. Vnde tertia conclusione respondemus esse legitimam, & sufficientem. Cuius conclusionis optima probatio est ipsa textualis definitionis persuasio. Nempe quòd sic distinguitur sufficienter genus ab aliis prædicabilibus. Pro cuius euidentiori notitia considerato attentissime, & quotuplex sit prædicatio, & quid prædicati natura postulat: vt pote quide prædicabilibus & prædicatis diserimus, & quia bonitas huius definitionis in natura prædicationis fundatur, notandũ, quòd trĩplex est prædicatio, directa, indirecta, identica. Prima est quando superiora de inferioribus, vel æqualia formalia de æqualibus subiectis prædicãtur. Vt homo est animal, homo est rationalis, vel risibilis. Aequalia formalia de æqualibus subiectis dixi: quia non sat existimo, vt æqualia de æqualibus dicantur. Hæc enim risibile est homo (& si extrema æquiparẽtur) indirecta est. Nam subiectum est forma prædicati: & prædicatum subiectũ subiecti. Et ideo prædicationis natura violatur. Quæ est vt subiectum sit nõ modo voce respectu prædicati, sed re: & prædicatũ forma subiecti. Indirecta ergo his duobus modis cõtinget, vel cũ inferiora de superioribus, vt animal est leo: vel cũ de formis subiecta dicũtur vt par est numerus. Identica est cum idem sub eadem ratione de eodem: siue sit particulare, siue vniuersale: vt Petrus est Petrus, animal est aĩal. Directa rursus alia est formalis, alia velut materialis: quæ etiam identica nõnunquã appellatur. Prima est directa vbi ratio formalis importata per p̃dicatũ denotatur cõuenire subiecto. Nãmulta sunt p̃dicata quæ importãt duo de materiali s. & formali, non modo cũ termini sunt cõnotatiui, sed etiam cũ absoluti. Vt aĩal importat materialiter suppositum, formaliter naturam sensibilem. Hæc homo est animal est formalis: quia ratio animalis competit homini. Et hæc homo

est albus pariter est formalis: quia albedo conuenit subiecto. Sed hæc risibile est homo non est formalis: quia ratio hominis nõ competit formaliter risibili, sed è conuerso ratio risibilitatis homini. Et hæc musicum est album non est formalis, sed identica: quia albi ratio non conuenit subiecto scilicet musico: sed tantum illa conceditur: quia subiectum musicæ est etiam subiectum albedinis: vnde ratione solum materialis significati extrema identificantur: & per consequens est identica. Ita solemus quasdam propositiones in sensu formali, alias in sensu identico admittere. Quod in hoc exemplo vsitato explicatur. Negamus hanc actio est passio: concedimus istam, actio est res, quæ est passio. Illa dictio res explicat in materia, quæ est motus, actionem & passionem conuenire: non in ratione formali. Et ideo hæc propositio facit sensum identicum. Ex quo sequitur bifarie prædicationem identicam contingere. Scilicet aut quando idem de eodem, aut quando prædicatum materialiter tantum, non formaliter conuenit subiecto. Disparatam prædicationem reliqui: quæ est cum prædicatum repugnat subiecto: vt album est nigrum: homo est equus: substantia est quantitas: quia prope semper affirmatiua est falsa. Sed in omnibus prædicationis speciebus vniuersaliter obserua, quòd cuius speciei affirmatiua est, & negatiua eius opposita censetur. Vt homo non est animal est directa: homo non est homo identica. Vnde colliges, & disparatas sæpe necessarias propositiones esse, vt homo non est equus: & directas impossibiles, vt equus non est animal. Hæc de primo.

¶ QVANTVM ad secundum exigit prædicatum, vt habeat rationem communis & totius & formæ. Communis, requiritur, formam habeat. Nam si est singulare, prædicatio est reuera identica: & tamen nulla prædicatio identica est legitima. Finis enim prædicationis est vt de subiecto aliquid pateat. Nam subiectum iam cognoscitur. Per identicam vero prædicationem nulla noua notitia de subiecto comparatur. Per hoc homo est homo: animal est animal, cum sint etiam in terminis communibus, qui plura explicare solent: quid de homine, quid de animali noscibilitatum abest vt identica singularis quicquã valeat: vt Martinus est Martinus, aut hic est Martinus. Secundo dici de aliquo præsupponit (vt aiunt dialectici) esse in illo: vt esse in supposito. Vnde singulare non potest apte prædicari: quia non est nisi in se ipso. Commune vero sicut est in multis, ita apte prædicatur de multis. Debet etiam esse totum. Nam subiectum in affirmatiuis (quæ sunt negationis mensura) dicitur esse prædicatum: pars autem non est totum: & ideo pars non potest prædicari de subiecto. Vnde necesse est prædicatum formam habeat totius. Formam vero totius habere est, vt includat in se subiectum: vt animal includit hominem. At anima non includit illum: sed è conuerso includitur in illo.

¶ CIRCA quod vt plene intelligatur, aduerte. Quod duplex est pars, duplex totum, duplexq; compositio. Alia scilicet physica, alia metaphysica. Corpus & anima, & omnino forma & materia sunt partes phisicæ ad se inuicem diuisæ: ac proinde realiter componentes, suppositum vero vt Petrus totum phisicum. Genus & differentia non sic componunt speciem, vt realiter distinguantur: sed ratione tantum componunt: & ratione tantum differunt & sunt partes. Quod facile intelligitur. Nam animal compositum est, & dicit: cum sit viuens sensibile. Ideo est impossibile, sit dumtaxat pars hominis. Essent enim in homine tunc duo supposita. Rationale pariter quoddam totum est. Sed quia animal formaliter dicit solum naturam sensitiuam, rationale mentem intellectiuam, homo vero formaliter vtrunq;: accipiuntur illæ vt partes metaphysicales huius. At vero inter has partes discrimen est quòd phisicæ non possunt esse totum: metaphysicæ possunt. Et ideo quod est pars metaphysica, habet etiam formam totius, vt prædicari possit. Vt anima non potest esse homo, sed animal potest. Cuius caussa est quòd anima sensitiua, à qua animal est, potest in homine esse anima rationalis, in leone rugibilis, in asino rudibilis: & è conuerso formæ differentiales possunt esse ipsa forma generica. Ex quo identitas prouenit generis, differentiæ, & speciei. Quod vt perspicatius intelligatur, attẽtius cõsidera: quod cũ genus & quodlibet prædicabile cõmune sit suis inferioribus, necesse est, vt prædicabile non habeat nisi id quod subiectis cõmune est. Id scilicet in quo subiecta conueniunt. Etenim si haberet ea, in quæ differunt: primo quomodo posset habere cum sint disparata, & incompossibilia: Deinde etiam

si haberet,

si haberet, quomodo singulis conueniret. Haud posset animal dici de homine, si animal foret irrationale: cum homini esse irrationale repugnet. Igitur necesse est tantum sit genus in se formaliter id quòd inferioribus generale est, neminiq; illorum repugnat. At pro alia parte ex hoc ꝙ de singulis dicitur, par est, in singula esse posse. Nam prædicari fundatur super esse. Vnde si animal & quodlibet genus consideretur secundum id quod actu & formaliter in sua natura, definitioneq; claudit, abstrahit à differētijs & proprietatibus inferiorum: sed in potētia est omnia hæc. Potest (inquā) omnia recipere, in homine rationale, in equo hinnibile. Vnde duplex est totum, aliud actuale, aliud potentiale. Prius est species: quæ actu claudit omnem essentiā indiuiduorū. In Petro enim essentia solum est animal rationale. Præter hoc cætera reperta sunt accidentia. Totum potentiale est genus: vt pote continens in potentia principaliorem partem speciei scilicet differentiam. Ex quo sequitur ꝙ genus est tota natura speciei: nam partem habet actu, partem potentia. Sequitur secundo sufficere, vt sit prædicatum, vtcunq; istorum modorum esse totum.

¶ TERTIO opus est prædicatum formæ rationē habeat. Non oportet re vera sit forma: alias corpus non prædicaretur: vt pote materia. Species vero forma est, vt sit in alio velut in supposito. Quia cum prædicatum dicatur de subiecto, præsupponit esse in illo. Si enim illic non foret: falso assereretur. Omnes hæ conditiones collectæ sunt ex prædicationis affirmatiuæ exigētia, per quas definitionis intelligentia patescit. Genus prædicatur de multis differentibus specie. Etenim est prædicabile genus: vt pote commune, totum & forma specierum. Commune: quia continet multa. Totum quia includit suas species. Vnde etiam hæ appellantur partes subiectiuæ generis. Et forma: quia in illis velut in suppositis est. Confirmatur esse prædicabile: quia est vniuersale, et tamē cōuertūtur ista duo sicut homo & risibile. Quo statuto probatio definitionis procedit: per quā generis prædicabilitas aperitur. Duplex siquidem est modus prædicandi scilicet in quid, & in quale. Et ab vniuersis quæ in quale prædicantur, differt genus: quòd in quid dicitur. Ab his quæ in quid (quales sunt species) distinguitur per multitudinem subiectorum. Differunt enim subiecta generis specie: subiecta vero speciei, numero. & quia per quòd res vnaqueq; differt, pariter constituitur: constat huius definitionis bonitas: si etiam aduertas quàm consona est definito, vt pote per terminos secundæ intentionis data. Ad primum ergo argumentum responsum est genus esse partem speciei, & totum. Partem quidem actualem, totum potentiale. Secundo vt respōdeas aduerte. Quòd principium est, vnde motus vel res incipit esse. Vnde omnis pars principalis alicuius, dicitur eius principium, quoniam ex eo & à partibus incipit. Et maxime in rebus materialibus pars quæ est materia, principium dicitur. Cum autem duplex sit pars speciei metaphysica: genus scilicet & differentia: prior scilicet genus est pars velut materialis speciei. Nam quemadmodum in naturalibus, materia de se indifferens est ad multas formas, & per vnamquamq; determinatur ad tale indiuiduum: genus est de se indifferens ad plures species, & per differētias contrahitur ad singulas species. Vt animal de se indifferens est (idest, nō magis postulat esse hominem quàm elephantem) sed rationale facit illud esse hominem: rugibile leonem. Et secundo in physica, formæ educuntur de potentia materiæ præter formam hominis, quæ immediate à deo creatur: ita ex genere quasi ex potentia extrahuntur differentiæ. Leo enim primo est sensibilis, deinde rugibilis. & homo prius est animalis, deinde rationalis, vnde rugibile ex sensibili deductum seu productum videtur. Omnes ergo hæ locutiones generum & differentiarum innituntur rerum phisicarum analogiæ. Addunt alij, ideo etiam materialem partem nuncupari: quia sumitur à materia, differentia vero à forma: sed eadem profecto analogia & hæc propositio fundatur. Haud enim intelligitur sumi genus à vera & præcisa materia: sed quia natura generis relata differentiæ est velut materia. Vt in homine vita sensibilis collata intellectuali quasi materia videtur. Quæ nimirum interpretatio eo euidens extat: quòd secundum omnes gēnus in homine sumitur ab animalitate. Animalitas enim non est genus: sed principium. Quæ quidem animalitas claudit integram naturam, & per consequens aliquam materiam & formam. Non est ergo natura generis materia præcisa: et per cōsequēs genus nō sumitur ab illa. Deinde quo pacto natura sensitiua à materia sumenda est magis quàm à

forma, nunquid ad sentiendum magis corpus quàm anima exigitur, tam impossibile est corpus absq; anima, quam animã sine corpore sentire. Ergo sic intelligitur sumi à materia quem admodum explicuimus. Igitur quia genus est pars speciei: & talis pars videlicet materialis, dicitur principium speciei. Nam primũ est quod in specie supponitur, & vnde speciei natura incipit, & differentiæ originem habent. Argumento dicitur, relatiua sumi dupliciter, materialiter pro ipsis rebus, quæ sunt relatiuæ, & formaliter. Et primo modo vnum potest esse nonnunquam alterius principium. Vt homo qui est pater, efficit filium. At paternitas non est caussa sed nec potest esse filiationis. Genus vero si sumatur pro substracto potest speciei principium esse, & prius illa. Prius est enim à quo non conuertitur subsistendi consequentia. Substracta vero non sunt relatiua. Haud enim animal & homo relatiue dicuntur. Ad primam confirmationem negato consequentiam. Pro solutione secundæ confirmationis aduertito, duplicem esse distinctionem, alteram realem, alteram rationis. Realis est inter ea quæ seclusa operatione intellectus sunt plura, vnum & alterum vt Petrus & Paulus. Rationis est inter ea reperta, quæ cum ambo extrema sint vna res, intellectus consideratione vt plura sumuntur. Constat enim quòd plato verissima existimatione omnium est vna res, vnusq; homo: quem nos vt multos intelligimus. Scilicet vt hunc hominem, vt hunc philosophum, vt hunc ciuem Atheniensem. Hac distinctione attributa diuina, vt sapientia, iustitia, omnipotentia & similia in deo omnia vnica, simplicissimaq; res, tot per nostram cõsideratiõnẽ multiplicantur. Sic pariter vniuersale à particulari distinguitur. Vt hac albedo, & albedo, color & qualitas: & Petrus & homo, & animal & viuẽs. Omnia enim hæc sunt ipsemet Petrus vnica res: & tamen abstractione intellectus superiora absq, inferioribus cognoscũtur. Quòd vero hæc distinctionis distinctio sit sufficiens, cõstat ex subiecto ipso, cuius distinctio est proprietas, quod est ens. Nam sicut risibilitas proprium est homini, & par & impar numeri: & ideo tot sunt risibilia, quot homines: ita distinctio est proprium entis, & tot sunt distinctiones, quot entia. Ens autem primo dinididitur in ens reale & rationis. Vnde distinctio primo alia est realis, alia rationis. Et hæc genus species & differentia, & si vna eademq; res existant, vt tria seiuncta accipiuntur. Argumẽto ergo dicitur quòd sicut genus principium est solum secũdũ rationẽ ita sola ratione ab principiatis, idest, ab speciebus distinguitur. Et bene omnia sibi cõsonant, quòd sicuti genus non est nisi secundum rationem principium, ita sola ratione à principiato secernitur.

Ad quartum nota rem quam piam esse vnã dupliciter, vnitate reali, vel rationis. Priori modo est vnum quodlibet siue substantia, siue accidẽs in vniuersitate rerum existens. Vnitate rationis est vna quæcunq; natura per intellectum abstracta pluribus communis. Qui dat enim esse, dat & vnitatem: sed natura habet esse abstractum per intellectum: ergo per eundem est vna. Maxime cum ex hoc, quòd abstrahitur, fit vna (in re enim multiplex.) V.g. homo est corpus, & anima simul: & aliud corpus & anima est in Petro, aliud, & alia in Paulo. Nulla natura realiter vna est, communis pluribus præter essentiam diuinã, quæ cùm simplicissima sit, & maximè vna, communis est patri, filio, & spiritui sancto: in creaturis natura communis est vna vnitate rationis. Sed dices? quomodo per rationem homo abstractus est vnus? nimirum quia est indifferens ad singulos. Non enim habet proprietates alicuius. Et ideo non est maior ratio, sit homo abstractus iste particularis, quàm alius: & cum sit homo, sequitur, quòd est omnis homo: singuli ille, & ille singuli: & ita de singulis prædicatur. Itaq; vnitas rationis est ipsa indifferentia æqualis generis ad indiuidua. Et sicut natura communis alia specifica est, alia generica, alia analoga: sic triplex est vnitas rationis, specifica scilicet generica, & analogica. Sed quia maxima vnitas est numerica, à qua degenerant illæ, imperfectæ vnitates sunt. Absolute enim vnum non potest, quandiu vnum est, multa esse: quòd tamen habet vnum numero.

Quod vero est vnum specie: est multa numero: & quod vnum genere est multa specie: vt in homine videre licet, & animali. Vnum ergo specie post vnum numero, & vnum genere minus est quam vnũ specie. Quãto enim maiorẽ differẽtiã, & multitudinẽ cõpatitur, tanto minus vnũ est. Sed nõ ideo secũdum sui exigentiã non est perfectè vnũ. Aliter enim vnus homo vnus est, aliter vna respublica vna est. Nec minus pulchra est ĩ rei

publicæ

publicæ vnitate pluralitas ciuium, & statuum diuersitas, quàm in homine omnium membrorum cõtinuitas. Genus ergo est vnum: sed quod magnam multitudinem admittat, plurimũ, maximeq; differẽtẽ. Vnde argumento dicito, eãdem rationem esse generis in omnibus speciebus genericam. At eadem generica non est tam eadem, sicut specifica, quæ nullam differentiam essentialem patitur: & multo minus vti numerica. Sed pro intelligẽtia prouerbij notato, ꝙ sicut perfecta vnitas est numerica, ita exacta vniuocatio naturæ specificæ. Nam hæc requirit multitudinẽ rerum, & per cõsequens aliquo pacto differentium, & identitatem. Vniuoca enim sunt, quorũ nomen est commune, & ratio substantiæ eadem. Vbi duo: s. communitas, atq; idẽtitas adunãtur. Nullibi autem est communitas, siue pluralitas significatorum cum tãta identitate vt in specie. Nam tanto maior est identitas, quanto minor est indiuiduorum differentia: quæ solummodò differunt numero, differẽtia omnium differẽtiarum pene minima. Vnde in creaturis non possunt, realiter plura magis esse idem, quàm indiuidua eiusdem speciei. Ideo summa vniuocatio in specie reperitur: in genere vero incipit, esse tanto minor identitas, & maior pluralitas, quãto plus species differunt, quam indiuidua speciei. Ita inchoatur æquiuocatio: sed tam parua nihilominus, vt genus non desinat esse vniuocum. Differentiæ ergo hæ specierum clausæ in genere appellãtur æquiuocationes latentes. Præterea sicut differentiæ sunt inæqualiter perfectæ, ita natura generis magis, & minus in speciebus earundem formarum caussa perficitur. Quanto enim differentia genus contrahens præstantior est, tanto ipsummet genus magis perficit, & perfectiores operationes ipsius naturæ generis producit. Sic vita sensitiua in homine multo excellentiores, & subtiliores actiones habet quam in vlla alia specie. Subtiliores enim sensus sunt in eo, & nonnunquam plures. Hæ participationes differentes generis æquiuocationes, quasi quædam inæqualitates nuncupantur. Sed sicut his non obstantibus ab omnibus speciebus absolute, participatur, ita absolute vniuocum est. Ad quartum bene responsum est: sed replicæ dicitur, prædicari non in quale absolutè, sed in quale quid. Quia est vt forma subiecti: & omnis forma nomine qualis significatur. Vnde omne prædicatum prædicatur in quale: sed quando prædicatum est quidditas subiecti, dicitur in quale quid. Ad confirmationem distinguito, ꝙ eadem res diuersi modè accepta potest, vtroq; modo prædicari. in quid scilicet & in quale: & diuersa multum ratione natura sumitur, quando vt genus, vel vt differentia. Ideo non habetur illatum pro inconuenienti. Pro quinto argumento notato quòd cum nomen sit duplex abstractum & concretum, duplex pariter prædicatio est. Nam vel extrema eiusdem qualitatis sunt, quantum adhoc vel diuersa: concretum scilicet de concreto, abstractum ve de abstracto: vt homo est animal: humanitas est animalitas. Vel mista, abstractum de concreto, aut contra: vt homo est humanitas: aut humanitas est homo: materia vberrima doctrinis. Plurima enim in his prædicationibus discutiendis vtilissima ingeruntur. Sed nos (vt decet) vtemur compendio. Igitur cum concretum de concreto nulla est difficultas specialis. siquidem præsentibus prædicabilium definitionibus earum veritas pensatur: Si quod scilicet illorum de sibi subiecto dicatur. Abstractorum vero prædicatio, tãquam non nihil sub obscura, non ita facile per omnes admittitur. Vbi considerato, concreta præcipuè generum, vt animal, includere tria: nempe in actu naturam sensibilem, secũdo in potentia differentias specierum: vnde totum potentiale nuncupatur, tertio suppositum: quod abstractum minime importat: vt pote nomen solius naturæ, quod quidem sine cõtrouersia, nemine excepto suscipitur. Sed id cõtrouersum est, an sicut ex illis tribus nomine animalis allatis suppositum animalitas præscindit, ita potestatem ad differẽtias excludat, & dũtaxat, id quòd in animali de essẽtia est, significet. Pro parte negatiua est sentẽtia Auicenæ creberrime in hac parte vsurpata, vbi asserit, equinitas tantum est equinitas: nihil aliud quam equi essentiam claudit. Et cum par ratio de animalitate sit: nec de essentia sit animalis, differentiarum capax specificarũ existere: sequitur, non significari animalitate capacitatem. Pro parte affirmatiua militat, quòd non solum suppositum, sed ipsa natura continet potentia differentias. Forma enim sensibilis est quæ potest esse rationalis: ergo nullo modo ab hac potestate animalitas abstrahit. Quod certe verissimum existimo.

At refert omnino huius ambiguitatis iudicium ad prædicationes præfatas concedendas, vel negandas. Qui à potentialitate præscindere putant, negant proinde, abstractum generis de abstracto speciei verificari: vt pote pars metaphysica actualis, & non iam totum potentiale. Quẽadmodum viuens sensibile si solummodo foret, quod formaliter est, nequaquam de homine prædicaretur. Nos opinantes ab huiusmodi non repugnantia neutiquam similia abstracta præscindere, sed tantum à supposito, consequenter arbitramur posse verißime prædicari. Nam intelligibile non videtur, animal quidditatiue de homine dici, & naturam animalis quidditatem hominis non esse. Et si animalitas, quidditas est hominis: & non est duplex, sed vnica eius quidditas: quomodo si eius quidditas etiam est humanitas, humanitas non esset animalitas? Igitur verißima est affirmatiua propositio, vbi natura generis de natura speciei prædicatur. At circa huius prædicationis abstractorum qualitatẽ haud existimo, indifferenter alterum de altero formaliter prædicari: sed potius, vt in concretis est directa, & identica prædicatio, ita in abstractis. Licet omnes sint vere humanitas est animalitas, & animalitas humanitas, & rationalitas est animalitas, & econuerso: non omnes sunt prædicationes directæ, sed vbi vel abstractum generis vel differentiæ de abstracto speciei: reliquæ indirectæ aut identicæ. Vt hæc rationalitas est humanitas. Vltimam extremorum combinationem. s. quando abstractum de concreto vel contra vnanimes vniuersi consentiunt reyciendam esse: vt à nemine affirmatiua concedatur. Primo propter differentem modum significandi. Species enim est habens naturam, vt homo humanitatẽ: natura vero est forma integra eius, cuius natura existit: at forma nusquam de eo verificatur, cuius est: vt pote quæ velut pars, & totum se habẽt, & vt continens, & contentum. Secundo nemo inficias ibit, quin species suppositum claudat, natura excludat: vt in rebus creatis natura, & suppositũ distinguntur. Quo ergo pacto prædicabitur de supposito, quod suppositum excludit, quodq; in se suppositi negationem affert. Vnde in terminis tantummodo diuinis propter omnimodam dei simplicitatem obstractum de concreto verificatur: vt deus est iustus & iustitia, ens, & esse, sapiens, & summa sapientia, & forsam in transcendentibus. Super est igitur vt de argumento obiecto tantum negetur, omnem prædicationem formarum debere, esse aut formalem, aut de per se, cum eadem prædicationis differentiæ quæ in concretis, reperiantur.

¶ *AD SEXTVM argumentum respondetur ꝙ prædicatio generis de specie est superioris de inferiore, cum genus præter speciem subiectam plures ambiat alias. Et prædicatur quidem animal quod est in homine (dici enim de, præsupponit esse in) haud tamen in ipsa prædicatione hoc animal singularizatur. Et animal quod est in homine, est absolutè animal: vnde animal in cõmuni prædicatur de homine: & ita de quolibet genere philosophetur. Animal est res, quæ prædicatur: acceptio vero animalis in communi est conditio requisita, vt prædicetur. Prædicatio enim opus, negotiumq; intellectus est abstrahentis (vt diximus) & separãtis ea, quæ in re coniuncta sunt. Vnde & cum dico, homo est animal rationale, prædicatur animal superius. Restringitur enim à differentia: & si vniuersalius homine non esset, profecto non restringeretur.*

¶ *VLTIMVM argumentum celebrem illam postulat inquisitionem, an genus in vna specie conseruetur? vel complures ad sui existentiam requirat? Et quidem duo sunt in genere, alterum quod formaliter exprimit, alterum ipsa capacitas ad multas species, atq; differentias. De priori nemo ambigit, quin natura integra eius in singulis speciebus reperiatur: vt pote quarum vnaquaq; absolutè est ipsum: quod tamen si quo illius careret, minime foret. Sed de capacitate est aduertẽdum, quod duplex est potentia, alia physica & realis vt visus: aptitudo deniq, positiua ad aliquid agendum vel patiendum. Secunda est potentia rationis seu logicalis. i. non repugnantia, quæ est multo latior, amplior q; quam prima. Quicquid enim primo modo potens est, potest & secundo. Nam quod quisq; potest, efficere, nullo modo ei repugnat: multa tamen nobis non repugnant, quæ facere, non valemus: vt cæcus non potest physice videre: haud tamen repugnat videre. De hac potentia logicali, omnes hæ prædicabilium definitiones intelliguntur. s. genus est cui non repugnat, de multis speciebus prædicari. Hanc capacitatem, est difficultas, an in singulis speciebus genus retineat? Quod est quærere vtrum animali in homine existẽti*

repugnet,

repugnet, in alijs ſpeciebus eſſe. Ad quod videtur mihi, quatuor eſſe notanda: primo quòd huiuſmodi non repugnantia competit naturæ per intellectum: quæ ſi non abſtracta ſed in re conſiderata omnino repugnat, vt pote ſingularis, & ſingulariter exiſtens. Secundo quod intellectus bene poteſt, ex vna dumtaxat ſpecie naturam generis abſtrahere: quandoquidem in ſingulis eſt integra, atq; perfecta. Sic videtur quòd generis capacitas remotè ſaltē in ſingulis ſpeciebus ſaluatur: cum vbilibet exiſtat, eſt fundamentū ſufficiens, vt abſtrahi, poſſit. & abſtracta formaliter eſt capax, & non repugnans. Tertium eſt quod natura generis in re nuſquam hanc indifferentiam propinquè, aut formaliter habet. Nam in ſingulis eſt iam contracta: ergo non indifferens: cum contractio tollat indifferentiam. Quartum eſt quod vt hæc habilitas realiter exerceatur, multitudine ſpecierum opus eſt in quibus natura generis oppoſitis differentijs coniuncta ſit. Quæſtioni ergo hac diſtinctione reſpōdetur. Si de natura generis quæritur, in vna ſaluatur: ſi de eius poteſtate, ſolum formaliter eſt per intellectum: ſi de reali exſecutione poteſtatis, non in vna ſed in multis conſeruatur ſpeciebus. Huc vſq; de genere.

Cap. de ſpecie.

TEXTVS.

NOMEN etiam ſpeciei eſt æquiuocum. Species ſiquidem appellatur vnius cuiuſq; exterior forma, atq; figura. Vnde dicimus prouerbio optima ſpecies viri (qualis erat Priami) digna eſt imperio. Appellatur etiā ſpecies, quod generi ſubſternitur de qua genus in eo quod quid prædicatur. Quam ſic deſcribunt. Species eſt quæ prædicatur de pluribus differētibus numero in eo quod quid. Sed hæc definitio non omnibus: haud enim ſub alternis, ſed ſpecialiſsimis competit. In ſingulis quidem prædicamentis eſt quoddam genus ſupremum, ſupra quod nullum aliud genus eſt: & quod proinde ita genus eſt, vt ſpecies eſſe non poſsit: vt in primo prædicamento, ſubſtantia. Sunt etiam in ſingulis ſpecies ſpecialiſsimæ: quibus rurſus ſcilicet nullæ ſubiacent ſpecies, ſed ſunt immediatæ indiuiduis, vt in præfato ſubſtantiæ, taurus, catus, & equus. Inter has ſpecies imas & illud ſupremum genus: in ſingulis ſunt quædam media, quibus velut gradibus ad ſpecies ex ſupremo genere deſcenditur, & ad illud aſcenditur, vt in eodem prædicamento, animal, viuens, corpus. Quæ media vocantur alternatim ſpecies, & genera, vt pote quæ ſubijciūtur ſuperiori & prædicantur de inferioribus.

Et cum vtriusq; descriptionem participent, iure vtriusq; nomenclaturam sortiuntur, vt animal hominem, & cæteras species continet. Sed à viuente cum arboribus cōtinetur. Genus ergo est animaliū, de quibus in eo quod quid prædicatur: & species viuentis, quippe cui substernitur. Ita in reliquis vsq; ad substantiam inuenies: quæ cum hæc omnia amplectatur, & supra se superius non habeat, supremum genus est. Nam & si quid vniuersalius sit ens: non tamē genus est: quia nō vniuoce, sed analogice dicitur. Quantitas enim, & qualitas non sunt ita æque entia, vt substantia. Vnde decem prædicamentis non est vnum genus commune, sed sunt decē suprema genera: sicut decem prædicamenta: vnumquodq; supremum quasi principiū, & caput sui prædicamenti. Itaq; singulorum, hæc est dispositio cōmunis, vt duo sint extrema, genus supremum, & species imæ, & media quædam, quæ vtriusq; extremi, & nomen, & naturā habent. Vnde constat quod prima et secunda descriptio generalis est omnibus speciebus, quippe quæ vniuersæ suis generibus substernuntur. Tertia tātum specialissimis conuenit: nam cæteræ nō modo de pluribus differentibus numero, sed vti genera de pluribus differentibus specie dicūtur. Sed rogas, cur species ima extremum est in prædicamēto, non indiuidua, cū indiuidua illi sint, & rursus quæ nullatenus per alia inferiora diuidūtur, species vero saltem in indiuiduis multiplicatur? Triplex est huius ratio. Primo quod secundum Platonē indiuidua, vt pote infinita relinquuntur ab arte: quia infinita ab homine sciri, non possunt: cum artes vniuersæ, & disciplinæ nostræ ea tractent quæ à nobis sciri, possunt: species vero, & si multæ, finitæ sunt. Secūdo quia in prædicamentis de prædicabilibus & prædicatis tractatur: indiuiduū de nullo prædicatur, sed est subiectum prædicatorū. Tertio, indiuiduū præter naturam specificā nullā aliam

eſſentiam habet, tantum accidentia propria continet. Indiuiduum eſt enim cuius proprietatum collectio non contingit duobus. Species vero addit differentiam partẽ ſuæ ſubſtantiæ: cuius ratione ſpecialis mentio de ipſa etiã cognitis generibus faciẽda eſt: vt intelligamus quam nã rationem addat (rerum enim naturas ſpeculamur) quo circa indiuiduũ non definitur, ſed omnis definitio eſt ſpeciei. Sed quæres, cur in prioribus deſcriptionibus ſpecies per genus definiatur: cum antea genus per ſpeciẽ definierimus? Videtur enim circulus in his definitionibus fieri, cũ crimen ſit, in definitionibus circulũ facere. Sed cauſſa eſt quod genus & ſpecies ſunt relatiua ſicut pater, & filius duplũ, & ſubduplũ: genus enim alicuius ſpeciei genus eſt, & ſpecies alicuius generis ſpecies eſt. Et in definiẽdis relatiuis nullum peccatũ eſt circulo vti: alterũ enim per alterũ correlatiuum ſufficienter definitur, & innoteſcit: vt fuſius in prædicamẽtis videbimus.

Igitur quid, atq; quotuplex ſit ſpecies, & genera: quid ſupremũ, quid mediũ, quid imum, ſatis dictum eſt.

¶ EXPOSITIO

APTISSIME per acto iam de genere, de ſpecie diſceremus. Ipſa enim ſpecifica natura ſui generis cognitionem præſupponit. Nec enim albedinem quis exacte cognoſcet, niſi eius genus præcognoſcat colorem. Species etiã eſt quid genere inferius. Vnde iure poſt illud tractabitur. Siquidem vniuerſaliora prius tractanda ſunt. Præterea (vt habetur in textu) genus, & ſpecies ſunt correlatiua: vt quemadmodum patrẽ eſſe, eſt genuiſſe, habereq; filium: & filium eſſe, genitum fuiſſe, habereq; patrem: ita genus eſt, ſpeciem continere: & ſpecies eſt, à genere contineri. Ex quo (vt in prædicamentis videbimus) mutuo ſeſe & relatiua definiunt, & ad cognoſcendum adiuuant. Scite ergo poſt generis ſermonem ſubnectimus ſpeciem.

¶ TRES AVTEM ſunt partes capituli. In prima acceptiones, & definitiones ſpeciei traduntur. In ſecunda diuiſio cum membrorum definitionibus, & arboris prædicamentalis diſpoſitione. In tertia duabus reſpõdetur obiectionibus: quarum altera eſt de indiuiduo: de quo proinde obiter diſputatur. Circa primam partem notato: quod quemadmodum nomen generis æquiuocum erat, ita & ſpeciei, eſtq; terminus primæ, ac ſecundæ intentionis. Significat enim vnius cuiuſq; figuram non in abſtracto ſed in concreto. Vnde triangulus, & circulus non dicuntur hoc pacto ſpecies: quia ſignificantur abſq; materia: ſpecies autem formam cuiuſlibet, & connotando forſam quod ſit decora, pulchraq; (nam de formis ſpecies, abuſiuè ſpecies dicitur.) Accipitur autem & primæ intentionaliter pluribus alijs modis, ſcilicet apud iuriſperitos pro re ſingulari: cum aiunt id ſi in ſpecie accidat: apud poëtas pro faciei aſpectu: quo quis animum vel hilaritate vel mærore oſtendit: apud phiſicos pro rei ſimilitudine in ſenſibus, & potentijs cognoſcentibus exiſtente. Sed harum, & ſimilium illius dumtaxat meminit, quod noſtræ dialecticali ſi-

milima sit, quæ pro natura sumitur, quæ ex genere, & differentia constat. Vt homo amplectẽs in se & animal, & rationale. Quæ vtrinsq; proinde est velut pulchritudo, & decor: vt pote totũ quoddam perfectum, & absolutum. Figura etiã & forma cathechizat indiuiduum: nam figura est terminus quantitatis. Ita species est quasi caracter generis ipsum perficiens. Vt enim absq; figura indiuiduum est res informis, atq; inuisa: ita genus extra speciem confusum quoddam ac indeterminatum: species vero determinat in se illud, & per propriam differentiam informat, & velut cathechizat. Species igitur logicaliter est, quæ sub certo genere immediatè collocatur. Ita enim necesse est subaudiatur. Alias competeret indiuiduo, vt pote sub genere pariter collocato. Nam vnumquodq; in prædicamentorum architectura sub sibi superiore locatur: genus vero est superius, & ad speciem, & ad indiuiduũ: & de vtroq; in quid prædicatur. At indiuiduum mediante specie: hac vero immediate continetur: quemadmodum & in prædicationibus inuenimus. Prius enim genus prædicatur de specie: quæ immediatius ad se genus trahit coarctando illud.

¶ AT CIRCA hanc definitionem, & integrum textum aduerte, quòd & si logica sit de secundis intentionibus, princeps intentio nostra in prædicabilibus & prædicamentis est, noße primas mediantibus secundis. Hæ vtiq; sunt velut formale. Sed quemadmodum forma obiecti visus est lux, at quando intuemur non tam lucem cernere quærimus, quam res alias mediante lucē: ita hic: quæ natura sit specifica quæ generica inuestigamus, non quid specieitas, quid genereitas, relationes rationis. Quo circa cum dupliciter de specie & genere tractari poßit. 1. de substractis & fundamentis quatenus substant intẽtionibus & de his ipsis intentionibus in se: hic agitur primo modo. Natura siquidem generica includit specificam, ad quam est in potentia, & specifica collocatur sub genere. Relationum vero nec generis est superior, nec speciei inferior, nec illa continens, nec hæc contenta, sed sunt correlatiua, & omnino æqualia. Sed nihilominus & illa consideratio est nobis formalißima, quia non inquirimus quid de se naturæ sint? sed quid habeãt? vt secundis subſtant. Et ita est q; nec animal foret genus, nec in potentia ad multas species, aut species sub illo collocarentur, nisi circa illa intellectus negociaretur. Itaq; etsi, secunda intentio in concreto definiatur, principaliter scire cupimus quid res per intentionem habeant. Igitur tres definitiones speciei in communi ponuntur. Prima, species est quæ sub aßignato genere collocatur: secunda, species est de qua genus in eo quod quid prædicatur quæ duabus limitationibus egent, nam tam ly collocatur, in prima: quàm ly prædicatur, in secunda intelligitur immediate, & directe, non ad latera. Primum propter indiuiduum (vt exposuimus) quod & cõtinetur, & subijcitur, sed mediante specie: directè propter differentias, quia diuisiuæ (vt videbimus) sub aßignato pariter genere disponuntur: sed ad latus, nõ in recta linea: quod appellamus directe collocari. Nec miretur quis, eiusdem rei coaceruentur definitiones. Quia cum sit relatiua, secundum multiplices respectus positiuos, vel priuatiuos & definitur multipliciter, & adhuc multiplicius definietur. Et bene hæ duæ definitiones præcedunt tertiam, quæ respicit indiuidua: quia primo species respicit genus, secundario singularia. Et quia primum vt pote naturalius, & essentialius omnibus conuenit: quod secundario competit, deficere potest. hinc est, quòd hæc tertia, descriptio. s. species est, quæ prædicatur de pluribus differentibus numero, in eo quod quid. Est propria speciei specialißimæ: tũ quod intelligitur præcisiue (idest) de pluribus differentibus tantum numero, non alia maiori differentia, sicuti, & præcedens generis de pluribus differentibus tantum specie (non rursus genere) quum quòd sub alternis non competit vllo modo prædicari de pluribus quatenus species, sed vt genera. Quod magnopere aduertendum reor. Nempe quod soli specialißimæ competit, prædicari de pluribus, vt species est: subalternis vero dumtaxat, vt species sunt, competit, subijci generi superiori, ab illoq; contineri. Nam quatenus inferiora respiciunt, genera sunt) vt ex definitione generis patet.) Et impoßibile est, quòd secundum idem, & genera, & species forent. Igitur subijci & prædicari imæ speciei vt sic conuenit: subalternis tantum subijci. Vnde hæc definitio speciei quæ per prædicationem datur, est specialißimæ propria.

¶ PRO MAIORI huius distinctionis intelligentia (quæ insinuamus speciem esse duplicem

sub

ſubalteenam, & ſpecialiſsimam) integra prædicamenti diſpoſitio commoſtratur, quæ eſt ſecunda pars textus. Vbi conſidera, quantum intellectus humanus profecerit, quantum valeat. Omnis enim hæc prædicamentorum fabrica adeo excelſa, atq; operoſa, opificium eſt mentis hominum genera, ſpecies, & differentias conſtituentis, & tam miro ordine vnumquodq; apto in loco diſponentis. In re nullum eſt genus, nulla ſpecies communis, nulla horum actualis diſtinctio. Quælibet res in ſe ſingularis conſiſtit, alteri incommunicabilis. Et nihilominus huiuſce architectura ingenioſa nec fuit pro libito ficta, aut caſuali euentu reperta: ſed in rerum ratione ad inuenta, fundamentum habens naturam. Ita vt ſuper ingenium primæ cauſæ cuncta creantis aptiſsimèq; locantis ſuper ædificaſſe, videamur. Fuit autem fundamentum rerum conuenientia, & differentia proſpecta. V. g. aſsimilantur in natura humana homines: per quam à cæteris animalibus differunt: & ita plurima animalium congregationes vt omnes equi, omnes leones. Tales naturas intellectus fecit ſpecies, & differentias: quod quidem in omni ſpecie, & genere inuenit. Nempe & in qua plura indiuidua conuenirent per quodq; à cæteris differrent. Rurſus hæc conuenientia, & differentia habet multos gradus: in quibus neceſſe eſt, vt quantum conuenientia creuerit, differentia decreſcat. Nã cum ſint oppoſita, quo pacto in ſummo ſimul gradu erũt. vnae ſunt quædam in multis conuenientia, in paucis differentia, & è conuerſo. Quod diuerſorum generum eiuſdem prædicamenti origo ſtetit. Nam à pluribus conuenientiæ gradibus propinquiora genera ſumuntur: à paucioribus remota. Vt homo & leo in omnibus fere coẽunt ſcilicet in vita ſenſitiua, vegetatiua, in corporea & exiſtente (quam appellamus ſubſtantiam) tãtum in vno differunt. ſ. in proprio & differẽtiali vnius cuiuſq;. Ideo ſinguli ſunt ſpecies, & habent animal genus propinquum. Quibus gradibus, ſi quem adimas, genus remotum conſtitues. Vt homo, & animalia cum arboribus non in ſenſu, ſed in vegetatione cõueniunt: ita ſit viuens genus ſuperius. Sed rurſus cum corporibus nec in vegetatione ſed in corporea mole aſsimilantur: vnde reſultat corpus, adhuc & remotius animalibus & ſuperius viuente. Cum ergo hæc fuerint prædicamentorum fundamenta per eadem ſi proceſseris (vt à nobis inſinuata ſunt) poteris nullo fere negocio, non modo hoc ꝑdicamentum, ſed cætera callere, atq; luſtrare. In quibus ſingulis quatuor reperiuntur genus ſupremum, ſpecies infimæ, media in recta linea, et ad latera differentiæ. De quibus in ſubſequenti capitulo: de prioribus tribus in præſenti tractatur. Genus igitur ſupremum bifarie definitur 1. quòd cum ſit genus non habet ſuper ſe aliud genus. Secundo, quòd cum ſit genus non poteſt eſſe ſpecies. Vbi ſcito, quòd non definitur hic genus ſupremum vt genus (hoc enim capitulo præcedenti actum eſt) ſed vt ſupremum: quod cum ſit vltimum probe per negationem deſcribitur. Eodem tramite & imæ ſpecies præter definitionem priorem (qua vt ſpecies abſolutè deſcribuntur. ſ. quòd prædicantur de pluribus differentibus numero) dupliciter itidem hic vt infimæ definiuntur: nempe quòd cum ſit ſpecies non poteſt eſſe genus. Secundo quòd cum ſit ſpecies rurſus in alias ſpecies nõ diuiditur. Conditiones ambæ ex inferioritate ſpeciei apertiſsimè dimanãtes, & omnino alterius extremi. ſ. generis ſupremi qualitatibus oppoſitæ. Per quas ambo extrema patenter à medijs differunt vtrunq; reſpectũ amplectẽtibus. In quibus omnibus deſcriptionibus tam ſupremi generis quàm infimæ ſpeciei, & affirmatio ponitur vna & altera negatio: quia per puram negationem nihil probe vnquam definitur. Media ergo ſupereſt ſint, quæ cum ſint ſpecies, poſſunt eſſe genera: & rurſuſquæ cũ ſint ſpecies, in alias diuidũtur ſpecier. Sed rogas cur indiuidua nõ ſunt prædicamenti alterum extremum potius quàm ſpecies? Hæc eſt penultima pars afferẽs naturam indiuiduorum vt ſic tractandam: rem non facilem cognitu: quam propterea opus eſt, lucide tradere, conemur.

¶ PRIMO notãdum eſt multa eſſe rerum ſingulariũ nomina communia in philoſophia præter propria vt Socrates, Plato, Alcibiades. ſ. ſingulare indiuiduum, prima ſubſtãtia perſona, hypoſtaſis, ſuppoſitũ. Ex quibus duo priora in præſentiarum dumtaxat expẽdemus: cætera in prædicamento ſubſtantiæ declarabũtur. Singulare dicĩtur vnaquæq; res ad ſuum vniuerſale relata. Et quia vniuerſalia. ſ. ſpecies & genera inueniũtur & in ſubſtãtijs & in accidentibus: ſingulare pariter commune nomẽ eſt rebus particularibus vtriuſq; generis ſcilicet ſubſtantiæ, & accidẽtis

dẽtis

dentis:vt Petrus est singularis, & hæc albedo, ista quantitas. Quinimo quia relatiue singulare ad vniuersale dicitur & speciebus præcipuè imis genera sunt vniuersalia: species etiam nonnunquam inter philosophos singularia appellantur, sed frequentius, & absolutius contenta sub imis singularia iure optimo vocantur. Indiuiduum est nomen earundem rerum singularium, maximè prædicamenti substantiæ eas significans quatenus sunt, ita singularissimæ, & infimæ, vt magis singulares, vel inferiores non sint vllæ. Significat demum, eas sic esse singulares, vt nihil vniuersalitatis habeant. Nam hoc est proprium vniuersalis, vt possit, diuidi in sua singularia: indiuiduum autem dicit negationem omnimodam huius diuisionis, vt Petrus est indiuiduum. i. nullo modo in alios homines diuisibilis. Est autem duplex diuisio, alia totius integralis in partes quoq; integrales: quæ alio nomine diuisio continui in partes vocatur, vt Socrates in manus, caput, pedes, & ventrem, aliasq; similes: alia superioris per inferiora, seu vniuersalis (quod idem est) per particularia. Indiuiduum vero dicit negationem non illius diuisionis primæ, sed huius secundæ. Dixi, præsertim prædicamenti substantiæ, quia vsus obtinet, vt hæc tãtũmodo indiuidua, appellentur, vt pote potiora entia & per se existentia. Sed reipsa non est cur aliorum prædicamentorum singularia nõ vocentur, sintq; indiuidua. Quia suo modo indiuisibile est hoc albũ in alia alba, sicut hic homo in alios homines vnde vtriusq; generis exempla Porphyrius subiungit dicẽs vt Socrates, & hoc album Itaq; Petrus dicitur singularis, quia habet vniuersale: indiuiduum, quia non habet sub se alios singulares. Vnde illud est nomen positiuum: hoc negatiuum. At duplex est indiuiduatio altera formalis quæ est hæc diuisionis negatio de qua hactenus altera fundamentalis, quæ & physica nuncupatur prior vero logicalis: illa est quod est ratio & caussa cur Petrus, & cætera indiuidua sint & incommunicabilia & indiuisibilia. In accidentibus quidem actualis inhærentia tali subiecto est, & indiuiduatio ipsorum physica & ratio cur alteri conuenire non possint. In substantiis vero est quædam (vt dicunt) proprietatũ collectio, quæ non reperietur simul in duobus. Sicut enim singulæ species habent suas proprietates omnem talem naturam vbiq; comitantes, ita & indiuidua. In hominibus solent hæ proprietates hoc carmine signari. Forma, figura, locus, tempus, cum nomine, sanguis, patria. sunt septem quæ non habet vnus & alter. Nomine formæ dispositio membrorum, color, & decor. Figura est terminus quantitatis vniuscuiusq;. Quæ duo (vt exposuimus) nomen speciei amplectitur. Locus in quo quis genitus est: quod supra genus appellatur. Hæ proprietates non est hactenus repertum vt duobus eædem sint communes: sed si cõueniunt in vna vel altera puta in nomine & loco: differunt in aliis: ad differentiam illarum proprietatum speciei quæ omnibus pariter vniuersales sunt. Ergo de eis generaliter quæstio in textu mouetur, quare non sunt extrema prædicamenti, cum sint inferiora speciebus. Cuius ratio triplex apprimè considerãda redditur. Prima quòd sint infinita, nos autem infinita scire nõ possumus. In se quidem omnia finita sunt extra deum enim omnipotentem, infinitaq;, & virtutis, & naturæ, nihil est non numero, pondere, & mensura limitatum, non modo quæ nunc existunt, sed si quotquot præcesserunt, & subsequentura sunt, in vnum congeras, certa, determinataq; sunt: respectu tamen scientiæ infinita sunt. Quia nõ dantur tot, quin possint dari plura. Nec oportet nos admiraculum appellare (nec sobrium est & multo minus eruditum, vbi rerum naturas speculamur naturæ terminos trãscendere) sed naturaliter non repugnat, plura esse. Multiplicantur enim indiuidua per caussas accidentales ratione proprietatum, & accidentium: quæ autem sunt per accidẽs in infinitum abire possunt: vnde nulla est caussa de per se in natura cessationis: vel multiplicationis. Species vero repugnat, sine limite natura multiplicet. Multiplicãtur enim per gradus essentiales, & differentias substãtiales, quos natura à sui auctore cõstitutos, præfixosq; supponit. Prima caussa, species, & genera, cõdidit, & rebus constitutis sui multiplicationem, & incrementum indixit, atq; cõcessit. vt ipse naturæ progressus attestatur. Vnumquodq; enim generat sibi simile, nõ modò in specie, sed si posset in indiuiduo. Et dicimus quòd natura intẽdit conseruare speciem in indiuiduis. Quòd si sæpe intẽtio indiuidui frustretur: nec sibi omnino simile producat: intẽtio naturæ rarissimè defraudatur, & sic idem in specie gignitur. Hoc et scriptura. i. genesis asserit,

& ratio

& rationem physicam proprißimam docet. Germinet (inquit) iußisse deum, terra herbam virentem & facientem semen, & lignum pomiferũ faciens fructum iuxta genus suum (idest) secundum suam naturam. Nomen siquidem generis pro specie in similibus non rarò sumitur, vt genus hominum. Et factum est (ait) ita: & protulit terra herbam virentem, & facientem semen iuxta genus suum, lignumq; faciens fructum: et habens vnumquodq; sementem secundum speciẽ suam. Ecce quod antedixerat, secundum genus suum, hic explicat dicens iuxta speciem suam. Creauit in super deus cete grandia, & omnem animam viuentem, atq; mobilem quam produxerant aquæ in species suas, & omne volatile secundum genus suum. Et vidit deus quòd esset bonum, benedixitq; eis, dicens, crescite, & multiplicamini & replete aquas maris, & aues multiplicentur super terram. Itaq; creauit species, & indiuiduis agentibus sui multiplicationem iniũxit. Cuius ratio etiam optima colligitur: nempe quòd cum principium generationis sit semen, quòd est in omnibus secundum speciem suam, non potest non simile in specie generanti producinisi natura peccet, atq; deficiat, & tunc germinat quam proximum. Quam rationem (si volumus) possumus hac confirmatione munire, nẽpe quòd in prædicamẽtis ea disponuntur, de quibus scientiæ & disciplinæ sunt: indiuidua vero non sunt apta sciri. Scientia enim est certißima cognitio, & ita verißima, vt violari eius veritas non poßit. Vnde necesse est, agat de rebus, quæ aliter se habere non poßint. Quia ab eo quòd res est, vel non est propositio vbiq; est vera, vel falsa. Vnde res quæ licet modo sint, & tales sint quæ poßunt & non esse, sciri, non poßunt. Quoniam contingẽs pariter & huius scientiæ veritas foret, ac defectibus obnoxia: quo nihil est sciẽtiæ naturæ repugnantius. Talia sunt autem nostra indiuidua mutationi, & omnino corruptioni subiecta, mancipataq;. Secunda ratio quia nõ est prædicabile. Et quidem cum duplex, aut triplex indiuiduum sit, si ex suppositione singulare admittitur. Hæc ratio solum de proprijs intelligitur, sicut præcedẽs dumtaxat de generabilibus: non de incorruptibilibus currebat. Cur autem indiuiduum non sit prædicabile, quæstione superiori patuit: nihil enim de subiecto manifestat. Tertia ratio est vniuersalißima de omnibus, simul & verißima. Nempe quòd nullam aliam essentiam indiuidua præter specificam habent. Primo in substantiæ indiuiduis quicquid reperitur, vel est accidẽs, vel substantia. Accidens non potest esse de essentia substantiæ: si substantia nõ potest esse nisi materia, & forma, vel vtraq; simul, quæ omnia sunt natura speciei. Adhæc quẽadmodum species est specialißima: ita & differẽtia substantialis debet esse specialißima: vt pote ambæ conuertibiles, atq; æquales. Nullus ergo gradus differentiæ substantialis est sub specialißima differentia, & per consequens præter specificã nõ habent aliã essentiam indiuidua. Tertio (vt in capite subsequenti videbimus) indiuidua nõ poßunt differre, nisi vel propriè, vel communiter, non proprißimè. Illæ priores sunt differentiæ accidentales, hæc essentialis: ergo non habent singula differentiam essentialem. Vnde & solum numero differre censentur (vt ex definitione speciei deducitur) Vltimo genus (vt est apud philosophos etiam in prouerbium) & principium diuiditur formaliter, species materialiter (idest) genus per differentias formales, quibus constituuntur species. At multiplicantur indiuidua differentijs materialibus tenentibus se ex parte materiæ, ergo indiuidua nullam differentiam essentialem peculiarem habent. Quia differentia essentialis semper est formalis. Sed in cõtrarium agit: primo quòd sicut Petrus in quantum homo est animal rationale, in quantum Petrus aliquid vltra debet, esse. Id autem quod vnumquodq; est, quatenus tale est: natura illius est. Respondemus, ꝙ Petrus, & homo nõ differunt nisi ratione penes signatum, & non signatum: ideo vt inquantum homo, est animal rationale: ita vt Petrus, est hoc animal rationale. Quod quidem super illud nihil addit, præter proprietates indiuiduãtes, quæ sunt accidentia. Sed replicatur, doctores communiter dicunt, ꝙ indiuiduum addit materiam signatam, quam in nobis vocãt has carnes, & hæc ossa quæ (vt constat) ad substantiã rei pertinent. Circa hanc obiectionem notato, quòd duplex ponitur à philosophis materia: speciei scilicet & indiuiduum. Illa in animalibus est corpus organicum in potẽtia vitam habẽs, caro scilicet & oßa: secundũ vero est hæc caro, & hæc oßa. Sed nullo modo debẽt existimari realiter differre: sed tãtum ratione. Nam nõ poßũt duæ eße in vno materiæ: quia oporteret totidem

esse formas. Nec vnquam quispiam ratus est, duas sibi adesse carnes, duplicia ossa. Sed cum species ad sui consistentiam, & integritatem materiam postulet, nec tamen postulet hãc tantam, aut qualem, Illefonsi vel Francisci (aliàs in alijs esse non posset) Illefonsus vero, & Fräcisculo exigunt istas: vocant speciei materiam carnem, nõ qualificando, aut modificando illam: indiuidui vero hanc, quantitatis tali mensura, & qualitatis cathecbizatam. Sed hæc caro, & hæc ossa, cũ constet palam, quòd sunt caro, & ossa: patet euidenter, materiam indiuidui esse realiter materiã speciei: solummodoq; penes signatum & non signatum differre. Sicut definitio & definitum solum differunt penes maiorem, vel minorem expressionem. Indiuidua vero accidentium cũ sint formæ simplices, euidentius est multo in illis nostrum intentum. Igitur verissime dictum est non habere indiuidua nouam præter specificam naturam, quæ sit definibilis: ac per consequens non est cur speciebus cognitis nouus sermo, nouaq; definitio de indiuiduis adhibeatur. Speciei definitio est propria indiuiduorum: licet singulorum sit inadæquata. Ex quo demum concluditur, quòd omnis definitio est speciei.

VTRVM TEXTVS speciei verum habeat.

CONTRA primam, & secundam definitiones arguitur. Potius videntur veræ propositiones, quàm bonæ definitiones: vbi nulla quidditas speciei explicatur. Nam species vt sic, est vniuersalis. At vniuersali, etiam tali non conuenit, subijci: sed taliter prædicari. Et confirmatur. Hic agimus de prædicabilibus: ergo nõ de subiectis: non ergo impræsentiarum hoc pacto species definienda est. Secũdo contra tertiam definitionem, Michael, & singulæ substantiæ abstractæ sunt species existentes. Vt pote quæ per accidentia nõ possunt multiplicari. Quinimo etiam in rebus incorruptibilibus corporeis singulæ constituunt speciem. Vt sol differt ab omnibus alijs sideribus specie: & tamen non possunt prædicari de multis differentibus numero: vt pote quæ tantum vnum indiuiduum habere possint. Tertio contra omnes simul definitiones arguitur. Inuoluunt cõtradictionem: ergo. Añs probatur. Contrarij respectus non possunt esse rei vnius natura, tametsi eidem simul in esse queant. hic vero vtrobiq; definitur species vt sic: & tamen in duabus explicatur respectus inferioris. s. quòd sub assignato genere collocatur: in tertia superioris: sane quod prædicatur de pluribus: ergo vel neuter est quidditas speciei, vel saltem alter: cum vtrũq; esse nõ possit. Quarto in id quod indiuiduum non diffinitur. Porphyrius definit, dupliciter illud: scilicet indiuiduum est cuius proprietatum collectio non contingit duobus. Et rursus indiuiduum est quòd in alia inferiora non est diuisibile: ergo. Confirmatur quia indiuiduis sunt multa nomina communia (vt in expositione diximus) ergo significant aliquas ipsorum rationes, & per consequẽs habent definitionem. Definitio enim rei est ratio significata per eius nomẽ. Et cõfirmatur secundo: hic non definiuntur species secundum suas naturas, sed prout substant intentioni: sed indiuidua pariter substant intentioni suæ: ergo nõ est, cur in præsenti indefinibilia dicantur. Vltimo in id quòd omnis definitio est speciei. In præcedenti capite definitur genus vt sic. Vt pote cum natura generis exprimatur ergo:

¶ DVO ERVNT huius quæstionis articuli: in primo gradus, & qualitas definitionis discutietur: in secundo argumenta diluentur: Circa primum nulla nobis de definito concertatio ineunda est: sed eisdem regulis, quibus, præcedens generis definitum constituimus: et præsens (imo omnium prædicabilium definitionum) cõstituendum est. Nempe vt secunda intentio definiatur: & nihilominus definitio de substracto verificetur. Vt sicut significat, definiatur. Ait enim D. S. quòd connotatiua aliud significãt, aliud est, pro quo supponunt. De bonitate definitionis, & gradu inter viros doctos ambigitur, sit ne quidditatiua, an discretiua. Vbi notandum quòd definitio (vt in summulis diximus) est oratio rei naturam exponẽs. At in re qualibet creata duo inueniuntur. Idest quidditas vt in homine humanitas, in albedine color: & accidentia siue propria, siue communia. Vnde dupliciter res cognoscitur scilicet aut per suam essentiam, quæ est perfecta rei cognitio, proindeq; rara (naturæ enim rerum vt in plurimum, nobis ignotæ sunt.) Nam & si genera rerum facile dignoscamus: differentias tamen quæ essentiam complẽt, rarissime per se capimus, sed per accidẽtia, quæ sunt manifestiora.

Nam

Nam vnumquodq; dignoſcitur, aut per ea quæ eſt, aut per quæ habet. Et quia definitio eſt per quam vnaquaq; res intelligitur: duplex itidem eſt: quidditatiua ſcilicet & deſcriptiua. Illa eſt, quæ explicat veram rei quidditatem, hæc vero, quæ per accidentia propria rem manifeſtat.
Nam communia: ex hoc ipſo quòd communia inepta ſunt ad ſubiectum manifeſtandum: at rei natura dupliciter conſideratur, ſanè phiſicè & metaphiſicè. Primo modo quando vt in ſe ſunt, conſideratur. Vnaquæq; vero res creata, præſertim naturalis conſtat ex materia, & forma. Vnde cùm ſic quoq; res definiuntur, ſcilicet per materiam & formã, eſt definitio quidditatiua quidem, ſed phiſica: vt homo eſt quoddam cõpoſitũ ex anima, & corpore organico. Quãdo vero per genus & differentiam, eſt pariter quidditatiua, ſed metaphiſica: dummodo vt bona ſit, detur per genus propinquum, non per remotum. Enim vero cum definitio quidditatiua debeat omnem integramq; naturam definiti continere, aliquot gradus ſilerentur: ſi per remotum aſſignatur.
Hi ſcilicet qui inferioris generis proprij ſunt. Vt ſi dicas, homo eſt viuens rationale, relinquitur gradus ſenſibilis: qui actu nec in rationali ſignificatur, nec in viuenti. Sicut ergo diximus, duplicem eſſe compoſitionem, duplicesq; partes logicas, & phiſicas: ita duplex eſt definitio quidditatiua. Quoniam hæc datur per partes eſſentiales. Quarum quæcunq; deficiat, vergit in deſcriptiuam. Vnde triplex deſcriptio inuenitur prima cum non proprium genus aſſignatur, ſed aliquid loco illius. Vt terminus eſt vox ſignificatiua ad placitum: cum vox re vera non ſit genus, ad terminum, ſed ſubiectum, vel materia. Secunda cũ proprium genus inſeritur: haud tamen vera & eſſentialis differentia: vt homo eſt animal admiratiuum. Tertia cum nullas partes eſſentiales habet, ſed proprietates. Vnde colliges patenter quã magnopere notitia prædicabilium conferat. Vel ad definitiones conſtitutas dignoſcendas, vel ad eaſdem probè conſtituendas. At is modus definitionem eiuſq; diuiſionem exponendi eſt optimus vt pote qui ab omnibus ſuſcipitur: & à nemine iure reyci, aut contemni poteſt. Alij vero alio pergentes explicant eandem ſententiam aſſertionibus ſæpius falſis, nedum dubijs. Aiunt, opus fore, ne quidditatiua detur per quid extrinſecũ. Secundo vt quæcunq; poſita fuerint in recto prædicentur de definito. Tertio vt poſita identificentur ſingula eſſentialiter cum definito. Sed nec hæ conditiones quidditatiuam conſtituunt: nec ſi altera deficiat, ideo erit deſcriptiua. Primo hæc eſt quidditatiua homo eſt animal conſtans ex anima rationali & corpore organico: & tamen anima vt pote pars nec prædicatur de homine in recto, nec identificatur eſſentialiter cum illo. Secundo non eſt negandum, quin accidentia vt pote vera entia habeant quidditates ſuas, & per conſequens definitiones quidditatiuas: inter quæ tamẽ ſunt quædam, quorũ totũ eſſe eſt ad aliud. Ordo ergo ad aliud eſt de quidditate multorum. Ergo definitio id explicans, quidditatiua erit: quod tamen non poteſt explicare, ni aliud illud exprimat. Vt pater eſt animal habens filium.
Quod nimirum aliud, non eſt de eſſentia rei: ſed terminus correlatiuus. Hi vero ita obſtinanter illas conditiones requiſitas opinantur: vt contendant contra omnes graues philoſophos, non eſſe relatiua per ſuos terminos definienda. Sed quid de potentijs, habitibusq; dicent maximè de proprijs accidentibus: quæ neceſſario debent in ordine ad aliud definiri, quantumcunq; quidditatiue definiantur. Nam qualiſcunq; vnius cuiuſq; natura eſt, talis debet eſſe definitio. Cum ergo harum rerum natura cunſiſtat in ordine ad aliud: non poteſt melius habitus definiri, quàm in ordine ad actus: & potentia ad obiectum: & propria paſſio per ſubiectum. Præterea definitio datur innoteſcendi cauſſa (eſt enim modus ſciendi) ſed ſicut res ſe habet ad eſſe, ita ad cognoſci: ergo ſi eſt in ordine ad aliud: ita & cognoſcenda, & definienda eſt. Vnde ſapienter (vt pleræq;) Caietanus docuit eſſe aliquid intrinſecum nonnunquam definitioni, & tamen extrinſecum definito ſcilicet hoc aliud: ad quod diffinitum ordinem dicit: qui ordo ſine extremo non intelligeretur. Et cũ oporteat ſic rem definiri, vt non modo definitio intelligatur, ſed multo clarius, & diſtinctius explicet naturam, quam diffinitum: ſequitur, debere, extremum continere. Propterea arbitror rectius, veriuſq; à nobis conſtitutum quid ſit definitio, & quotuplex: vt pote quæ à nemine non concedentur. Quibus ſuppoſitis quæritur quales nam præcedentes ſpeciei, & generis deſfinitiones cenſeantur? Et videntur deſcriptiuæ maxime hæc tertia, quæ tamen eſt principalis: nempe quæ prædicatur de multis differentibus numero. Etenim vniuerſale

nersale per has quinq; prædicabiliū species partitur: natura tamen vniuersalis non est prædicabile esse, sed tātū proprium illius. Est enim vniuersale, primo vnum in multis (idest) natura pluribus vniuocè communis. vnde emanat de multis prædicetur: sicut ex rationali admiratiuum esse. Præsertim quòd vtcunq; species consideretur siue respectu generis, siue indiuiduorum non est ratio eius prædicari (vt constat.) Ita fere omnes tenent hanc, & praecedentem generis descriptiuas esse: nec opus est de his intentionibus meliores inuestigare: sed vt sufficit ad cognoscendum. Forsan facile aßignari quidditatiua possunt, si dicamus genus est vniuersale quod est in multis differentibus specie. Et species vniuersale multis differentibus numero. Quanquam congruentius est in logica per prædicari definiantur: vt pote nobis propius, & notius. Sed est ambiguum cum hic species, & vt refertur ad genus, & vt indiuidua respicit, describatur: vter horum respectuum illi essentialior est, & naturalior. Non potest primo responderi ex æquo vtrunq; conuenire: cum respectus sint omnino oppositi: alter inferioris, alter superioris. Tales autem & si hærere, queant vni, naturam tamen vnius esse non possunt: cum ipsi respectiue totaliter differant specie: nec vt partes concurrant. Nec potest quis pariter existimare esse potius vnum, eundemq; respectum, quo ad vtrunq; refertur: sicut filius ad matrem & patrem: & velut medium ad principium, agēs, & finem. Nam parentes faciunt, & concurrunt ad generationem: vt vnum principium integrum, & totale, & inter se, vt materia, & forma cōbinantur: & ideo vnum extremum filiationi cōstituūt. Idem proportionaliter posset forte de medio teneri. At indiuidua & genus nullo modo vt vnum ad speciem concurrunt, sed disparatè. Vna autem relatio non potest, ad disparatos terminos finiri. Igitur hac distinctione arbitror respondendum: si species secundum suam naturam consideretur: naturalius est ei, generi cōparari: quia genus est formalißime ipsius extremū. Species enim est generis species: & genus alicuius speciei genus. Non ita aßignatur probe per indiuiduū. Præterea id existimandum est, iure naturam vnius cuiusq; esse, quod omnibus indiuiduis competit, non quod quibusdam: omnibus autem speciebus siue specialißimis, siue subalternis competit contineri à genere. Prædicari vero nullo modo subalternis speciebus, vt species sunt cōpetit, sed vt genera Igitur natura speciei in relatione ad genus consistit. Et quemadmodum genus immediatius respicit species, & nihilominus mediātibus illis habet pariter indiuidua, ita species directè genus, & secundario habebit singularia. Confirmatur primo quia hoc scilicet contineri ab genere seu ad illud referri palam omnibus conuenit. prædicari de pluribus nec imis ita apertè conuenit: cum (vt statim videbimus) multæ sint species, quæ (vt opinatur) vnicum dumtaxat possunt habere indiuiduum. Secundo confirmatur, quia species dicitur ab specificādo quæ tamē non specificat (vt in commento docuimus) singularia sed genus, istudq; cathechizat; ergo genus species immediatißime respicit. At species vt à nobis hic consideratur scilicet vt vniuersale, naturalius est indiuidua respicere, & prædicabile esse. Probatur, quia relatio vniuersalis semper est respectus superioris: inferioris potius est oppositus. Vnde neq, potest esse is respectus .s. pdicari differentia speciei, prout continetur ab genere. Posset enim quis fingere quòd respicere genus, foret genus speciebus, & prædicari de indiuiduis differētia. At cū sit oppositus priori nullatenus potest illum quasi vniuersaliorem cōtrahere. Secundo nos hic in vniuersalibus haud omnia tractamus: sed hanc dumtaxat proprietatem, quæ est prædicabilitas. Hæc autem competit speciei immediate, vt refertur ad indiuidua, non ad genus. Quoniam ad istud habitudinem potius dicit subiecti: quàm prædicati. Ex quo sequuntur duo corollaria. Primum est, priores definitiones esse essentiales. s. definitio: hæc vero tertia descriptiua. Secundum quod hæc descriptiua est, nihilominus hic principalior: quia tractamus de specie, secūdū quòd prædicabilis, & vniuersalis. Nec mirū est descriptiua de se, in aliqua disciplina sit præstantior: vt pote si disciplina illa, nō quidditatem rei considerat, sed proprietatem. Quod maxime logicis contingit. Vt in prædicamento quantitatis tractat eam secundum rationem mensuræ: quæ non est eius quidditas sed paßio. Hactenus de articulo primo.

¶ CIRCA secundum respondetur quæstioni affirmatiue. Ad primum vero argumentum satis multum superius respondimus. Pro solutione secundi notato. Iam diu inter philosophos insignes theologasq; doctißimos controuersum esse,

an

an in ſubſtantijs abſtractis quot ſunt indiuidua tot ſint ſpecies? quod in præſenti diſcutere nullatenus expedit. Sed nos partem affirmatiuam cũ S.Tho. ſupponamus. Maximeq; quicquid huius diſceptationis verum ſit, difficultatem noſtræ definitioni non adimit: cum manifeſtiſsime in corporibus cœleſtibus ſingularum ſpecierum ſingula indiuidua dumtaxat exſiſtant. Sicut enim ſol inter latinos ſolus eſt in oliuta in cœleſtibus in ſua ſpecie ſolus eſt. Difficultas ergo eſt quomodo de ſimilibus definitio verificetur. Ratio vero & cauſſa huius differentiæ (quòd quædam. ſ. ſpecies plura habeant indiuidua, quædam vnum tantũmodo ſortiantur) hæc videtur. Quòd intentio naturæ eſt rerum ſpecies: propter quarum conſeruationem indiuidua producit: vnde quaſi media ſunt indiuidua ad ſpecies: ac proinde ſecundum exigentiam finis generantur. Ratio enim & multitudo mediorum ex fine colligitur. Quo circa ſi ſpecies poteſt perpetuo in vno indiuiduo manere: non decet naturam (quæ nihil facit fruſtra) ſolicitam eſſe, plura generare. Sic incorruptibilia indiuidua ſingula, ſingula ſpecies cenſentur. Ita videmus quòd quia quædam ſunt incorruptibilia omnino vt cœleſtia: quædam incorruptibilia ſecundum ſe totum, vt elementa (quis? enim poteſt integrum elementum ignis, aut aëris corrumpere) quæ ſunt tamen corruptibilia ſecundum partem: & ita ea non niſi partialiter natura multiplicat: quia eo modo ſe habet generatio, ſicat & corruptio. Indiuiduorum vero penitus corruptibilium multa ſingularum ſpecierum producuntur, vt perpetua generationis ſerie ſpecies illibata ſuperſit. Ex quo patet, quam per accidens ſit, ſpecies quæpiam plura actu habeat indiuidua. Vnde merito à viris eruditis inquiritur, quo pacto hæc definitio & per ſe definito competat, & cum illo ſit conuertibilis? Secundo inquirũt quanam ratione intellectus noſter potuit maxime hac definitione imbutus, in ſimilibus indiuiduis omnino incorruptibilibus ſpeciem dignoſcere, in qua non multa indiuidua conuenire cernebat, imo conuenire multa non poſſe. Circa primum forſan Porphyrius in naturas rerum corruptibilium verſatus ſpeciem definiuit, prout generabilibus conueniebat. Nec decuit, qui tirones nũc denuo logicam aggredientes docebat, inſtruebatq; ſubſtantias illas abſtractas, aut cœleſtia reſpicere. Secundo dicimus, q̃ habere actu multa, ſeu prædicari de multis, non eſt natura ſpeciei: ſed poſſe habere, ſeu prædicari: quia verba in difinitione non dicunt actum, ſed aptitudinem. Et poſſe, contingit dupliciter phiſicè videlicet, & logicè. Potentia phiſica eſt poſitiua aliqua virtus, qua quid poteſt agere, vel pati: vt habens oculos cum dormit, poteſt videre phiſicè: quia habet poſitiuam virtutem cernendi. Potentia vero logica eſt quædam non repugnantia ad aliquid. Vt homo cæcus non poteſt phiſice videre, poteſt tamen logicaliter: quia ei non repugnat. Definitiones ergo logicales cum non ſecundum actum, ſed aptitudinem intelligendæ ſint, congruè de aptitudine logicali interprætabuntur. Senſus igitur eſt quòd ſpeciei non repugnat de pluribus differentibus numero prædicari: & generi de differentibus ſpecie. Hoc autem vniuerſale eſt omnibus ſpeciebus. Nam quæcunq; natura abſtracta eſt indifferẽs. Omnis autẽ ratio ſpeciei in ſe abſtracta eſt: quid enim eſt abſtractum eſſe in ſubſtantia, niſi proprietates indiuidui & exiſtentiam exui? quæ omnia ratio ſpeciei non includit in ſe. Cum ergo hæc impediant. ſ. proprietates & exiſtentia nec natura exiſtens communis ſit: ſequitur hinc eductam nullum habere obſtaculum, quo minus ſit communis, & per conſequens ei minime repugnare. licet phiſice non poſsit indiuidua habere. In quo ſenſu loquitur d.Th. cum dicit impoſsibile fore vt duo angeli ſint eiuſdem ſpeciei (id eſt) quòd natura in ſe non habet diſpoſitionem, vnde multiplicentur: at per intellectum abſtractæ indifferentes ſunt ad plura. Circa ſecundum ſane vt intellectus cognouit tales naturas ſpecificas eſſe, non indiuiduales. Primo patẽter illis prima & ſecunda definitio conuenit. Secundo cum duo ſint regulariter in ſpecie. ſ. quòd multa cõueniũt in illa, & quòd illa multa differant, eſſentialiter ab alijs ſpeciebus, earumq; indiuiduis cognoſcitur facile aliqua natura ſpecifica vel quia multa differentia numero conueniunt in ea: vel quia hoc indiuiduum differt eſſentialiter à quocunq; alio. Nam tantum ſpecifica differentia eſſentialis eſt, non indiuidualis. Quinimo proprius eſt ſpeciei tribuere indiuiduo per quod differat eſſentialiter ab alijs reliquarum ſpecierum indiuiduis, quam quòd multa in ſe conueniant. Quia differentiam habet poſitiue & eſſentialiter: conuenientiam negatiue. ſ. non repugnantiam & per intellectum. Vnde nulla eſt difficultas in duo

bus indiuiduis duas species agnoscere non modo in spiritalibus, sed multo manifestius incorruptibilibus: vt in vno equo assignato, & vno elephante. Ad argumentum ergo secundũ negatur minor.

¶ *AD TERTIVM dicitur, quòd secundum diuersas cõsiderationes possunt diuersi respectus non modo conuenire, sed esse naturales (vt exposuimus.) Circa quartum nota quod indiuiduum potest considerari primè & secundè intentionaliter. Et quidem hoc pacto bene definiuntur, vt pote quæ in secunda intentione (vt argumentum contendit) bene cõueniunt. Sic indiuiduum est quod cum speciei subijciatur, in alia inferiora non potest diuidi. At primè intentionaliter non est definibile. Cuius signum est: quòd sic capta tantum habent nomen proprium vniuocũ. Si duobus vero nomen commune est, æquiuocũ est, vnde illa nomina adducta secundæ intentionis sunt: ideo in nulla harum definitionum primè intentionaliter sumuntur cũ nomina hic definita cunctis cõmunia sint. Et ratio est, quòd quæ addit indiuiduũ super speciem, nõ spectãt ad substantiã. Quare in re illa oratio, indiuiduum est cuius proprietatũ collectio nõ cõtingit duobus, quæ de indiuiduo secundũ suum esse naturale primè intẽtionaliter agit, vera quidem propositio est, non bona definitio. Specifica aũt natura potius & melius definitur è cõtrario primè intẽtionaliter quã secundè. & in hoc positũ est in textu discrimen: vt multo melius exponitur, quid homo, & equus sint secundum suas quidditates quam vt species sunt. Petrus vero melius definitur vt indiuiduum est quam vt Petrus: adeo vt quatenus indiuiduum sit definibile, quatenus Petrus vero communiter iudicetur per omnes indefinibilis. At circa vltimum argumentum ratio huius axiomatis ea videtur, esse: quòd cum definitum definiatur per suum genus, & differentiam, & respectu sui generis definitum semper sit species (etenim & subalterna ad superiora relata species sunt non genera) ita omnis definitio erit speciei (idest) definitum respectu definitionis ratione generis illic inserti est, et sumitur, vt species. Vnde & cum genus capitulo præcedenti definitur, si definitioni comparetur, vt species vniuersalis, seu prædicabilis ipsummet genus capitur. Secundo & eodem recidit: non intelligitur quod omnis definitio debet esse de specie vt sic. Alias omnis definitio foret semper de secundis intentionibus: sed quòd definitum debet esse natura specifica. Quando ergo definitur genus: definitur quadam natura specifica. Quia sicut homo est species animalis, ita & genus species vniuersalis.*



De differentia. Cap. 4.

¶ *TEXTVS.*

ALTERO TRIVM modorum dicuntur aliqua differre: communiter, proprie, & proprissime. Vnde triplex pariter est differentia: communis, propria, & proprissima. Communis differentia est quodlibet accidens separabile. Quomodo non solum alterum indiuiduum abaltero differre potest: sed idem à se ipso: vt Plato differt à Socrate veste, & incessu. Et isdem Plato iuuenis differt à se ipso puero quantitate. Vnde à fortiori huiusce differentia in accidentibus transeuntibus reperitur, vt agens à quiescente, loquens à tacente: sedens abstãte: diues à paupere. Propria differẽtia est accidẽs quodlibet inseparabile

indi-

indiuidui, vt crispitudo, ceruleus oculorum color: simitas. Proprissima est differentia specifica & substantialis: qua essentialiter species differt à cæteris, vt rationale in homine. Tres hæ differétiæ in hoc conueniunt, quòd faciũt sem per diuersum: sed communis & propria faciunt duntaxat diuersum, & de per accidens diuersum: at proprissima facit & de per se diuersum, & in tantum diuersum, vt sit aliud. Vt mouens à quiescéte vt sic solum de per accidens differt, & tantum diuersum est: sed rationale facit hominẽ de per se differre ab equo, & esse aliud (id est) alia natura, alia substantia. Ex quo patet quòd differentiarum alia est separabilis, alia inseparabilis: illa est tantum communis: hæc vero propria & proprissima. Quæ rursus inseparabilis alia de per accidens cõuenit, alia de per se. In quibus differentijs rursus id discrimi nis reperitur: quòd cõmunis & propria suscipiunt magis & minus: proprissima nequaquã. Nec enim magis rationalis est vnus altero: nec magis corporeum vnum corpus alio. Cuius ratio est quòd hæc differentia est de natura & essentia speciei: at nullius essentia siue accidẽtis siue substantiæ suscipit magis: aut minus. Sunt enim sicut numeri: in quibus minima varietas mutat speciem, additio. s. vel detractio vnitatis. Accidentia quidem in concreto vt album esse, vel sanum dicitur quod piam magis vel minus: at vnus color non est magis color alio. At de differentia communi & propria huc vsq; actum sufficiat. Proprissima vero multipliciter diffinitur secundum multiplex munus & officium eius. Nã hæ primo diuidunt genus, & cõstituunt speciẽ. Vt corporeũ & incorporeũ diuidũt substãtiã: at corporeũ cõstituit corpus. Et rationale & irrationale secant animal, & rationale cõstituit hominem. Secundũ hoc definiunt eam hoc pacto. Differẽtia est qua per se diuiditur genus & constituitur speceis. Per communes enim non probe diuiditur ge-

nus. Vt animal non partitur in album, & nigrum, & macidum. Sed ex quo cõstituit speciẽ, sequitur alia descriptio. Differẽtia est qua species genus excedit. Sciẽdũ est enim quòd differentiæ diuidentes genus quodlibet, non sunt de illius natura, nec eas genus cõtinet actu. Primo, quia sunt oppositæ huiusce differentiæ, & per consequens actu simul non possent esse, & multo minus esse alicuius natura. Secundo quia cum essentia generis in singulis speciebus integra sit: vnaqueq; species haberet pariter oppositas differentias. Vt homo esset rationale & irrationale. Sed dumtaxat habet eas vt supra diximus in potentia. Singulæ autem species habent actu suas singulas differentias: quibus proinde genus ipsum excedunt. Ex quo vlterius sequitur: quòd prædicetur sicut & species per se cõstituta de inferioribus eius. Secũdũ quod solẽt differentiam pariter his verbis definire. Differentia Specifica est quæ prædicatur de pluribus in quale essentiale. Et quoniã differentia cum specie conuertitur: sicut duplex est species, specialissima & subalterna: ita duplex erit differẽtia, etiam si subalterna non probe appelletur. Illa definitio vtrisq; communis est. Propterea quo nã pacto illa plura differat, nõ adiecimus. Sed specialissima prædicatur de pluribus differentibus numero in eo quod quale essentialiter: speciei subalternæ differẽtia de pluribus differentibus differẽtibus specie in quale essentialiter. Etenim nõ in quid differentia prædicatur. Vt ab signo euidẽs apparet. Interrogãti enim quid est homo, genus respondemus non differẽtiã. At si quæritur quale, dicimus rationale. Sed quia accidentia in quale quoq; dicuntur. Vt homo est albus, sapiẽs, decorus, posuimus essentialiter: quippe cum accidẽtaliter illa dicatur. Ex quibus omnibus sequitur quòd differẽtia est pars essentialis eius, cuius differẽtia cõstitutiua existit, et q̃ essentialiter nõ modo ipse species sed et indiuidua pluriũ specierũ differũt.

¶ GLOSA.

DIFFERENTIAE natura & multitudo ita extense in textu explicatur, vt non commento, sed lectione indigeat. Ad perfectiorem tamen eius notitiam assequendam primo notato. Quòd præsens diuisio differentiæ non est vti præcedentes quid nominis: sed nec tam rei, vt sit vniuoca: cum non ita æque communis & propria differentia sit ac proprißima: quod & ipsa nomina insinuant. Communis enim distinguitur contra propriam: quod autem proprie non est aliqua species non censetur vniuocum cũ alijs, quæ proprie sunt illa species. Vnde diuisio videtur analoga. Cuius membrum principale tertia differentia est. Tametsi primitus nomen differentiæ communibus & proprijs impositum fuit. Nam ea prius homines differentias appellant, quibus sensibilius ac citius indiuidua differre inspexerunt. Sufficiẽtia huius diuisionis sic colligitur: quòd per ea quæ habet singulariter vnaquæq; res, differt non per communia multis. Non potest autem proprium habere, nisi vel accidens separabile, vel inseparabile, aut differentiam substantialem. Sed circa communem differentiam ea sola superest dubitatio diluenda quam de idẽtitate & diuersitate eiusdem indiuidui diuersis temporibus sumpti quæstione sequenti discutiemus. Differentia propria constituitur in accidenti inseparabili: sed inseparabile est duplex: aliud proprium speciei, aliud indiuidui. Vnde est inter doctos sub lite, an inseparabiles proprietates speciei sint hic a Porphyrio propriæ differentiæ nuncupatæ? Vtraq; pars est probabilis. Negatiua probatur eo quòd differentia communis & propria videntur esse, quibus indiuidua eiusdem speciei inter se differunt: proprißima vero, qua diuersarum specierum indiuidua: propria vero speciei naturam comitantur: ergo non clauduntur in secundo membro, scilicet sub differentia propria. Secundo quia differentia propria est inseparabilis per accidens secundũ Porphyriũ: proprium autem speciei de per se est inseparabile, non per accidens. Tertio differentiarum per se signauit exemplum susceptiuum disciplinæ: quod est proprium quarto modo: quod ideo rationabiliter fecit, quòd cum differentiæ essentiales vt in plurimum ignotæ sint, loco ipsarum propria speciei substituimus: ergo similes proprietates nomine differentiæ propriæ hic Porphyrius minime complexus est. In cõtrarium agit quòd indiuidua diuersarum specierum non modo proprißime, sed communiter & proprie quoq; differunt, vnde prima ratio in oppositũ adducta ruebat. Præterea cum proprium speciei suo gradu faciat aliqua differre: non est cur à numero & munere differentiæ arceatur. At his nõ obstantibus puto rationabilius non includi aliquo istorũ membrorum propria speciei. Nam nec sunt manifesta sicut accidentia indiuiduorum: & cum patent, in numero essentialium plerunq; haberi solent. Circa textum secundũ nota, quod diuersum in præsentiarum significat distinctionem accidentalem: vnde quod nos diximus diuersum, explicuit Boëtius alterum, nomen ab alteratione deductum. Alteratio vero est vt cum aqua calesit, vel homo febricitat. Quemadmodum ergo aqua calefacta diuersa est à frigida vel tẽperata: ita indiuidua eiusdem speciei diuersa sunt: & generaliter accidentia non plusquam diuersa facere possunt. Aliud autem significat distinctum in substantia. Vnde Petrus est alius (idest) diuersus à Paullo: an vero sit aliud omnes negant: ob id quòd in natura conueniũt. Et multo rationabilius personæ diuinæ, & si alia sit persona Patris, alia Filij, alia Spiritus sancti: non tamen aliud est filius à patre: cũ amborum eadem numero essentia diuina sit. Congrue ergo proprißima tribuitur vt aliud faciat. De eo vero quod adijcitur magis propriam non suscipere magis & minus, multus sermo in prædicamentis nobis futurus est. Interea notato id esse, vt cum his met aduerbijs differentia prædicetur: vt magis albus, minus albus. At cum proprißima sit substantia speciei, nequit hos gradus suscipere: quia quilibet gradus essentiæ facit diuersam speciem & naturam: vt in exemplo numerorum patet: in quibus nihil est tam minimum ac vnitas: quæ cuicunq; tamen adita distinctam speciem numeri constituit. Vnde non potest maior esse differentia in vno quam in alio: sed quot gradus habuerit in vno, tot & in altero. Quod in cunctis substantijs est pariter verißimum: in speciebus scilicet ac generibus: vt pote de quibus eadem ratio, caussaq; currit. Haud enim dicimus hoc magis aĩal quã illud: aut magis equus is quam iste. At

in accidentibus (de quibus tamen verificari quoq; debet: quandoquidem de differentia essentiali, vniuersaliter tractamus) non ita apparet: quim potius solemus dicere hoc magis simum, illud minus gibosum. Sed dicendum quòd accidentia sumuntur in abstracto & in concreto: in abstracto sunt puræ species, simplicesq; formæ, vt albedo, nigredo: in concreto concernunt subiectum: quod est extra naturam speciei. In abstracto autem non suscipiunt magis & minus. Non enim is color est magis colore illo: nec hæc figura magis figura quam alia. In concreto vero ratione subiecti suscipiunt intensionem, & remissionem: quarum causa eisdem aduerbijs prædicantur.

¶ *SECVNDA pars textus est planissima & principalis vt pote in qua differentiæ definitiones & præcipua eius munia traduntur. Definitur multipliciter differentia: quæ tamen re est indefinibilis. Haud enim omnium est definitio sed (vt ita dicam) mediorum: indiuidua vero aut suprema genera, vel differentiæ laterales non definiuntur. Nam definitio siue metaphisica siue phisica, datur per partes & per superiora. Vnde omnino simplicia vt suprema & differentiæ laterales non sunt definibilia. Sed mediæ species vt pote sola ex genere & differentia constantes. Sed quia nulla res entitate caret per quam intelligitur, nulla non conceptum obiectiuum habet, per quem licet exactè definiri non possit, saltem describi non possit. Ita describimus substantiam vt sit ens per se: ens vero quod habet esse: bonum, quod est appetibile, vnum quod est indiuisum. Differentia vero non solum simplex est, sed simpliciter simplex. Nam conceptus obiectiuus dupliciter est simplex. Vno modo prout distinguitur contra complexum. Sic qualibet natura specifica est simplex cōceptus (idest) vnus relatus suæ definitioni, quæ ex duobus constat: alio modo dicitur simplex prout distinguitur contra compositum. Et quia conceptus obiectiuus est ipsa vniuscuiusq; natura. Sic natura, composita ex genere & differentia non est conceptus simplex etiam si sit vnus. Differentia vero cum non constet ex genere & differentia, patet quod est conceptus simpliciter simplex: vt pote qui & vnus est, & deinde in compositus irresolubilis omnino per alios conceptus. At res primæ intentionaliter indefinibilis (idest) secundum suam naturā, definitur probe prout substat intentioni, vt substantia definitur vt est supremum genus. Quoniam nihil prohibet in re omnino simplici secundam intentionem fundari secundum quam definiatur. Et quia multi sunt respectus differentiæ aliquo pacto se consequentes multifarie secundum vnumquenq; scilicet definitur. Primo consideratur vt diuidit genus, secundo vt constituit speciem, tertio vt prædicatur & de ipsa specie constituta vt eius forma, & de illius indiuiduis vt superius & vniuersale. Ratio huius ordinis est quia cum superiora intelligantur priora. Vt prius est animal homine via generationis, intelligimus hominem fieri dum animal contrahitur ad esse hominis, sic ante hominem constitutum necesse est præcognoscamus animal contrahi, & per quid contrahitur. Vnde primus respectus differentiæ ponitur diuidere genus. Secundus constituere speciem. Tertius constitutam speciem à cæteris secernere eiusdem etiam generis speciebus. Prius enim vnumquodq; in se & est, & consideratur quàm vt distinctum ab alijs. In specie autem non est quid principalius per quod à reliquis differat. Enim vero proprietates præterquam quod sunt accidentia, sunt posteriores, & a differentia profluentes. Igitur primum contrahit genus quod est illud diuidere. Quia genus non diuiditur instar continui quasi in aliquot sui frustula, sed quoniam in communi sumtum est indifferens ad quamlibet & in potentia ad singulas. Per quamlibet differentiam applicatur suæ speciei, & potentialitas eius ex illa parte actuatur. Vt generis diuisio sit quædam contractio applicatio & formatio · quemadmodum actio immanens applicat formaliter actuatq; potentiam, quæ ante operationem indifferens erat ad multas. Et sicut forma substantialis cuius analogia superius vsi sumus, contrahit materiā ad istud indiuiduum quæ alterius pariter esse poterat. Sed hoc primū agere differentia nō valeret, nisi extra naturam generis esset, quia per quod vnaquæq; res actu habet, non contrahitur, sed ampliatur, & extenditur. Est autem de natura speciei, quam constituit differentia. Ergo species genus excedit quia hanc super illud apponit. Ex quo sequitur, vt fiat prædicatum substantiale, tam ipsius speciei, quam indiuiduorum. Circa quod aduerte, quod omnis species*

habet

habet differentiam sibi, consequentia affirmatiue, & negatiue mutuo conuertibilem. Vnde quotuplex est species, & differentia. Tametsi non eisdem prorsus nominibus appellentur. Aptè vocabitur altera specialissima, sicut species. At subalterna (vt pote quæ differentia tãtum est, non etiam vti illa genus) haud nominabitur. Igitur necesse est, vt quemodmodum, si inquantũ prædicatum species definiretur, de pluribus in eo quod quid, diceremus. Ima vero species de differentibus numero: subaltena de differentibus specie. ita pariter & differentia procedat, sane vt prædicetur, de pluribus in quale essentialiter, sed altera de pluribus differentibus specie altera, differentibus numero. Porphyrius (mirantur omnes) quo intendens hanc definitionem cum membrorum definitionibus prætermiserit, & illico differentiam vt prædicabile, his verbis definiuerit. Differẽtia est, quæ pdicatur de pluribus differẽtib9 specie in eo quod quale. Quę, quo pacto ima differentiæ adaptetur, glossatores eius solicitissimè exquirũt. Vnde multipliciter, & nimis violenter eum interpretantur. Ego vero arbitror id fecisse Porphyrium, ne res ignotas, nec vnquam cognoscendas definiret. Et quia vniuersaliora sunt nobis notiora, contingit vt differentias generum cognoscamus, specialissimis, nos (quæ cognitu digniores erant) latentibus. Vnde celebri prouerbio fertur, differentias rerum nobis ignotas esse. Quarum si vnam vel alteram attingamus, omnes fere latent. Nec existimandum est, virum grauem, & in re dialectica plurimum eruditum, atq; versatum nostram distinctionem, & doctrinam ignorasse: quam nouelli dialectici callent. Quanquam aliàs & in hoc opusculo turpissimè hallucinatus fuerit, deum animal immortale opinando. Sed nihil mirum deum, veramq; religioñem deserenti, si lumen in tenebras conuertatur, & hæretici etiam circa naturalia aberrent. Porphyrius autem hæreticus fuit. At circa particulam quale: maximè à Porphyrio non restrictam (haud enim formaliter dicit in quale essentialiter) dubitant recentiores: cur differentia in quale prædicetur. Denominatione, vt videtur, prædicationis accidentalis, cum re vera quidditas speciei sit, & pars principalis. Veruntamen nullus est scrupulus: nec ideò, quis de substantialitate & principatu differentiæ vnquam ambegit. Sed duplex fuit huius nomenclaturæ caussa. Primũ quòd differentia est forma: omnis autem forma qualificat materiam, & subiectum: vnde & differentia qualificat genus & speciẽ, illud formaliter diuidendo, hanc formaliter, & essẽtialiter constituendo. Ideo dicitur in quale dici. Secundum in rebus artificialibus (quarum similitudine vtimur) reputat vulgus materiam substantiam, formam qualitatem. Ita nos genus vt pote in compositione logicali materiam, ducimus quidditatem: differentiam vero vt formam, qualitatem. Sed vt è uestigio obiectionem auferremus, adiectum est substanitaliter. Vnde solet communiter qualitas distingui, in qualitatem substantialem & accidentalem.

VTRVM TEXTVS
differentiæ sit verus.

PRO PARTE NEGATIVA CON*tra diuisionem differentiæ arguitur. Multa differunt absq; vlla istarum differentiorum. Primo suprema genera quæ nullam habẽt differentiam: quod eo euidenter constat, quoniam differre, & non esse idem, & diuersum esse, æquipollent: & illa manifeste non sunt idem: & secundum omnes sunt primo diuersa: ergo primo differentia. Secundo differentiæ vltimæ differunt: mirum esset enim si cum per eas alia differant, ipsæ non differrent, & tamen nullo istorum modorum. Tertio genus & differentiæ differunt sine vllo membro distinctionis. Secundo principaliter arguitur, in id quòd vir differt à se ipso puero dumtaxat communiter. Vir habet aliud corpus partem essentialem, quàm habebat, cum puer erat: ergo plusqnam communiter differt. Antecedẽs probatur, in animalibus calor radicalis in dies materiæ partem consumit: vnde necessitas cibi prouenit, vt suppleatur, quod carnis calore resoluitur. Et per consequens non est tãtum diuersum, vel alterũ, sed aliud. Tertio in id quod communis & propria faciunt diuersum, specifica aliud: prædicamenta sunt primo diuersa, & non differunt*

cõmuniter:& propriẽ:ergo. Quarto in eo quòd prædicatur in quale. Differentia est simpliciter simplex: ergo non potest de specie composita prædicari. Quinto, in id quòd differentia est extra genus, differentia vt rationale est ens, ergo substantia, & reliqua media genera. Consequẽtia probatur. Primo: quia si est ens, aut est per se aut in alio: non in alio, quia foret accidens: si per se: ergo substantia. Et secundo probatur consequentia, quia superius non competit inferiori nisi per medium, si est. Vt corpus non conuenit homini, nisi per animal & viuẽs: ens autem est absolutè supremum rationali: ergo non immediate competit: sed mediantibus generibus. Ergo sicut homo, ita & rationale formaliter est animal, & in eius conceptu clauditur. Confirmatur primo. Homo formaliter est animal: & homo formaliter est rationale: ergo rationale formaliter est animal. Probatur consequentia quia quæcunq; sunt eadem vni tertio, sicut identificantur illi, & inter se. Confirmatur secundo si rationale non est formaliter animal, hæc prædicatio rationale est sensibile, est omnino accidentalis: cum subiectum & prædicatum non conueniant nisi ratione materiæ, seu subiecti amborum extremorum: sicut hæc album est dulce. Sexto arguitur. Irrationale insensibile sunt differentiæ diuidentes genus non constituentes vllam speciem. Quia negatione nulla specierum constituitur. Et confirmatur non prædicantur hæ in quale essentialiter, cum de specierum essentia non existant vtpote negationes. In oppositum est auctoritas Porphyry.

¶ DVAE erunt partes principales quæstionis. Prima expendetur in solutione primi argumenti: secunda in reliquis diluendis. Nam de veritate textus nemini fas est ambigere. Circa primum nota sex nomina quorum notitia plurimum est necessaria scilicet idem, non idẽ, distinctum, diuersum, differens, & diuisum. Idem tantundem est ac vnum: nisi quod vnum dicitur absolutè, quatenus vnumquodq; in se ipso est indiuisum idem vero relatiue, vt hoc est idem cum illo. Post idem sequitur, non idem. quæ est prima omnium distinctio, imo prima oppositio, & contradictio: idem, non idem: ens, nõ ens. Vni autem eidemq; dicetur vere nõ idẽ quodlibet aliud, siue sit aliud ens reale, siue ens rationis. Sic Petrus & chimera non sunt idem: quæ tamen nõ dicuntur distingui, aut diuersa esse, vel differre. Quia hoc postulat vtrunq; extremum existat: chimera vero non est actu, nec potentia, ideo nec potest distingui, aut differre. Sed inter idem & non idem, vtpote contradictoria, non datur medium, sed datis duobus quibuscunq;, erunt idem, vel non idem. Distinctum vero & non idem æquipollent, dummodo ambo sint eiusdem coordinationis entis vel realis, vel rationis. Vt data duo vel entia realia, vel rationis debent esse idem, vel distincta. Vt Petrus cum quolibet prædicato cuiusuis prædicamenti aut est idem, vel distinctum. Sunt itaq; immediata in proprio genere idem, & distinctum: sicut mortuum & viuens in genere viuentis licet absolute aliàs medium detur: scilicet lapis. Sed absolute illa non æquipollent. Quoniam distinctum ponit aliquid. non idem vero, nihil ponit. Et põt dici, quòd idem, et non idem opponuntur contradictoriẽ: idem vero & distinctum contrariè. Et propriè dicitur quid distingui ab altero, quod ab eo ex vno separatur. Vna species ab altera ex vno genere separatur: vel si ex vno conceptu ab alio separetur, vt vnum prædicamentum distinguitur ab alio. Sed distinctum accipitur etiam largè vt valeat non idem. Et ita omne non idem dicitur distinctum: in qua acceptione ampla communiter nomine distinctionis vtimur. Vnde prima distinctio ponitur entis à non ente, cum propriè non ens, vtpote ens rationis non distinguatur ab ente. Et sic solemus dicere duplicem esse distinctionem, realem atq; rationis. Distinctio realis est inter extrema realia, et realiter distincta: nec sufficit realia sint, nisi realiter sint multa. Nã sæpe sunt extrema entitates reales. Non duo tamen, sed ambo vnum. Vt homo, & animal, quodlibet est ens reale: quæ tamen ambo sunt vna, eademq; res dumtaxat operatione intellectus: sicut superius, & inferius distincta. Quia quæ sunt idem, vt idem sunt: non possunt distingui, cum esse idem, & distingui opponantur. Homo aũt & aĩal sunt idem realiter: ergo realiter non possunt distingui Igitur opus est extrema realiter distinguantur. Quod ea ratione omnino conuincitur. Distinctio est species multitudinis inter multa (inquam) vnde & distinctio

ctio realis inter realiter multa. Ideo adminus debent esse realiter duæ entitates. At in distinctione reali duplex gradus inuenitur: quædam distinguntur totaliter vt Petrus & Paullus: alia sicut includens & inclusum vt homo & anima rationalis: vt medicus & medicina. Distinctio vero rationis est inter entia rationis vel inter entia realia operatione intellectus se iuncta. Vt intentio generis, & intentio speciei. Cuius ratio est: quia vnumquodq; sicut est, ita distinguitur (cum distingui præsupponat esse) ideo quæ solum sunt operatione intellectus, non possunt pariter, nisi ratione distingui. Quòd vero extrema realia sæpius distinguuntur sola ratione, vt homo & rationale natura intellectus est caussa potentis intelligere idem vt multa, & quæ coniuncta sunt, separatim. Et quoniam sicut quodlibet est vnum, ita & distinctum (quia vnum est indiuisum à se, & diuisum à quolibet alio) quando extrema realia non habent de se, sed per operationem intellectus diuersas vnitates, non possunt nisi ratione distingui. Quod frequenter contingit. Etenim homo & rationale cum re vera sint eadem entitas. Vnde habent esse aliud, & aliud, vnumquodq; (inquam) vnũ nisi per intellectum. Ex quo sequitur quòd triplex est distinctio rationis in genere: nempe cũ ambo extrema sunt entia rationis, & cum ambo entia realia, & .3. cum alterum est ens rationis, alterum ens reale. Quomodolibet enim altera illarum conditionum, ad distinctionem realẽ requisitarũ desit, vergit in distinctionẽ rationis. Sequitur secundo quòd multiplex est in his modis, rursus distinctio rationis, quædam distinguũtur sicut superius & inferius, vt genus & species: alia vt æqualia & conuertibilia: sicut differentia & species, alia sicut omnino diuersa: vt differentia, & genus: alia vt omnino eadem: solum distincta vt confusum & distinctum: vt definitum & definitio. Illa rursus tripliciter cõtingit: nonnunquam enim inferius addit differentiam essentialẽ: vt homo super animal; quandoq; accidentalem: vt indiuiduum & species. Aliquando nihil sed differunt solum sicut signatum & non signatum. Rursus à principio distinctorum ratione: quædam distinguũtur per se: quædam per accidẽs. Enim vero quæ necessario postulãt esse idem realiter, & distingui ratione, de per se, iure dicentur distingui ratione. Talia sunt genus, differentia & species: proprietates entis & ens: attributa diuina & deus. Quæ tam necesse est, vt sint prorsus eadem res, quòd si diuersa realiter forent, nullo modo quicquam forent, haud enim genus quidditas speciei esset. Pro alia parte etiam est necesse vtcunq; distinguantur: alias nõ posset & illud esse genus, & hoc species, hæc ergo & præfata de per se distinguũtur ratione. Alia distinguũtur ratione de per accidẽs: vt prædicamenta saltem sex vltima: quæ probabiliter existimãtur identificari. Nulla tamẽ est necessitas huius identitatis. Vltimo quædam distinguũtur ratione ratiocinata, alia ratiocinante. Siquidem duplex est conceptus formalis & obiectiuus. Sunt autem inter distincta ratione quædam diuersos conceptus obiectiuos habentia (idest) diuersas rationes formales: vt rationale & sensibile. Quædam vero habent eundem conceptum obiectiuum, sed distinctos formales: vt cum dicimus Petrus est idem sibi. Illa dicuntur distingui ratione ratiocinata, hæc tãtum ratiocinãte. Sic videor mihi facile hãc distinctionẽ & exponere, & intelligere: quæ apud plerosq; multũ satis implexa est. Hactenus de distincto & distinctione actũ sufficiat. Diuersum accipitur proprie & large. Proprie dicũtur diuersa, quæ cũ distinguãtur, in nullo cõueniunt. Vt suprema genera, & differẽtiæ laterales sunt primo diuersa. Et etiã diuersum idẽ quod distinctum: & largè idẽ quod differẽs. Vnde in textu habetur, quòd omnis differẽtia facit diuersum, etiã proprissima. At differẽs postulat in aliquo cõuenire, & in aliquo differre. Et ita nõ est differẽtia absq; cõuenietia. Sed quia cõuenire nõ possunt, nisi sint: nõ possũt differre nõ entia. In quo expositio summulistarũ verbi differt, fundatur. Hanc enim Petrus differt à Paullo exponunt sic Petrus est et Paullus est, et Petrus nõ est Paullus. Quòd si materia differẽtiæ exprimatur vt homo differt specie ab equo ita exponitur. Homo est alicuius speciei, et equus est alicuis speciei: & species hominis nõ est species equi. Quæ expositio facile cõuincitur criminis: cũ aperte habeatur in textu, differẽtiã specificã esse, quæ species differt à cæteris. Hæc ergo est verissima homo differt rationali à leone: & tamen exponẽtes sunt falsæ, nempe quòd leo est rationalis. Quia ergo

necessaria est differentibus conuenientia, contingit, vt in quo conueniunt differētia, sit idem specie in vtroq;, & differāt accidētaliter: siue communiter, siue propriè. Quandoq; conueniunt in genere, & differunt specie. vt equus & elephas: & tunc est differentia proprissima: hæc enim dumtaxat proprie differunt quia proprie, hæc met solum pariter conueniunt in aliquo. Nam & si quandoq; conueniant in analogia vt prædicamenta, vel in nomine vt æquiuoca, non est conuenientia in vna ratione reali. Quia analoga plerunq; non dicunt vnum conceptum obiectiualem, seu vnam rationem formalem: sed prorsus distinctas. Vt sanum, vt medicatiuum: quod in ante prædicamentis exponemus. At circa hoc quod est differre genere: vsus loquendi sapientum obtinet, vt non dicantur differre genere, nisi quæ differunt prædicamenti figura. Cui ratio suffragatur. Quia differre in aliquo est non conuenire in illo. Quæcunq; vero eiusdem prædicamenti sunt, habent idem genus commune: ergo non debent dici differre genere: nisi forsan cum additamento: differunt genere subalterno. Sed obijcies, absolutè homo, & leo dicuntur differre specie: tametsi conueniant in specie subalterna: quare non dicentur absolute differre genere, quæ differunt subalterno genere, licet conueniant in supremo? Respondetur loquendum esse cum pluribus: & congruentia vsui patrocinatur. Nempe quòd differentia specie specialissima non dicuntur propriè conuenire in specie subalterna. Quia species subalterna non dicitur species respectu inferiorum, quæ cōueniunt: sed respectu generis sui superioris. Genus autem proprie dicitur & subalternum & supremum respectu inferiorum: & ideo differre absolute genere est nullum genus habere commune. Sed ad rem vt redeamus, dubium est, an res diuersorum prædicamentorum proprie censeantur differre? Et quidem hæc propositio est vera homo & albedo differunt genere, & à fortiori specie, & hæc differunt prædicamento: ergo res diuersorum prædicamentorum differunt propriè. Respondendum est tamen, quòd ipsæ res non differunt inter se propriè in aliquo reali: quia nec in aliquo reali conueniunt: nisi forsan impropriè, & inæqualiter in ratione scilicet entis, quod tamen nō sufficit. At in prædicatis secundæ intentionis proprie possunt differre: quia proprie in illis conueniunt. Intentio enim generis, & ratio prædicamenti absolutissimè est in singulis prædicamentis. Primæ intentionaliter (id est) ipsæ res dicentur propriè diuersa, non differentes. Ex his sequitur primo, quòd distinctum est quid commune diuerso, & differenti. Nam omne diuersum, & differens distinguitur. Sequitur secundo quòd hæc habēt se ex additione in ratione distinctionis, nō idem, distinctum, diuersum & differens. Nam primum vt negatiuum & contradictorium nihil ponit, distinctum, addit existentiam: diuersum vero nullam differentiam communem: differens ponit conuenientiam in differentibus. Vltimo tandem sequitur, quòd dupliciter aliqua differunt positiuè. s. & negatiuè. Nam differentia aliquando est in ambobus extremis: vt Petrus differt colore à Paullo: quorum vterq; est coloratus. Albedo differt specie à nigredine: vtraq; qualitas est species. Tunc dicuntur differre positiuè. Nonnunquam est in altero tātum: vt homo differt ab equo ratione: qua equus vtiq; caret. Tunc differunt negatiue scilicet penes habere aliquid, & non habere. Diuisio demum non est idem, quod distinctio: quanquam hanc illa comprehendit. Distinctio enim est inter membra diuidentia; diuisio vero inter diuisum & ipsa membra. Vnde genus dicitur diuidi in species, non distingui. Et contra membra alicuius diuisionis dicuntur distingui: haud tamen diuidi. Quin potius actiuè appellantur diuidentia. Itaq; diuisio est alicuius in aliqua: vnius in multa: distinctio autem inter ipsa multa, estq; prior diuisio distinctione. Est præterea aliud discrimen: quòd vbilibet est diuisio, est distinctio: non è conuerso. Cuius ratio est, quòd quicquid diuiditur debet esse vnum, & in multa secari: vt pote cum diuisio constituat numerum, qui (vt constat) incipit ab vnitate. Vnde patet quòd omnia membra diuidentia aliquo modo sunt vnum: diuisum est sicut continuum quod in multas partes scinditur. Partes vero distinctionis debent esse distinctæ: & ita consequitur distinctio necessario diuisionem. At contra non est necesse, quæcunq; distinguūtur, ex vno processerint: sed esse inter se quouis pacto distincta. Ita in plus est distinctio

quam

quàm diuisio. Igitur quia diuisio est vnius in multa: vnum autem esse contingit quadrupliciter, vnum numero, specie, genere, analogia (de vnitate nominis solum hic non agitur: & sic diuisio æquiuoca excluditur) quadruplex est diuisio, alia est continui in partes. Hæc correspondet diuiso vni numero. Alia speciei in indiuidua: alia generis in species: alia analogi in analogata: maxime in analoga habente vnam rationem formalem, vt in ente. Quod tamen raro contingit. Sed rursus notato quòd duplex est diuisio, alia realis, alia rationis. Quæ non coincidit vllo modo cum illa distinctione distinctionis in realem & rationem. Sed diuisio realis est, quando realiter partitur diuisum. Vt quando continuum scinditur in frusta. Et hac diuisione est diuisibile vnum numero quæ proprio nomine nuncupatur diuisio continui. Nam Petrus realiter non potest diuidi, nisi vel in partes suas essentiales cum corrumpitur: (quod potius corruptio dicitur, quàm diuisio) sed propriè in partes integrales: vt si decerperetur in membra, vel lignum in duas medietates. Cætera vero vna scilicet specie, genere, analogia diuiduntur diuisione rationis. Et diuisio rationis est, quando membra diuidentia, & partes realiter sunt ipsummet diuisum, non modo omnia simul, sed singula. Vt cum animal per species, quarum vnaquæq; est animal. Vnde diuisio quidem est rationis: & distinctio realis. Siquidem species inter se realiter distinguntur: sed à diuiso sola ratione secernuntur. Ratio huius est in propatulo, nempe quòd hæc sunt vna per operationem intellectus, & in suo genere: tota diuisio autem est totius in partes. Vnde diuisio rationis congruè appellatur alicuius totius per rationem in partes pariter: quia non nisi per intellectum partes sunt. Et ita est quòd animal sola ratione est totum, & singula species partes atomæ. Re autem ipsa vnaquæq; totum quoddam perfectum & absolutem. Sic videbimus, quòd idem in his respectu etiam eiusdem diuersis tamen rationibus est pars, & totum. Vt animal: est totum potentiale respectu hominis & pars actualis. Contra homo pars atoma illius, & totum actuale. Et sic animal diuiditur in species: rursus species in sua genera, & differentias, quæ omnia palam demonstrant omnes has diuisiones rationis esse non reales. Quoniam si reales forent haud manerent scissa iam atq; partita integra perfectaq;. Hæc doctrina distinctionis & diuisionis cum sit dialecticis omnino necessaria, nullo alio aptius loco tradi potuit, vel debuit, quàm præsenti. Nam differentia est radix omnis oppositionis, & oppositio distinctionis, at deniq; diuisionis. Cuius tractatus aliqua pars solet in Summularum secundo libro ab alijs doctoribus tradi: sed vt ante tempus tradita, ita & mutilatim explicata, & vix vnquam intedecta. Sed quemadmodum præcedens speciei caput aptum locum iudicauimus ad definitionis naturam propalandam: quæ est primus modus sciendi. Ita & differentia fundat secundum scilicet diuisionem. Vnde ad primum argumentum patet quòd suprema & differentiæ non differunt, sed sunt diuersa: & quòd differentia, & genus non differunt, neq; diuiduntur, sed distinguntur ratione.

¶CIRCA SECVNDI ARGVMENTI *materiam notato, quòd secundum diuersas indiuiduorum naturas: diuersi mode de ipsorum identitate loquendum est. Diuersæ nanq; species, diuersa, vt idem permaneant, postulant. Primo corruptibile & incorruptibile: vt angelus, & homo necesse est aliter, & aliter esse eadem nunc, quæ à principio. Aliter etiam permanentia vt equus: aliter successiua vt motus. Primo tamen considera quod omnes naturæ rerum & generabilium, & incorruptibilium pari gradu semper eædem permanent, suamq; identitatem seruant. Nimirum quòd vniuersæ sunt incorruptibiles. Generatio enim atq; corruptio circa singularia sunt. Semper gignitur iste homo, ille equus, nusquam de per se homo. Vnde dicunt metaphysici, generaliter vniuersalia esse incorruptibilia, ingenerabilia: ac per cõsequens perpetua. Sic natura hominis, & aliarũ specierum eademque à principio, inuiolabilis manet: nempe animal rationale. Hoc nunquam mutabitur, sed nec mutari potest. Igitur varietas identitatis circa singularia contemplanda est: erga quæ omnis mutatio, & generatio versatur. Quæ non modo cum à principio esse adquirunt, vel in fine illud amittunt, integrè mutantur: verum existentia sæpissime. Imo (vt Iob verissimè de homine gemens enunciat) nunquam in eodem statu permanet: nec moraliter eadem*

dem volens, aut appetens, nec naturaliter; sed crescit, vel decrescit, alteratur, valet, aut ægrotat, debilitatur, pinguescit. Et cum omnis mutatio sit amissio vnius, & alterius acquisitio: merito ambigitur, an inter tot mutationes idem indiuiduum permaneat? Vnde de indiuiduis incorruptibilibus vt substantiæ abstractæ, cælorumq; sidera, nulla est disceptatio: quin quæ, & quot quot à principio prima caussa condidit, eadem omnino perseuerent. Sed de sublunaribus vbi huiusce generationes exercentur, quæstio grauis est, quo pacto eadem indiuidua sint, quæ tot mutationes patiuntur? At cum sint plurima partim simplicia, vt elementa, partim mista: haud omnium identitatem animus est impresentia docere: sed tantum animalium. Quorum proinde corporis integritas, & compositio à medicis & philosophis traddita nobis supponenda est. Nempe quòd in toto corpore v.g. hominis præter carnes, ossa, & neruos est calor naturalis: vt pote qui viuificat, ac nutrit, & quo omnes partes viuificantur, & nutriuntur. Totus enim homo crescit, nec pars eius est in sua proportione non crescens. Sed cum calor suæ materiæ consumptiuus sit, & per totum dispersus: quærunt philosophi, quid in nobis is consumat? seu potius quid eũ nutriat? & fomẽta sub ministret? Quod est quærere vel eius oleum, vel lignum. Respondent omnes esse humidum radicale: quod nõ est accidẽs, sicut calor: sed corpulentum: idem prorsus quod ipsa caro & ossa: quatenus sunt humida. Sed ne breui homo deglutiatur, cibus infertur: quem susceptum decoquit: & quod eius calor potest, in carnem, sanguinem, ossaq; conuertit: & secundũ partium necessitatem sagax natura & prouida varie distribuit: vt in singulis suppleat: quod calor vastauerat atq; absumpserat, & ad vigesimum vsque quintum annum tantum sua efficaciaq; cõuertit, vt nõ modo instauretur ac reparetur combustum: verum & membra augeantur. At tunc iam remissus tantum ad supplendum conuertit, sic cessat augmentum. Itaq; calor & cibum in carnem mutat, & carnem mẽbrorum & ossa in vapores exhalat. Vnde asserunt medici, quòd omnes, & singulæ partes euaporant: velut aqua cum feruenter calescit. Qua in re verissime Aristoteles dixit, ab ipsa generatione incipere hominem mori, mortiq; semper eius vitam misceri. Generatione enim perpetua, & corruptione partium hæc indiuidua sustentantur. Ergo sequitur materiam à principio habitam paullatim consumtam esse. Quæ omnia sine controuersia vniuersi amplectuntur. Ergo quæritur, quomodo? idem homo est adolescens qui natus: cum non habeat idem corpus. Maxime, quòd sicut de ratione hominis, & omnium rerum naturalium est materia. Ita de ratione huius hominis est hæc materia. Ergo si hãc non habet, non est idem. Et confirmatur cum materia, perditur quoq; forma. Hæc enim vt præsupponimus indiuiduatur per illam. Vnde amissa hac materia necessario amittitur hæc forma. Si ergo non habet iste idem corpus, eandemq; formam, quæ prius: non poterit idem homo censeri. Sed in contrarium est & veritas, & ratio. Nam si non forent ydẽ, nullus vir fuisset puer, nullus natus, nullus adolescens haberet parentes, nullus inter fideles baptizatus, nullus demum genitus: sic nullus exsisteret. Generatio enim ianua est vitæ. Sed difficultas est quomodo identitas saluetur. Respondent & recte quòd quia partium corruptio insensibilis est, & pedetentim fit, ita vt consideratis singulis huius hominis diebus à die generationis, nulla dies est, in qua iste non sit prorsus idem, qui in hesterna, idem corpus numero, eandemq; formam habens. Et cum per temporis cõtinuitatem, gradatimq;, & sensim, non repente per saltum in hanc corpulentiam peruenerit: non potest idem non esse, qui natus & puer. Quippe inter medios dies idem permanens. Subiungunt exemplum de aliquo rogo ignis, cui si paullatim combustibilia recenter addantur, prioribus etiam morose substractis censetur semper idem. Sed (meo iudicio) nõ est appositum, vt pote qui re vera est alius, solum apparẽtia idem. Siquidem singulis combustibilibus singula forma denuo producitur. Non enim augetur per conuersionẽ, & incorporationẽ in præexistentem materiam, vti viuẽtia: sed per appositionem recentium suppositorum. Appositius videor mihi esse flumen vbi cum reali totius mutatione manet semper idẽ Betis, idem Tormis: cum quotidie effluat, & nusquã refluat aqua. Replicant tamen communiter. Quid? si repente materia paullatim consumta instauraretur: inquam hæc forma introduceretur. Dicendum, idem futurum, quandoquidem illomet in corpore positus à principio generationis idem prorsus

erat,

erat, qui nūc est. At si anima à puero auferetur, & hoc corpus grādeui informaret, nō foret idē, qui nunc est, quoniam in hoc corpore nusquam stetisset. Sed logicaliter replicatur. Puer & senex idem homo non sunt simul: ergo nec senex differt a se ipso puero, nec è conuerso. Consequentia probatur quia differentia postulat (vt diximus) existentiam. Vnde non dicimus quòd chymera differt à Petro, quia chymera non est. Imo Socrates non differt à me, quia ille non est. Et confirmatur. si Plato senex differt à se ipso puero: ergo Plato senex, & Plato puer differunt: & per consequens sunt multa. Quod denuo etiam prob. Differentia communis facit diuersum, ergo senex & puer sunt diuersa, ac proinde multa. Respondetur quòd propriè non differūt illa propter illā causā adductā. Opus est enim ambo extrema existāt, quia differentia est relatio: & differentia realis est relatio realis: puer ergo & senex differunt cōmuniter, & large, proprie tamen non sunt omnino idem Itaq; Plato iuuenis proprie non est idē omnino cum se ipso puero, haud tamen proprie ab ipso puero differt. Eodem pacto respondetur ad confirmationem negata consequētia prima, & secunda. Haud enim possunt diuersa esse, aut multa: quæ non sunt: & Plato puer vt sic iam non est, licet idem Plato maneat. Ad tertium dicito, quòd & si illæ differentiæ faciāt diuersum, non è contrario omne diuersum fit ab illis. Et secundo iam diximus, quā multipliciter diuersum accipiebatur. Alterius generis est hæc diuersitas supremorum à diuersitate per differentias effecta, quia illa diuersitas nullam differentiam admittit. Ad quartum notato, quod trium horum prædicabilium sola species est actuale totum: differentia dicetur totum confusum, genus potētiale. Includit enim in confuso illa naturam specificam: formaliter solum explicat gradum illum, quem species accumulat generi. Sed quemadmodum animalitas est natura integra sensitiua, nō materia dumtaxat, & principium. Vnde sumitur genus, non ipsum genus: ita rationalitas formale differētiæ nō dicit animā tātū intellectiuā, sed naturā, quæ est rationalitas. Sed rationale præpter hāc formalitatē claudit in confuso quicquid essētialiter est illa natura: et ita cōtinet aīal & hominē. Vnde negatur nō posse pdicari, quia non tantum dicit, quod formaliter est, sed quod in cōfuso habet. Non appellabitur autē ita congruè differētia totū potentiale, quia omne quod est in potentia actuatur, & completur per illud ad quod erat in potentia: differentia vero potius actuat, & complet: quia re vera est actus, nō potentia. Quod si absonum iudicas differentiam totum confusum nominare, nomina pariter sicut speciē actuale, maximè cū de formali importet actū, & quod in potentia includit est vellut materia, genus vero contra se habet, nā quod habet in potētia est formale. s. differētia. Circa solutionem quinti argumenti notato, quòd differentia est omnino irresolubilis, & simplex, licet sit ens actu. Quia ens non facit compositionem cum aliquo: nec est in singulis distinctus alter gradus: sed homo, & ens homo idem prorsus sunt: Homo resoluitur in animal, & rationale: & rursus animal in viuens, & sensibile: vsque ad supremum genus: qui omnes sunt gradus essentiales & distincti. At substantia, nec rationale non resoluuntur, aut habent diuersos gradus: sed tantum sunt rationale, & substantia. Non quòd non sint ens. Imo ob eam caussam, inter multas ens non est genus: quia formaliter est omnis differentia: & sic non potest, per eas contrahi. Quid enim differentia est, si ens non est? non ens profecto, & nihil. Sed quoniam ens non est gradus aliquis super rationale, sed ens in rationali est formaliter & adæquate ipsum rationale. Qualiter non est animal homo: sed is super animal gradum rationalitatis addit, qui non est formaliter animal. Vnde in ente fallit illa regula, nempe superius non descendit ad inferius, nisi per media. Constat enim apud omnes, non esse genera de differentiæ conceptu, qualia oportebat esse: si eis mediantibus ens formaliter conueniret differentijs. Sed regula intelligitur de generibus vt pote quæ descendunt: quorum descensus est ipsorum per differentias contractio. At ens non contrahitur, & ita nō descēdit: sed immediate differentijs cōpetit. Ad primam probationem concedimus: rationale formaliter esse substantiam: prout distinguitur, contra accidens, & prout ponitur in recta linea identicè, vt iam iam dicere pergimus. Ad confirmationē negatur illa consequētia, quia variatur appellatio, et illa regula fallit, quòd sicut sunt idē vni tertio, debēt inter se idētificari vt patet. Quòd hac consequentia est nulla: homo de per se est corpus, & de per se est risibile,

ergo corpus de per se est risibile. Secunda confirmatio postulat, vt ediseramus: quomodo genus prædicatur de differentia, & differentiæ superiorum generũ de differentia speciei. Et relictis subtilibus huius rei opinionibus constat, quòd si de veritate similium prædicationum quæritur: verissimè prædicari: cum prædicatum, & subiectũ sint necessario, idem realiter & essentialiter. Quinimo si generis natura in specie posita consideretur, nulla est generis & differentiæ distinctio. At si de prædicationis qualitate sermo habeatur, vtraq; est essentialis: cum nec prædicetur accidens, nec accidentaliter extrema colant, sed (vt dictum est sæpe) de per se. Nam & si animali et cuicunq; superiori accidens differentia inferior cõstituens speciẽ possit quoquomodo reputari: contra rationali non potest genus de per accidens cõuenire, cum tam necessario exigat animal esse. Itaq; siue dicas, rationale est animal, siue rationale est sensibile, ambæ sunt essentiales, tametsi extra præsentem locum non admodum frequentes, nec formales, quia prædicatum non est de ratione formali subiecti: sed sunt identicæ, & quasi materiales, de quibus imposterioribus operosius agemus. Ex quo diluitur facilime illa disceptatio qua inquiritur vtrum omnes differentiæ superiores contineantur in specialissima? Etenim formaliter loquendo euidens est, nullam superiorem in ratione formali inferioris contineri. Primo quia deberet esse, si ineßt, vel vt eius differentia, vel vt genus, vel vt species, aut demum velut accidens. Primum esse non potest, tũ quia differentia non est differentiæ: cum quòd differentiæ tunc possint propriè differre. Reliqua esse nõ posse, omnibus palam est. Deinde si clauditur, non est ratio formalis differẽtiæ simpliciter simplex, sed composita. Ad hæc totam integrumq; genus est extra essentiam differentiæ, sed pars eius constitutiua est ipsius differentia, vt sensibile animalis differentia: ergo & hæc est extra naturam inferioris differentiæ. Si vero hæc lis de idẽtitate moueatur: constat omnia cum specie esse vnam, eandemq; entitatem diuersi modè consideratam. Vnde ad confirmationem negatur & sequella, & eius probatio. Imo non conueniunt ratione subiecti inhæsionis de quo solummodo intelligitur illa regula: sicut patet in exemplo subiuncto album est dulce. Nullum enim subiectum inhæsionis in illis offendes. Negatur etiam quia non accidentaliter sed per se natura identificantur.

¶ PRO SOLVTIONE *sexti argumenti notato, necesse esse differentiam esse aliquod ens. Primo quia cõtrahit genus, & determinat: quod vero non est ens, determinare non potest. Deinde quia constituit speciem quasi forma: actus autẽ, & forma maxime est ens. Præterea debet esse differentia adæquata speciei, vt pote conuertibilis cum illa. Ex quo sequitur, quòd nullius speciei prædicamentalis differentia est negatiua, neq; vniuersalior quàm species. Vnde hæc irrationale, insensibile, incorporeum, non sunt re vera differentiæ, de quibus hic agatur, nec prædicantur essentialiter. Primo quia formaliter dicunt negationem non rem positiuam. Nam et si materialiter dicant species, quibus illa negatio conuenit: formaliter tantum negationem exprimunt. Et quia sunt vniuersaliores quacũq; specie, alias danda est species vel genus cui adæquate conueniret. Et nihilominus ratione, & caussa vsus obtinet, vt genera per similes negationes diuidantur: vt diuisio sit perceptibilis, possibilis, & facilis. Nam quando plurimæ sunt species (vt frequentius contingit) operosum esset nimis, singularum differentias exprimere et sæpius impossibile. Cum differentiæ rerum sint nobis in naturæ magestate recondita. Ob hæc diuisiones per duas iure assignari solent, alteram positiuam, alteram prioris negatiuam, seu priuatiuam: quæ necessario reliquis speciebus competit. Haud tamen intelligitur illa esse vel diuisiua generis, vel constitutiua speciei. Non enim equus est equus, quia non est rationalis, sed proximè quia est hinnibilis. Imo ideo est irrationalis quòd est hinnibilis. Differentia enim & speciem constituit (vt diximus) et eam à cæteris secernit. Ac per consequens est ratio, cur negationes aliarum speciei ũ suæ speciei conueniant.*

De proprio. Cap. 4.

¶ *TEXTVS.*

PROPRIVM VEro quatuor dicitur modis. Nam proprium est id, quod

soli

soli cuipiam accidit speciei, & si non omni: vt homini accidit metiri, aut mederi. Id item quod vniuersæ accidit speciei, et si nõ soli. Vt hominem bipedem esse, aut coloribus variegatum. Id etiam quod soli accidit, & omni, sed quandoq;, non semper. Vt omni homini in senectute canescere. Quartum autem in quo omnia conuenerunt, vt soli, & omni, & semper accidat, quale est risibile respectu hominis. Nam homo & si nõ semper ridet, risibile tamẽ semper esse dicitur: nõ quod semper rideat, sed quod semper est aptus ad ridendum. Hoc enim semper est illi insitũ, quemadmodũ et equo hinnibile. Inter quod proprium & speciem est mutua conuersio. Vt si est homo, est risibilis, & si est risibile, debet esse homo. Quod nimirum proprius, & breuius ab Aristo. 1. topico. c. 4. his verbis definitur, proprium est quod cum non indicet esse rei, soli inest, & conuersim prædicatur.

COMMENTVM.

POST REI cuiuslibet essentiam, post prædicata essentialia genus s. speciem & differẽtiã agitur de prædicatis accidentalibus. Vt quemadmodum ens aliud est substantia & aliud accidẽs: ita prædicatum quod ens esse debet aliud est substantiale, aliud accidentale. Pro intelligentia vero materiæ notato, quòd proprium semper est accidens: sed accidens consideratur dupliciter, vno modo in se & sua natura respectu suorum quidditatiue inferiorum: secundum quod in prædicamentis disponitur. Sic accidens aliud est genus, aliud species, aliud differentia: & de suis singularibus prædicatur in quid: vt color est genus: potẽtia itidẽ genus: albedo species: disgregatiuũ differentia, & albedo prædicatur de hac albedine, et potentia de visu, & auditu in quid (idest) quidditatiue. Sed quia omne accidens est in subiecto, accipitur etiam secũdum habitudinem ad illud. Sic videmus, quòd omne accidens prædicatur in concreto de suo subiecto, vt homo est risibilis, Petrus est albus. Hoc pacto ex ente considerato emanant duo prædicabilia, quæ proprium, & accidens nuncupamus: ob id quòd hæc habitudo accidentis ad subiectum est diuersa. Nam quandoq; sic vendicat sibi accidens inhærere huic subiecto: quòd nulli alteri inhærebit: & hoc vocamus proprium. Aliquando vero aliis subiectis est cõmune, & ita est quintum. Rationi enim consonat, vt maiorem & peculiarem habitudinem, & coniunctionem habeat subiecto accidens proprium, quàm quod aliis indifferenter conuenit. Propinquius est enim proprium vnicuiq;, amabilius, atq; intimius. Igitur in præsenti capitulo agitur de accidenti proprio: in subsequenti de communi. Proprium autem esse multifariã contingit: vnde quatuor modi narrantur in textu, primo propriũ quod competit omni indiuiduo, sed non soli speciei, sed paucis aliis. Vt bipedem esse. Secundo quod soli speciei, haud tamen omni indiuiduo. Vt medicum esse: quod in solo homine reperitur qui disciplinis accomodatus est, artibus aptus. Solus enim inter omnia animalia arte & ratione viuit. Cætera omnia instinctu naturæ ducuntur. Vnde si aliqua animalia sibi mutuo mederi narrantur: medicina est instigante natura ministrata non arte cognita, & disposita: sicut in nobis contingit. Tertio quod competit soli speciei, & omni indiuiduo, sed non semper: vt canescere in senectute: quod dumtaxat

hominì

homini competit. Vnde mederi, seu medicū esse, aut metiri, non sumitur in præsentiarum pro potentia naturali ad artem, quæ est intellectus: nā id proprium est quarto modo: vt pote quid cōmune, omni, soli, & semper. Sed pro ipsa arte adquisita: quæ re vera est accidens. Alij dicunt posse capi, pro peculiari inclinatione indiuidui ad hāc facultatem, vel illam. Quidam enim suopte ingenio affectant iuris peritiam: alij medicinam, vel artes, sicut & status, virtutes, & vitia. Videas enim quosdam propria ex complexione proclines in libidinem, alios in auaritiam: quosdā cælibatum amantes: alios coniugium exigentes. Huiusce igitur procliuitates indiuiduales cēsent proprium esse secundo modo. Quod ego verū non arbitror, cum per tales nemo vel sit, vel vocetar medicus aut quiuis alius artifex. Et quoniā (vt in quæstione elucidabimus) nō agitur hic de proprietatibus indiuiduorum, de quibus capite præcedenti sub nomine differentiæ propriæ disseruimus: sed de proprietatibus specierū pro habitibus ergo adquisitis sumuntur, quatenus sunt tales qualitates, quod soli huic species cōpetere possūt: extra vagari, aut inueniri, non possunt. Tertio quod competit soli speciei, & omni indiuiduo, sed non semper: vt canescere: qaod homini in senectute competit. Omnis enim senex est canus. Aduersus quod exemplum duplex est obiectio. Primo quòd nō competit omni seni (cū plures absq; canitie inuemantur) & quòd non competit soli homini, quia & alia animalia inueniuntur in senectute dealbari. Sed breuiter notato: quòd canities non significat absolute capillorum albedinē cum sæpe pueri albos capillos habeant: qui minimè sunt nisi abusiue cani: sed significat illorum albedinem prouenientem ex tali caussa: nempe ex corruptione humidi radicalis cerebri, secuta defectum caloris naturalis non prædominantis perfectè humido, nec valentis illud, debitam in materiam conuertere. Nā cum multum sit in cerebro hominum humidum (quia habemus cerebrum sicut maximum, ita & humidissimum propter operationes intellectuales quæ illic maximè exercentur) calor noster in iuuentute, & virili ætate adeo potens est, vt tam humidū illud, quam vapores ex stomacho ascendentes integrè resoluat, & in materiam vtilem conuertat. Et excrementa per capillos & in capillos exhalet, vel in partes inferiores detrudat ac deyciat: in senectute vero debilitatur præcedenti labore. Sic non potest perfectè in debitam materiam cōuertere: sed in viscosam & putridam: vnde canities subsequitur. Et quanto calor est fortior, aut debilior, et humidum pinguius, vel subtilius, tanto magis vel eam properant, vel remorantur. Ex quo sequitur quòd ex aliquibus caussis raro tamen euenire potest, vt quis non canescat: quod tamen sententiam Porphyrij non infringit neq; subuertit, quæ id respicit quod vt plurimum contingit. Sequitur secundo, quòd solus homo canescit, quia in eo solum huiusce ratio currit. Quarto modo est propriè proprium in quo omnia cōuenēre nempe vt soli speciei, & omni indiuiduo, & semper competat. Vt risibile, quod dumtaxat & homini, & omni homini, & semper conuenit. Nam risibile non est qui ridet: sed qui potens est ridere, seu cui ridendi innata potētia est: quod omni homini semper cōpetit tametsi (vt de quodam legitur) nunquam riserit. Sed posset quis obijcere quòd hæc omnia quadrant in differentiā speciei: quæ dumtaxat de specie, & de omni eius singulari, semperq; verificatur. Sed facile respondetur, quòd non competit differentiæ accidere, quod in definitione pariter habetur: per quod excluditur. Illo nāq; verbo exprimitur, debere proprium esse accidens subiecto, non substantiā. Sed quia minus proprie exprimitur (accidere enim proprie est accidentium communium: quæ constituta iam substantiæ superueniunt) ideo definitio Aristotelis meo iudicio præferenda est: vt pote quæ clarius naturam proprij descripsit. Nempe quòd non indicat, quid est esse rei, & soli inest & conuersim prædicatur. Vbi prima pars differentiam semouit: quæ naturam rei demonstrat. Soli vero inesse, & conuersim prædicari postulat competere soli, omni, & semper. Quia ad cōuersiuam prædicationem, omnes hæ conditiones exiguntur. Conuersim enim prædicari est, vt inter speciem, & proprium mutua valeat consequentia tam affirmatiuè, quàm negatiuè: maxime in propositionibus de secundo adiacente: vt homo est, ergo risibile est, & contra. Conuersimq; prædicari, postulat: vt subiectum, & prædicatū sint æqualia. Habent hoc etiam species, & differētiæ: genus vero non prædicatur conuersim. Quia à superiori ad suum inferius affirmatiuè non valet. Vnde hæc potest haberi exacta definitio proprij. Proprium est vniuersale accidens, quod de

per

per se & inest multis: & accidentaliter prædicatur. Vbi per secundam partem excludūtur tria prædicabilia priora, & per primam quintum prædicabile. Quod neq; de per se inest, neq; nisi contingenter prædicatur: vt homo currit, vel est albus. At propriū vnaqueq; species ex propria natura sibi vendicat: vt homo admiratiuum: & equus hinnibile, bos mugibile, asinus rudibile, et ita de cæteris speciebus. Quod in homine perspicatius splendet, scilicet quàm ex rationali humanitateq; profluit, esse disciplinabile, & admiratiuum.

VTRVM TEXTVS proprij veritatē habeat?

C*ONTRA dinisionē proprij arguitur quòd præproperè posita fuerit. Antea enim, vt ex regula philosophorum constat, definitio proprij tradenda erat, & tamen nō modo post posita, sed omnino prætermissa est. Secundo propriū efficitur & promanat ex principijs substantialibus: ergo est substantia. Quia ex substantijs nō fit accidens, seu non substātia Et perconsequens vel est species, vel genus, vel differentia. Confirmatur: subiectum vt homo, est de definitione proprij: vt risibile est homo aptus ad ridendum: & in abstracto si definias, risibilitas est aptitudo hominis ad ridendum: ergo est substantia: cum eius definitio sit substantia. Tertio, proprium nō habet singulare: ergo non est vniuersale. Prob. antecedens. Vel singulare est species: & hoc non, vt pote æqualis: vel sunt singularia v. g. risibilia. Sed de his nō accidentaliter sed quidditatiuè dicitur. Vt enim hæc, album est coloratum, quidditatiua est: ita & hæc, risibile est risibile: igitur nō habet singularia de quibus prædicetur. Quarto natura nō potest esse caussa passionum: ergo male aßertum est ex natura manare. Prob. antecedens. Quia natura v. g. hominis non habet potentiam, aut actionem, quæ producat risibilitatem. Et confirmatur de paßionibus entis, quæ sunt idem prorsus quod ipsum ens: quomodo ens poterit sui ipsius caussa esse? In contrarium est auctoritas Porphyrij.*

¶ PRO NOTITIA *huius materiæ primo aduertito, quòd & indiuiduum, & species habēt sua propria. Illius proprium appellauimus superius differētiam propriam: inseparabile scilicet alicuius accidens: vt ceruleus oculorum color: simitas: nasi curuitas. Vnde indiuiduum describitur per hoc quòd eius proprietatum collectio nō contingit duobus, suntq; hæ proprietates, & differentiæ eius: quia sensibilißime distingunt indiuidua: & propria, quia emanāt ex proprijs principijs ipsius indiuidui. Nempe ex particulari humorum temperie, & compositione, ex climate ortus, vel ex similibus. Species etiam habet proprium, vt homo risibile. Quod non singulorum proprium est, imo illis commune. Sed ipsius hominis. De quibus in præsentiarum agimus, non de priori: vt ex verbis textus apertißime colligitur. Dicitur enim in singulis modis quod competit proprium, vel soli speciei, vel omni indiuiduo, vel vtriq; : quorū nullū membrū cōuenit proprio indiuidui: quod de solo singulari verificatur. Vnde rectè iudicauimus in superiori capitulo non agere è contrario illic Porphyrium de proprio speciei (quod indiuidua non diuersificat ac separat) sed de proprio indiuiduorum: quod ea se iūgit, & insignit. Quia ergo tractatur de proprietatib9 specierū: quæ ad speciē indiuiduaq; referri poßunt, ideo per vtrunq; describuntur his verbis: quod cōuenit, vel nō cōuenit, soli, et omni. Ly soli significat speciē omni indiuiduū. Secūdo notato, quòd hæc diuisio proprij nō est vniuoca, sed analoga: cuius tria priora membra sunt talia secūdū quid. Quarto vero famosius significatū absolutè, perfecteq; proprium. A quo quantū aliquot aliorū degenerant, à ratione proprij desciūt. Nam proprium (vt nomen præsefert) distinguitur contra commune. Vnde non est propriū alicuius speciei, quod alteri speciei pariter competit. Ideo primus modus à proprij etymologia et ratione maxime distat. Præterea si perfectè propriū est, debet species illud et secū vbiq; poßidere, et sēper: illudq; cū specie vbiq; inueniri, eiq; inseparabiliter adhærere. Quo circa secūdus modus soli, sed nō omni indiuiduo: et tertius, soli & omni, sed nō semper cōueniens, merito à ratione proprij exacta exploditur: cuius ratio in propatulo est. Nempe quòd cum natura à principio generationis de per se non mutetur (omnis enim mutatio media, vt alteratio, & motus localis rei permanentis, est accidentalis illi) accidentiaq; imo accidentalia sibi eis mediantibus duntaxat adquirit, vt inductiuè patet. Vnde*

si à principio proprium de per se sibi natura nõ comparat: non poterit post modum comparare illud. Quia nõ cõparat quidquam, quod de per se competat, sed quod de peraccidens. Ideo opus est vt proprium de per se soli, & omni, & semper conueniat. Tale secundum etymologiam, et secundum naturam optimo iure proprium existimabatur. Vbi est considerandum quòd sicut species singulæ distinctas naturas habentita & particulares operationes, seu inclinationes habent. Ex quo vniuersaliter in omni specie præter quidditatem reperimus aliquot virtutes naturæ ab auctore naturæ inditas. Scilicet quibus species operationẽ, seu operationes exsequatur, vel finem assequatur. Vt igni datus est calor, & leuitas. alter ad operationem: altera ad finem. Lapidi grauitas, atq; frigiditas. Quod manifestius in animalibus splendescit: quibus à natura sensus inhærent, vt visus, auditus, olfactus. Nimirũ ad aliquos actus exactos exercẽdos. Preter quos singulis adhuc speciebus singulares insunt proprietates: vt homini risibilitas, admiratio. Ex quo axioma inter philosophos emanauit. Qui dat naturam, dat consequentia ad naturam, idest, quæ natura ad sui consistentiam postulat. Quæ quidẽ licet à tota profluant, integrãq; naturã ratione totius (quod aiunt) coniunctim sequãtur (vt patet) quòd potẽtia ridendi animã exigit, & corpus: sine quo nec flemus, nec ridemus, tamen principaliter (vt par est) ratione differentiæ cõpetunt, ab illaq; profluunt. Ob id quemadmodũ illa incommunicabilis est alteri speciei: ita huiusce proprietates nemini alteri communes sunt: sed naturam naturali sequella comitantur. Quare bene per hoc definiuntur: quod soli, omni, & semper competunt. Quia non secundum suam naturam hîc inseruntur (secundum quam species & quædam genera erant) sed secundum habitudinẽ prædicationis ad subiectum, seu speciem. Quæ habitudo nomine accidentiæ, vel melius prædicationis (vt fecit Arist.) sufficienter exprimitur Et non tantum habitudo, sed qualitas habitudinis illis particulis explanantur, soli, omni, & semper. Sed dices, hæc proprio dumtaxat quarto cõuenire: nempe vt ex principijs essentialibus oriatur. At non potest negari quin ex eisdem cætera propria quoq; manẽt, vt ex exẽplis patẽtissime colligitur. Scilicet bipedẽ esse, vel canescere. Quẽ enim latet, bipedem esse, ex natura nobis prouenire? dicendum ergo, quòd hæc propria ex principijs naturalibus discrimine quodã pariter oriuntur: per quod, vt videbimus, à quinto prædicabili distinguntur. Discrimẽ vero est, quòd proprium quarto modo oritur ex principijs proprijs speciei quatenus talis est. Principia propria vocamus talem materiam, & talem formam: vt risibile in homine: eaq; ratio est, vt homini tantummodo conueniat. At bipedem esse, & primus generaliter modus, ex naturalibus quidem, haud tamẽ adæquatis speciei: sed alij, vel alijs speciebus, paucis tamen communibus: cuius signum euidentissimum est: quod cũ per se bipes conueniat, & naturaliter seu substãtialiter, multis speciebus conuenire inuenitur. Quod ostendit ex aliquibus principijs naturalibus illis speciebus promanare. At canescere, & tertius modus ex principijs, quidem proprijs nõ tamen semper in actu positis: nam tota ratio canitiei, imo potentia completa ad canescendum non semper homini competit. Secundus vero vt medicum esse, emanat & ex principio naturali, simul, & ex electione seu appetitu, quod istiꝰ modi peculiarissimũ est. In reliquis enim principia naturalia tantum concurrebãt. Quibus suppositis ad primũ argumentum respondetur, non debuisse definitionẽ proprij anteponi: quia est æquiuocum, nõ vniuocum. Et æquiuoca seu analoga prius sunt diuidenda quam definienda.

¶ SECVNDVM argumẽtũ militat aduersus id, quòd omne propriũ est accidẽs. Priusquã tñ respõdeamus, aduerte: quòd proprium habere nõ cõpetit soli substãtiæ, sed etiã accidẽtibus: vt quãtitati propriũ est esse mẽsurã, & facere formaliter vel æquale alteri, vel inæquale: triãgulo habere tres angulos æquales duobus rectis. Vnde argumẽtũ nõ de omnibus currit. Ad quod tñ nullo negotio respondetur, non solere dici propriam passionẽ ex principijs essentialibus fieri, sed profluere. Ex substãtia vero necesse est emanent accidentia. Secũdo respõdemus, fieri quid ex quo, dupliciter contingere. Vno modo: vt ex quo fit, sit pars essẽtiales illius, Vt homo dicitur fieri, ex corpore, & aĩa: & ex materia prima fiũt res naturales. Sic ex substãtia nõ fit accidẽs: quia nõ potest accidẽtis quidditas, esse substantia. Alio modo vt ex quo fit, dumtaxat post modũ fit eius subiectũ: vt ex ligno fit scamum: ex argento scyphꝰ. Cum hæc nomina significent formas accidentales:

tales:quæ re vera ex illa materia eductæ sunt: & tamen lignum non est de essentia scamni:sed subiectum eius,sicut homo,nō est de natura suæ albedinis,sed eius subiectum. Per hunc modum & propriæ passiones, & accidentia omnia ex substantia fieri cēsentur,si quando ex substantialibus principijs fieri dicuntur. Quoniam (vt diximus)talis locutio non est in vsu. Sed difficultas maior est in confirmatione. Quo nam pacto videlicet hæc est prædicatio vllo modo accidentalis,homo est bipes? aut quomodo bipes accidens etiam proprium esse possit,cum sit substantia,et pars integralis? Attamen,in hoc quod dicimus bipes,includitur & pes duplex,& numerus pedum. Et non appellamus proprium hominis vllo modo pedes(omnia enim animalia ferè habent pedes) sed numerum eorum quod scilicet eius pedes bini sunt,non terni. Quod nullatenus substantia,sed accidens manifeste videtur. Ad tertium,dato propria singularia ipsius speciei, de quibus de per se pariter suo gradu verificatur. Ad quartum non est præsentis loci per tractare an natura sit caussa passionum? & in quo genere caussæ? nec nos hic illud insinuauimus: tantum asseruimus ex principijs naturalibus proprium emanare. Duo tamen breuiter nihilominus hac de re asserere possumus. Nempe necessario & naturam esse rationem,seu caussam propriæ passionis, & non posse causam illius esse efficientem. Primum monstrabitur in posterioribus. Vbi patebit,quòd medium in demonstratione est & caussa conclusionis, seu propriæ passionis:& est definitio. Vnde constat,naturam seu definitionem caussam esse. At secundum satis ipsum præsens argumentum probat scilicet non habere speciem actionem,qua producat passionem. Et clarius eo conuincitur,quòd caussa prior est existentia suo effectu:at propria passio simul est cum specie, vt pote conuertibiles. Nec datur vllum instans, inquo homo non sit risibilis. Et tamen si risibilitas per actionem naturalem hominis producenda esset, tempus actio consumeret quodpiam sed propria passio comproducitur naturæ. Et qui est caussa generans hominem: gignit pariter illum consequentia, illiq; cohærentia. Et ideo passio forsan vocatur quia suscipitur,omne enim suscipere est(vt videbimus) quoddam pati. Pro confirmatione notato,inter hæc propria quædam esse propria substantiæ, quædam etiam accidentium, quædam ipsius entis in vniuersali ambo priora complectentis. Inter propria substantiæ quædam sunt potentiæ,& virtutes ad aliquos actus exercendos,vt voluntas,ratio,sensus:quædam ad patiēdum,vt mortale,corruptibile. At propria entis sunt,vnum,res,bonum,verum,aliquid. Quia quemadmodum ex quo quis est homo, sequitur, vt simul sit disciplinabilis, risibilis: ita ex quo quid est ens,debet esse vnum,verum &c. Vt pote quæ ex natura entis sicut illa ex humanitate dimanant. Ex quo duo sequuntur. Primum est,quòd non omnis propria passio distinguitur realiter à sua specie,seu à natura. Nam corruptibile,mortale,seu corruptibilitas & mortalitas non possunt distingui ab homine:huiusce conditionis sunt:& passiones entis. Nempe non distinctæ ab ente. Quid enim essent,si ens nō essēt? Tamen etsi identificentur, non est inconueniēs, vt diuersis rationibus eadem entitas sit,& ens, & vna, & res: & ens sit natura, hæ vero eius proprietates. Quod metaphisicæ quo nam pacto fiat monstrare,reffert. Si quæ autem passiones realiter distinguntur, maxime sunt illæ potentiæ à nobis expressæ(vt ex communi consensu liquet) sed alterius est facultatis ista perpēdere. Ad confirmationem notato, esse inter philosophos axioma. Proprium definiri per subiectum: imo omne accidens (vt in prædicamento videbimus) per substantiam definitur. Sed quemadmodū propriū quarto modo ex essētia speciei fluit:ita illam proprium sui obiectum vendicat:quintum vero prædicabile, sicut manat ex principijs,quæ multis possunt esse communia,non habet proprium subiectum. Vnde sequitur horum prædicabilium discrimen. Quòd proprium quarto definitur per proprium subiectum:quintum vero per communes, quod plerunq; substantia est. Quomodo autem accidens definiebatur in concreto, & abstracto, & vtrobiq; subiectum collocaretur, superius à nobis enucleatum est. Sed inferius quam necessaria hæc doctrina:hacq; ars definiendi iudicanda sit,referabimus. Sed nunc sciendum, quòd nec subiectum (licet sit de integritate definitionis) est de essentia definiti, sed materia in qua existit: nec quicquid in similibus definitionibus necessario inseritur, est de quidditate definiti. Quin omnes ingenuè faten-



tur accidentia per additamentum definienda esse. Et additamentum vocant subiectum vel obiectum:quod extra essentiam semper erit.

Cap. 5. de Accidente.

¶ *TEXTVS.*

ACCIDENS EST quod accidentaliter inest, & per accidens de subiecto prædicatur. Quod sicà veteribus fuisse definitum hac isagoge tradit Porphyrius. Accidẽs est quod abest, & adest sine subiecti corruptione. Quod diuiditur in duo, scilicet separabile, atq; inseparabile. Vt dormire est separabile. At coruo, vel Æthiopi nigrum in separabile est: mente tamen, cogitationeue coruus albus, & Ethiops nõ niger sine subiecti corruptione concipi potest. Definiunt etiam, & hoc pacto. Accidens est quod in esse, ac non in esse eidem potest. Et quod nec est genus, nec species, nec differentia, nec proprium, semper autẽ est in subiecto.

¶ *COMMENTVM.*

ACCIDENS VT EST QVINTVM *prædicabile (quemadmodum superius expandimus) non accipitur pro accidenti absolutè, quod & genus est quandoq;, & species: vt potè omnia nouem prædicamenta comprahendens: sed pro accidenti illo, quod ad subiectum relatum ad illud habitudinem dicit accidẽtalẽ, non de per se. Quod proinde nos breuissimè & clarissimè duobus verbis definiuimus. Nempe quòd accidentaliter inhæreret, & de per accidẽs prædicaretur. Quorum vtroq; à tribus priorib9 prædicabilibus secernitur. Quæ non accidentaliter vllatenus suis adhærent subiectis: sed identificantur essentialiter, & quidditatiue cum illis: à proprio vero maxime per secundam particulã: vt potè quod non de per accidens, sed per se prædicatur. Album vero de homine per accidens. Sed quare accidens per accidens, proprium de per se conueniat, id caussa videtur esse, quòd proprium emanat à natura, accidens ex principijs induidui, & caussis illi concurrentibus. Scilicet vt vel ex climate, aut loco, vbi quis nascitur, vel ex parentibus (à quibus gignitur) vel ex educatione, aut euentibus, & casibus: at hæc color idem vel diuersus, statura, complexio, qualitas, status, mores, morbi, & studia similiter, competunt. Quæ fere sunt omnea accidẽs. Quod Horatius præsefert: quot homines viuunt totidem studiorum millia. Et Pers. Hinc est quòd proprium primo competit speciei, & ratione illius indiuiduo vt homo est risibilis, & Petrus est risibilis, quia talis est homo. Accidens vero contra prius indiuiduo (ex cuius caussis, & principijs emanat) & ratione illius speciei. Vt homo est albus quia Petrus est albus. Quod enim primo aliquid est, ratio est, vt illud alteri cõpetat, si competit. Et ignis primo calidus caussa est, cur cætera calida sint. Et quia generatio & corruptio, accidẽs sunt indiuidui (vt supra exposuimus) primo & per se generatur Calias, & Socrates: & ratione horum de per accidens homo. Qui sicuti de per accidẽs, & secũdario est albus, ita & genitus. Et cũ hoc pacto hisq; verbis natura accidentis planissime innotescat: definiuit eam talibus Porphyrius, vt magno etiam ingenio eruditioneq; adhibitis vix rectè interpratentur, & nunquam satisfaciant. Accidens est (inquit) quod abest, & adest sine subiecti corruptione: vt sanitas, vt sciẽtia, vt motus. Per quod à prioribus prædicabilibus differt. Quæ sicut sunt vel ipsa natura subiecti, vel de per se illi conueniunt, non possunt absq; eius corruptione semel habita perdi. Corruptio enim est, per quam indiuiduum prorsus esse definit. Accidens vero sæpe superstite amittitur*

amittitur subiecto. Incolumis frequenter ægrotat: & sæpe valetudinem sinistram auertit. Sed hæc definitio vt pote logicalis, de potentia logicali interpretanda est scilicet vt non repugnet, adesse, & abesse successiuè. Vnde non est opus omne accidens manens semper subiectum amittat: cum pleraq; de facto sine subiecti interitu nõ amittantur. Quomodo enim statura sua despoliabitur Plato? vel nigredine coruus? nisi & infatuat contedant? sed tamen non repugnat subiecto his priuatum esse, vt pote illi accidentalibus non de ratione naturæ. Vnde quia eis ablatis ratio naturæ integra manet: dicuntur absq; subiecti corruptione deperdi. Quam descriptionem multipliciter reprehendit, & carpit Auicena, merito, nec ne incertus sum. In cuius gratiam arguitur. Subiectũ v. g. Petrus habet peculiaria principia sine quibus eum viuere repugnat. Sicut enim absq; humanitate, ita absq; hac complexione, absq; his carnibus, & ossibus, ac demum sine proprietatibus indiuiduantibus non potest is homo esse: ergo male per hæc verba accidens definitur. Deinde corruptio est accidens, & mors: quæ competere subiecto manenti non potest.

Has & similes obiectiones Porphyrius (vt arbitror) cum hæc verba scripsisset, prospiciebat: quibus proinde tacitis in textu expressè respondit. Quòd per intellectum subiectum his qualitatibus exutum manet integrum: imo cognitum sub contrarijs, etiam si in re id aliàs accidere non possit. Vt possum rectè intelligere coruum esse album, nedum sine nigredine coruum concipere: at hominem non risibilem esse minime intelligere possum. Cuius discriminis ratio est, quòd accidentia sunt extra naturam non modo hominis, verum etiam istius hominis. Nam ostensum est, nullã aliam essentiam esse indiuiduis præter naturam speciei. Præsertim quòd licet aliqua accidentia debeant in indiuiduo inueniri, non repugnat tamen illi, inueniatur cum alijs accidentibus ab istis. Tametsi hæc sint illi iam propria, ideo sine his accidentibus cognosci poterit. Proprium vero est intra naturam. Vnde non cognoscitur exactè sine proprio species. Eodem pacto explicat secundam definitionem. Nempe accidẽs est quod eidem inesse, & non inesse successiuè potest. Cum quo & sine quo subiectũ intelligi potest. Sed hæc solutio (meo arbitratu) subterfugiũ minimeq; tutũ asylũ videtur: rem scilicet ad intellectionem rei, & notitiam transferre nõ ad naturam. Vnde alterum duorum dico, nẽpe vel logicalius & breuius accidens nostris verbis definiri: vel clarius has definitiones Porphyrianas posse defendi. Ad primum existimo nomine subiecti intellexisse Porphyrium speciem, & naturam (vt patet in exemplis subiectis coruus est niger) ad quam si accidentia referantur, nemini dubium est, quin adsint, & absint præter subiecti corruptionem (idest) præter mutationem naturæ. Homo enim indifferenter est procerus, et nanus pumilio, & gigas: & coruus niger, vel albus: obid quòd species corui, nõ (sicut indiuiduũ) colorem aliquẽ sibi vendicat. Ita relinquerẽtur indiuidua: quæ posset quis affirmare, non rectè sine his, & talibus accidẽtibus cognosci. Sed certe etiã nomine subiecti indiuiduo cõprehenso nulla est repugnãtia quãtumuis ex eius principijs accidẽtia dimanent, sine his hoc indiuiduum esse. Quin potius frequẽter naturali & occulta caussa mutantur, & albus nigrescit, & niger dealbascit, et procerus decrescit, & pusillus augetur. Quod si caussa naturales iã id efficere nõ possint de se subiecto nõ repugnat. Ad argumẽtũ ergo respondemus quòd etsi nõ possit plerũq; sine suis principijs indiuiduum superesse: quando principia substantialia sunt: sine his tamẽ superesse poterit, quæ ex similibus principijs profluunt, quæ sunt accidẽtia: principia vero nõ semper accidẽtia sunt. Ad secũdũ dicito, quod corruptio nõ est accidẽs positiuũ de quo loquimur, sed priuatio, de quibus tñ in præsenti nõ agimus. Sicut hæc homo nõ est equus, nõ est prædicatio alicuius p̃dicabilis sed negatio potius p̃dicabilis: ita mors non est quintũ p̃dicabile, sed priuatio vitæ. Sũt nihilominus aliquot cõmunes obiectiones, Prima, medicũ esse est accidens: hæc enim de per accidens. Martin9 est medic9, Ioãnes theologus: et tñ est propriũ secũdo modo: ergo hæc coincidũt. Secũdo, sequeretur hãc p̃dicationẽ, aĩal est homo esse quinti p̃dicamenti: cũ p̃dicatum accidẽtalẽ habitudinẽ dicat ad subiectũ. Tertio omnia hæc p̃dicata homo est albus, Petrus currit, equus est Ruffus, insunt de per se subiectis, & tñ sunt accidẽtia, ergo mala est definitio, Probatur maior, nõ insunt per aliud: ergo per se. Ad primum dicito vtrunq; fore accidens indiuiduo: & proprium speciei, quatenus extra illam inueniri non potest, & sequitur aliquod eius principium. Ita actus ridendi

 est

est accidens quintum prædicabile & proprium hoc pacto speciei: vel sit soli & omni competit non semper. Ad secundum prædicationes indirectã non sunt scientiæ consentanea de quibus disciplinæ tractent. Proinde nos in præsenti dumtaxat directas docemus. Illa itaq; extra disciplinam est, & nihilominus non accidentalis, sed substantialis est. Directa enim & indirecta in eadẽ materia sunt, ergo si hæc homo est animal in materia naturali est, & hæc animal est homo. Cum ergo non sit contingens, sed secundum omnes necessaria, non est quinti prædicabilis. Ideo non sunt audiendi, qui has rationes prius non soluentes nulla probabilitate docent, quinti prædicabilis esse: potius dicatur reduci ad de per se. Ad tertium notato, de per se inesse intelligi dupliciter. 1. non per aliud subiectum, seu non per aliud accidens: & sic omne accidẽs reale de per se inest, quia necesse est in subiecto reali sit. Alio modo de per se in esse est necessario, & non contingenter hærere subiecto. Et sic non omne accidens de per se inest: sed proprium de per se, & necessario: accidens vero quintum prædicabile, cõtingenter, vt exposuimus.

QVÆSTIO Vtrum tantum sint quinq; prædicabilia.

ET QVIDEM VIDENTVR ESSE quam plurima. Primo prædicamenta sunt decem in quorum vnoquoq, multa prædicabilia collocãtur. Est enim prædicamentum ordinatio prædicabilium: ergo plusquam decem sunt prædicabilia. Secundo ens & illud consequentia, qui nimo & accidens cũ de cunctis prædicentur, nec hoc quinario claudantur, plura extrauagari videntur. Tertio, multæ sunt prædicationes scientificæ, quæ ad nullam istarum reducuntur: vt substantia non est qualitas: actio non est passio, & similes negatiuæ. Et contra videntur pauciora. Prædicabile est quod potest, & debet prædicari, vt notitia rei completa comparetur: sed tribus cognitis scilicet definitione, proprio & accidenti completissimam eius cognitionẽ adipiscimur: ergo hæc tantum tria sunt prædicabilia. Secũdo, prædicabilia disponuntur & continentur in prædicamentis: sed omne vniuersale in prædicamentis collocatum prædicatur de per se de suis singularibus (vt ex arbore Porphyriana, & in cæteris inductiue constat) ergo nullum est quintum prædicabile: quod.s. de per accidens, & contingenter de suis inferioribus verificetur. In contrarium est vniuersalis dialecticorum schola tam vetus, quã noua quinq; ꝑdicabilia constituẽtiũ.

¶ SECVNDO SOLET, in huius opusculi exordio à viris eruditis interrogari, an dumtaxat hæc prædicabilia exsistant: quæ Porphyrius vtilissime discussit: vbi nec pauciora esse, nec plura includitur. Sed aptius multo post ipsorũ quinq; tractatum cognoscetur an alia supersint, vel hæc sufficiant. Vbi etiam opportunè simul & congruenter nominalium figmẽtum euanescet, existimantium genera, & species, ac demũ prædicabilia hic exposita, nomina esse rerum, non res significatas. Quod hoc argumento maxime probant. Prædicatum est nomen, cum prædicatio consistat in voce, & exerceatur in illa: ergo prædicabile nomen erit, cum prædicatũ & prædicabile identificentur. Sed nos è contra, fundamentalem hanc conclusionem statuimus. Res his nominibus designatæ animal, color, elephas, rationale, hinnibile, album sunt genera, species, & prædicabilia: non ipsa signa. Quam multis rationibus fulcire, vel maximè pudet, volentem in manifestissimis non detineri. Primo non video quibus faucibus deglutiãt hũc ensem. s. si genus, & species prædicantur in quid, differentia essentialiter: nomina de rebus quidditatiuè, & essentialiter prædicarentur: & cum omnia sine controuersia patentissimè sint accidentia illis admodum extrinseca. Videant homines quomodo accidens maxime ens rationis qualia sunt nomina de substãtia vel ente reali quidditatiue dicetur. Præsertim cum prædicatũ essẽtiale etiã secũdũ illos sit essentia subiecti, & quidditatiuũ quidditas, & accidentale accidẽs. Quid? quod vniuersale est etiã ipsorũ proloquiũ, in prædicationibus essentialibus extrema essentialiter identificari: quod in Arist. fundatur dicente. Si A. est B. aliquod vnum est a. & b. Nomina vero nullo modo identificantur nec inter se, tantum abest, vt rebus. Adhæc & ipsi nobiscum agnoscunt, dicide, præsupponere esse, in (cum veritas prædicationis, & qualitas naturis rerum innitatur) nominibus non congruit esse in subiectis, de quibus dicuntur, ergo. Præterea prædicabile

est

eſt proprĩũ vniuerſalis, vniuerſale vero eſt vnũ in multis, & de multis. Perpende, quo pacto vel nomen eſt vniuerſale, vel poßit eſſe in multis: quod in aëre, vel atramento, vel conceptu neceſſario conſiſtit. Deinde (vt ad ſingularia prædicabilia deſcendam) genus, & ſpecies ſunt relatiua: ergo nomina non ſunt genus, & ſpecies. Cum nomen non ad aliud, quàm ad ſuum ſignificatum referatur: genus vero ad ſpeciem. Poſtremo, genera diuiduntur: ſunt principium ſpecierum, & totum potentiale: neſcio ego quomodo ly animal aut principium ſit ſpeciebus vel etiam nec alijs nominibus ſpecificis, aut diuidatur in illa, vel cõtineat. Differentia etiam contrahunt genera, & conſtituunt ſpecies, nomina vero (quæ ſolum ex beneplacito conſtituuntur) nullatenus contrahunt. Nec entitatem realem conſtituunt. Deinde prædicamentum eſt ordinatio prædicabilium, & tamen ſunt prædicamenta decem ordinationes entium realium: igitur prædicabilia entia realia exſiſtunt. Certe cui ſerijs ab eſtudijs feriari non lubet, non poteſt non grauate ferre in huius aſſertionis oppugnatione detineri. Sed ipſorũ argumento ſupereſt ſatis faciamus. Ad quod ex noſtris quidam docent res principaliter prædicari, nomina vero propinquius: alij prædicari vt ſigna: alij vt quo: quibus non multum refragor. Sed libentius vocibus tantummodo concederem, vt proferantur, vt ſignificent, vt loco rerum in oratione ſubſtituantur: haud tamen prædicari quidditatiue, eſſentialiter, vel accidentaliter. Quia prædicari de aliquo quidditatiue, neceſſarißime præſupponit illi quidditatiue competere, illudq; quidditatiue eſſe, quod vocibus minime cohæret. Sed dupliciter prædicatio intelligitur. 1. actiue. 2. paßiue. Nominibus tribuiſſem ego prædicationem actiuam. Inſtrumẽtaliter ſiquidem homines prædicant, faciuntq; medijs vocibus prædicationes: & voces ex parte hominum ſe tenent, non ex parte rerum. Ideo prædicatio actiua competens principaliter homini, adaptabitur congruè voci, velut inſtrumẽto: prædicatio vero paßiuè nullo modo vtiq; niſi rebus, à qua tamen prædicabile dicitur. Haud enim quod prædicare poteſt, prædicabile eſt: ſed quod prædicari. Quod apparentißime confirmatur. Voces ſubſtituuntur loco rerum, & tamen voces non ſumuntur à nobis vt ſignificatæ (quod rebus conuenit) ſed vt ſignificantes: ita profecto nomina prædicati, & ſubiecti non ſumuntur vt prædicatum, ſed vt prædicans, Et ſicut illis (licet proferantur) non competit, ſignificari, ſed ſignificare: non debet competere prædicari, ſed prædicare. Quod eſt profecto huiuslocutionis ſenſus. Prædicatio fit in vocibus vel terminis (intelligitur enim de prædicatione actiua: quæ eſt prædicatio realis, & formalis: nam paßiua non eſt paßio realis, ſed rationis, & quædam denominatio ab extrinſeco: ſicut dicitur paries videri. Vnde licet prædicatio formaliter ſit in terminis, prædicabilia nullo modo ſunt termini, nec prædicata. Quoniam non appellantur prædicabilia vel prædicata à prædicatione actiua quæ nominibus competit, ſed à paßiua, quæ in rebus dumtaxat reperitur Quòd ſi ex parte rerum nomina ſumas, & per conſequens aliquo pacto prædicari, dumtaxat prædicantur vt quo: genera vero: & ſpecies, & reliqua vt quod, & ita res ſunt prædicabiles nõ nomina. Quoniam prædicabile hic intelligitur vt quod. Quo firmiter ſtatuto (ad quæſtionis dilucidationem vt redeamus) prædicabilis natura cognoſcenda nobis eſt. Prædicabile eſt quod prædicari merito debet. Haud enim ſolum dicit potentiam, & aptitudinem, ſed exigentiam quoq;, & neceßitatem reſpectu ſubiecti. Vt homo cum ſit prædicabile non tamen reſpectu brunelli: ſed Socratis. Vnde prædicabile, & prædicatum propemodum coincidunt, ſolum differunt ſicut eadem res in potentia, & actu ſignificata. Velut generabile, & genitum. Et prædicata dicuntur de ſubiectis, vt per ea ſubiecta nobis innoteſcant. Et hæc eſt neceßitas, & exigentia prædicabilis: nempe vt ſubiectum manifeſtet. Quo circa licet multifaria prædicatio (vt expoſuimus ſuperius) exſiſtat, altera identica, altera diſparata: altera directa, altera indirecta: haud decebat in præſenti opere de omnibus promiſcue ageremus: quæ poſſunt penè in infinitum protendi: ſed de regularibus & quæ fini huic prædicationis deſeruiunt. Finis autem prædicationis eſt vt ſubiectum cognoſcatur. Cognoſcitur prius, & perfectius, dum quæ habet, intelligimus. Sicut enim res ſe habet ad eſſe, ita ad cognoſci. Vbi eſt aduertendum duplicem eſſe modum apud ſapientes rem aliquam cognoſcendi affirmatiuum ſcilicet, & negatiuum. Ille eſt, quãdo quid eſſentialiter vel accidẽtaliter vnumquodq, eſt, cognoſcitur: hic vero,

quandoquid non est, discurrimus. Vt homo dupliciter innotescit, primo per hoc quòd est animal, & viuens. Deinde etiam per hoc quòd scimus non esse albedinem, aut quantitatem. Et quamquam sunt quædam, de quibus melius quid non, quàm quid sunt, attingamus (vt deus & substantia angelica, & anima hominis) modus tamen prior generaliter est perfectus, secundus imperfectissimus. Quia nullius valoris fere in communi loquendo notitia comparatur: etiam si mille de ea coacervētur negationes. Est etiam posterior. Sicut enim prius vnaquæq; natura in se aliquid est, quàm aliud non sit: ita prius est cognoscere, quid sit, quàm quid non est. Quinimo per quod singula sunt, optimè, & facillimè detegitur, quid nō est. Igitur ante omnia Porphyrius loquitur in præsentiarum de prædicabilibus, & prædicatis, quæ subiecto alicui positiuè competunt: per quæ dum de illo enunciamus: intelligitur. Vnde vniuersæ negationes, seu prædicationes negatiuæ, à præsenti speculatione relegātur. Primo quia prædicatio negatiua nō est proprie prædicatio: proprius dicitur negari prædicatum de subiecto quàm prædicari. Secūdo quia debuit de eo modo prædicandi tractari, per quem primo & directe res cognoscitur: ad quod negationes nihil per se conferunt. Sed dum comparet quid res sit: è uestigio quid non sit patescit. Vt dū detegitur lapidem esse substantiam, panditur interea non esse aliquod nouem prædicamentorum. Maxime quòd similes prædicationes negatiuæ si sunt scientificæ, & per se, sunt disparata quantumcunq; veræ. Vt homo non est leo, qualitas non est situs. Nam eodem in gradu sunt, quātum ad materiam affirmans, & negans, & sicut hæc est in materia remota: substantia est quātitas, ita & hæc, substantia non est quantitas. Rursus vt per affirmationem res cognoscatur, opus est prædicatum aliquem gradum entis exprimat. Nam non proprie rei natura cognoscitur per hoc, quòd esse, notū est. Sed per hoc quòd quid sit, intelligitur. Vnde communissima quæq; merito à ratione, & numero prædicabilium semouentur, vt sunt ens, eius proprietates, & accidens. Hæc enim videntur de re tantum, quod sit, manifestare. Quamquam & alia ratio communis ad illa excludenda cogat. Nempe agi hic tantum de vniuocis, quia (vt statim videbimus) nec æquiuoca, nec anologa in predicamentis collocātur eo, quòd non vnam communem, sed multiplicem rationem dicant. Ens vero, & forsan accidens, analogum est. Quibus exclusis tantum (quod sit conclusio responsiua) quinq; prædicabilia supersunt. Quæ manifestis rationibus comprobatur. Ea de re quapiam prædicari meritò possunt, quæ illi insunt, vt cunq; ab ea distincta. Necesse est enim vt prædicatum quod notificat subiectū, aliquo pacto distinguatur ab illo. Idem nanq; per omnino idem nullatenus innotescit) hæc vero non possunt esse, nisi quinq;. Quoniam vel est natura, quidditasq; rei, & si integra actualiter, est species, si partialis, & materialis, est genus, si formalis, differentia: aut est accidens, quod ex natura emanat, vel aliunde: ex quo duo posteriora resultant scilicet propriū, & accidens. Præterea prædicabile proprium est vniuersalis: sed propriè vniuersalia tātum sunt quinq;: ergo totidem prædicabilia sunt. Minor prob. Vniuersale debet esse natura communis multis, quæ (par est) vt ad singularia descendēs contrahatur (id enim de ratione huius descēsus videtur esse) non contrahuntur autem nisi ista quinq;. Cum nec ens, nec accidens, sint contrahibilia: sed idem prorsus formaliter, & integraliter quod singula. Per quod ab ratione vniuersalis degenerant, quod non debet actu esse, quicquid est singulare. Ideo vocantur transcendentia, quòd limites vniuersalis excedāt. Sed impendio valde aduertendum in hac re existimo, nos in præsentiarum de prædicabilibus logicalibus, seu metaphisicalibus tantummodo locutos Diximus enim distinctum alium esse ordinem phisicalem procedendi, duasq; compositiones, duplicesq; partes. Vnde de prædicationibus phisice nihil in præsenti ventilamus. Vt homo est compositus ex anima & corpore. Res naturalis constat ex materia, & forma. Petrus habet caput, & brachia: nullius prædicabilis sunt enūciationes: cum tamen sint essentiales prædicationes. Igitur ad primum argumentum dicito quod prædicabile potest sumi dupliciter, in communi, & in particulari. In prædicamento disponuntur singula prædicabilia, vt singula genera, & singulæ species & sunt quam plurima. At hic cōtemplamur ea in communi genus & speciem. Et in vniuersali tantum sunt quinq;: in quibus illa omnia in prædicamentis dispersa conueniunt, atq; continentur. Ad secundum & tertium iam

satis

ſatis reſpondimus. Ad quartum fatemur, illis tribus perceptis, rem omnem penetrari: veruntamen primum habet tria ſcilicet ſpeciem, genus, & differentiam (ſi logicaliter ſumantur) et ſic fiunt quinq;. Sed pro quinti argumenti ſolutione notato: quòd in ſingulis prædicamētis præter ſingularia, ad radices velut infima inſerta, tantum ſunt tria ſcilicet genus, & ſpecies in recta linea, & ad latus differentia. Vnde ſi ſeorſum ſingula prædicamenta rimemur: in ſingulis tantū tria prædicabilia diſponuntur. Et ita omnis prædicatio ſingulorum eſt eſſentialis, nedum de per ſe. Alio modo conſiderantur, quatenus res vnius prædicamenti prædicatur de re alterius: quæ plerūq; vel prædicatur vt propriū (id eſt) de per ſe: vel contingenter, vt accidens. Vnde his quinq; prædicabilibus omnem prædicationem prædicamentorum affirmatiuam cōplectimur, & eam ſcilicet quæ in ſingulis exercetur: & eam quæ in duobus ſimul reperitur.

LIBRI PRÆDICABILIUM Porphyrij finis.

COMMENTARII FRATRIS THOmæ de Mercado ordinis prædicatorum artium, ac sacræ Theologiæ professoris, in librum Prædicamentorum Aristotelis.



X HOC CAPITE logicam Aristoteles felicißimo auspicio exorsus est: nec parua dialectica nec prædicabilia præcedebant, sed introitus, & ianua prædicamenta erant. Cuius operis, & ordinis duplex necesßitas fuit. Primo quòd cum dialecticæ scopus sit, opera intellectus dirigere: quorum primum est simplicium apprahensio: decuit, in prima parte artis, quo hanc operationem dirigat, prædicamenta tradi: vbi naturam cuiusq; rei docemur. Hic enim non quid genus, sed quot genera, & quod vniuscuiusq; saltem remotum, & plurima species, exprimitur: quod propemodum natura tota singulorum est. Hac methodo probè conceptio dirigitur dum eius obiectum intellectui explicatur. Error enim inscios is maxime deflectit: atq; intransuersum agit, dum de re quapiam nō suā naturam, sed alienam apprahendunt. Vt si volens intelligere albedinem, quantitatem cōciperet, putans albedinem quantitatem esse. Dum ergo quæ singulorum natura sit scilicet eius genus, & species, proditur, recta simpliciū apprahensio erit: rectoq; calle hæc operatio dirigitur. Qua ratio non modo vtilitatem, ac necesßitatem operis, verum eius in arte situm palam ostendit, scilicet prudenter, atq; scitißime facta hypothesi prædicabilium opusculum non esse confectum, hinc Aristotelem inchoasse. Nempe vt prima pars dialecticæ, primam operationem dirigeret. Secundo modos sciendi definitionem, diuisionem explicaturus, perutile duxit, non tantum formā definitionis præscribere, sed materiam communem omniū fere prabere: quæ est genus, species, & differentiæ: quorum maxima multitudo acōmodatißime hic congeritur. Qua in re notāda est horum opusculorum differentia. In præcedenti natura prædicabilium in genere exarata est: nempe quid genus, quidq; species & reliqua forent. At hic singularia prædicabilia disponuntur. Non iā quid genus effamur: sed quæ, et quot genera sint, & species, quantum fas est, aperimus. Ex quibus proinde tractatibus maxima rerum peritia comparatur. Enim vero in priori genus, & cætera constitit prædicari de multis: nūc hoc ipsum in singulis prope generibus exercetur. Quod genus scilicet de quibus differentibus speciebus verificetur. In quo omnis semper eruditionis consumatio, perfectioq; consistit. Sane cum rem vniuersalem in communi, & sua singularia callemus. At cum multa in hoc exordio alij soleant interpretes ventilare: nos quid sit prædicamentum, vt pote obiectum operis: dūtaxat discutiemus. Quoniam esse obiectum, etsi quidam multis ostentent: ipsi haud aliter proterue negantes conuincere volumus: quam Diogenes sibi negantem in orbe motum esse, reuinxit. Certe mouens sese eum interrogauit, quid tibi ego nūc facere videor? Ita hos ipse rogo quid hoc inopere exponimus? et in quo exponendo desudamus? Prædicamentum igitur est ordinatio prædicabilium secundum prædicationem, & subiectionem. Traditur enim quod genus de quibus speciebus dicatur: quæ species cui generi supponantur: quæ differentiæ vnumquodq; genus succindant, & species constituant: quæ propria ex singulis speciebus emanent: & quæ sint accidentia cuiq; communia. Quod dum fit, omnia prædicabilia ingeniosißimè ordinantur, & pulchro ordine singula suis sedibus collocantur. Ordinatio itaq; forma est prædicamenti. Quia prædicabilia (vt in præcedenti opere seorsum capta) velut materia lapidum & noua parietum rudera, saxa recens contusa in cumulo congesta, prædicamentum non componunt. Materia vero prædicamenti sunt prædicabilia disposita, quæ sunt entitates reales. At entis realis tractatio quatenus secundis intentionibus substat, haud dialecticis interdicta est. Vnde de generibus vt in prædicatione & subiectione ordinantur (vt

pote

pote ordinatio rationis, & secunda intentio) ex officio proprio, munereq; pertractat, tantum abest alienos in hoc limites calcet. Sed in contrarium multifariam arguitur. Primo prædicamentum (vt nomen præ se fert) est prædicatum: ergo non ordinatio prædicatorum. Primo huic obiectioni dato prædicamentum forsan vt nomen æquiuocum æque vtrunq; referre, scilicet & prædicatum, & ordinem prædicatorum: vt parlamentum vocabulum Gallicũ, vt senatus. Appellatur nanq; parlamentum & locutio, & locus, vbi similes locutiones, vel sententiæ proferuntur, senatus & multorum senum decretum, & domus vbi iudices decernunt. Et ly cathegorias huius libri titulus apud græcos ambo significat: nempe prædicatum (à qua significatione propositio cathegorica est, ac prædicatoria) & prædicabilium dispositionem. Quæ acceptio iam diu est, adeo prima frequentior, vt illa penè aboleuerit. Secundo arguitur in priori tractatu actum est de vniuersalibus, vt prædicabilia sunt, quatenus prædicantur, subyciunturq;: ergo de eisdem hic non potest iterum eadem consideratione, nisi frustra tractari. Respondetur illic in actu signato naturam prædicabilium generis, & speciei, ac cæterorum in communi traditam esse: hic vero in exercitio singula prædicari, & subyci, diuidere, & diuidi: alia demum constitui, emanareq;. Ideo tractatus prior huic præsupponitur, vel quod agnouit Porphyrius, huius introductio est. Tertio non videmus philosophum in prædicamẽtis proprietates generum, & specierum: secundũ quod substãt intentioni, perquirere (quemadmodum palam auctor prædicabilium fecit) sed potius naturas ipsas, proprietatesq; naturales scrutari. Vt de substantia, quod non sit in subiecto, nec suscipiat magis, & minus, sed omnia cõtraria: de quantitate, vt mensuret, per eamq; res æquales, vel inæquales nuncupentur: de qualitate, vt afficiat substantiam, & sit facile vel difficulter mobilis: aliaq; similia, tũ in isto, quum in alys prædicamentis indagat naturalia prædicata ex se subiectis: non prout substant, competentia: ergo iactum fundamentum euertitur. Ad hoc notato metaphisicum, & logicum agere de prædicamentis: illum quidem, quia vt sapiens altißima principia, & caussas in omni ferè genere rimatur: in efficienti, quæ sit prima in materiali, pura potentia: in finali, vltimus finis vniuersi: & præsertim principia formalia, vt potè rei magis intranea: omne autem vniuersale maxime genus, species, & differentia inferioribus est principium formale, quia & de illo prædicatur, & illa continet. Vnde debet de maxime vniuersalibus (quæ prima principia formalia sunt) disserere, & quia decem sunt genera suprema, dum de his disputat, & nonnullas saltem immediatas species exponit: prædicamenta enucleare, censetur: haud tamen ea secundum ipsarum rerum naturas disponendo, vel collocando: sed quid v.g. natura sit substantia, dignitas, & præstantia: & ita reliqua prædicamenta enodando. Dialecticus vero longè alio prospectans, eadem suprema secunde intentionaliter contemplatur, vniuersalia prædicando, singularia subyciendo. Sed non debuit tam præcisa esse doctrina, quin vtiliter, & obiter aliquot naturales generum, & specierum proprietates nominentur: sane ideo vel maximè vt per eas velut per notiora, nobis genera, & species (quas disponimus) melius quænam sint, cognoscamus. Vt cum qualitatem in habitum, & dispositionem partimur: quæ (videntur æquipollere) vt illa signo clarescant, dicitur habitus difficilis, dispositio vero facilis. Et ita in cæteris. Vnde sicut hæc non ex principali intento afferuntur, ita sane per pauca sunt, si ad ea quæ metaphisicus tradit, comparentur. Vltimo tandem arguitur. Prædicatum, & prædicabile est nomen: ergo prædicamentum est dispositio non rerum, sed vocum. Antecedens patet: quia prædicatio fit, consistitq; in vocibus. Et consequens confirmatur ex Boëtio aßerente hunc codicem de decem vocibus esse: imo Aristoteles hanc diuisionem entis in decem prædicamenta, vocis in voces explicuit esse, dicens eorum quæ nulla complexione dicuntur, singula significant aut substantiam, aut quantum, aut quale. Ergo membra diuisionis si significant, erunt voces.

¶ *QVAMQVAM à principio statuerim mecum (quod hactenus quantum licuit, obseruaui) vt me à labore stultas nonnullorum opiniones referendi, & refellendi ex composito eximerem: operæ pretium duxi breuißime nouellis dialecticis ostendere, quam verißime philosophus enunciarit, in multa inconuenientia lapsurum, qui semel errans in errore persistit. Ait enim quòd paruus error in principio maximus sit in fine. Nam qui fingunt, genera species: voces, & nomina*

nomina esse, nõ potius res, nominibus importatas: consequẽter affirmãt, nõ modo nos hic de vocibus quoq; agere, sed totius in vniuersum scientiæ. Imo omnium disciplinarum, obiectum esse nomina, & signa. Quod in præsenti generali omnium sensu, & labore sufficiat, redarguere. Vniuersi enim quærimus solicitè in quo pdicamẽto res quæq; locetur? Vt in quo visio? Vbi aĩa? quæ fuit longa, & operosa Aristotelis inquisitio. Volens enim animæ naturam detegere, eius prædicamentum multis discursibus inuestigat, sciens prædicamẽto reperto genus animæ euestigio cognosci: & tamen nulla eum nominis animæ disceptatio vexabat, quod perfectè cognoscebat. Præterea ens diuiditur in ens reale, & rationis: & ens reale in decem prædicamenta: vt omnes metaphisici celebrant, & fatentur: ergo res & non nomina disponuntur. Quoniam si nominum ordinatio foret, quæ entia rationis sunt, enti rationis, non realis coordinationes, prædicamenta essent. Ad hæc vt omnes agnoscunt inter prædicamenta quædam sunt intrinseca substantiæ: vt quantitas, qualitas, & ad aliquid. Alia extrinseca: & tamen cuncta nomina sunt penitus extrinseca substantiæ. Deinde supremorum generum descriptiones nullo pacto nominibus adaptari, possunt. Substantia est ens per se: quantitas diuisio substantiæ, vel mensura: qualitas affectio, & ita in aliis. Nomina vero nec per se existunt, nec diuidunt, nec mensurant, nec qualificant substantiam. Igitur & prædicamẽta sunt dispositiones prædicabilium, & prædicabilia res significatæ: genera, & species. Quare de inceps nulla huius fictionis memoria habeatur. Ad argumentum negetur antecedens. Ad confirmationes respondetur, primo nonnunquam graues doctores, cum de rebus patentissime agant, in nominibus eas significantibus doctrinam exprimunt, vel exempla subnectunt, vt pote nobis plerunq; notiora. Vt S. Tho. qui 5. metaph. tex. 13. & 3. phisico com. 5. & de potentia q. 7. ar. 9. apertè docet: res esse genera, & prædicata, in pdicamentoq; collocari. 5. meta. tex. 6. loquitur ad hanc formam. Inter partes istas, quæ sunt in hac oratione (idest) in hoc termino complexo Coruscus musicus: altera pars termini complexi scilicet musicus accidit alteri parti per se significatæ. s. Corusco. Vbi cum de entis vnitate tractaret promiscuè veritatem & in terminus & in rebus exemplificans sternit. Et in eodem commento. Similiter (inquit) accipitur vnum per accidens, si aliquod accidens dicitur cum aliquo nomine alicuius generis, vel alicuius vniuersalis. Sicut accipitur vnum de per accidens in prædictis: quando accidens adiungitur nomini singulari. Vbi idem omnino (quod dudum) intuemur. Et paullo inferius vniuersalis substantia inest singulari, vt genus sicut hoc nomen animal: aut si non est genus, saltim est in substantia subiecti, (idest) vt substantiale prædicatum. sicut hoc nomen homo, hæc ille. Eodem modo intelligendus est Boëtius: cum decem voces nos hic tractare, asseuerauit, nẽpe nomine vocis res significatas intelligens Et Arist. cum dixit: singula aut substantiam significant, aut quantum, aut quale; cum ens diuideret, haud nomina significantia. Præsertim quòd pdicamentum in terminis formaliter construitur. Sicut enim res prædicabilis est: prædicatio tamen exercetur in voce rem assertam significante: ita prædicabilium (quæ nos manu capere, vt ordinemus, non possumus) ordinatio in eorum signis exercetur, atq; fabricatur: siue mentalibus, vt intus: siue sensualibus, vt foris. Itaq; prædicamentum quidem formaliter ex terminis compactum est, Et sicut numerus formaliter ex vnitatibus constat, vbi tamen res numerantur: ita res sunt quæ vti prædicabilia passiuè in prædicamento collocantur, licet terminis mediantibus collocentur. Ideo meritò dixit Boëtius, de vocibus hic disputari, quatenus prædicabilia suis signis quoad prædicationem, & subiectionem ordinamus. Igitur quid operis obiectũ quidq; prædicamentum, & quanta eruditio, peritiaq. hinc comparetur, sufficienter hactenus dictum sit. Diuiditur autem liber in tres partes principales, nempe in ante prædicamenta, pdicamenta, & post prædicamenta. In prima iaciuntur quædam fundamenta, quibus pdicamentorum fabrica fulcitur. Quorum notitia proinde ad illorum intelligentiam præambula est. Quod quidem talem nomenclaturam huic doctrinæ frustrulo fecit, vt ante prædicamenta appellaretur. Horum ratio, necessitas, & ordo in ipsorum expositione patebit. Modus tamen totius libri est definitiuus, & resolutorius. Nam cum de simplicibus, & incomplexis (vt diximus) agatur, quæ non nisi definitione, & diuisione sciuntur: congruit ille modus.

De

De æquiuocis, vniuocis, & denominatiuis. Cap. I.

TEXTVS.

ÆQVIVOCA dicuntur ea, quorum nomen solum commune est: ratio vero substantiæ nomini accommodata, diuersa: vt animal dicitur & ipse homo, & id quod est pictum. Horum enim nomen commune tantummodo est, ratio vero substantiæ nomini accommodata diuersa. Si quispiam enim quænam sit vtriusq; ratio animalis voluerit assignare, rationẽ vtriusq; profecto propriam assignabit. Vniuoca ea dicuntur, quorum & nomen commune est, & ratio substantiæ nomini accõmodata eadem est: vt animal dicitur & ipse homo, & equus: nomine nãq; communi & homo, & equus animalia nuncupantur, & ratio quoq; substantiæ vtrisq; eadem est. Si quispiam enim vtriusq; rationem voluerit assignare, quænam sit vtriusq; ratio animalis, eandem rationem omnino reddet. Denominatiua ea dicuntur, quæ ab aliquo nominis appellationem habent, solo differentia casu: vt à Grammatica Grammaticus appellationem habet, & à fortitudine fortis.

COMMENTVM.

PRIMVM ANTE PRAEDICAmentum est vniuocorum, æquiuocorum, & denominatiuorum tractatus. Et quidem de terminis vniuocis, & æquiuocis quantum fas iudicaui, in summulis locuti, de rebus nunc æquiuocatis, & vniuocatis verba contexìmus. Quo (vt mea fert sententia) vtriusq; loci clarior intelligentia comparabitur. Nam & res denominantur æquiuocæ à terminis, & termini à rebus. Quia sicut ab se mutuo signum, & signatum dicuntur: ita termini à conuenientia, vel differentia rerum significatarum vniuoci appellantur: & res importatæ æquiuocatæ, vel vniuocatæ: quoniam talibus signis referuntur. Vnde nec rerum æquiuocationem, vniuocationemve nisi per nomina: nec nominum, nisi per res tractare possumus. Ratio autem huius antepræ dicamenti ea est, quòd cum de prædicabilibus, & prædicationibus realibus acturi simus: & omnes prædicationes hæ ad tres reducantur: ad vniuocam scilicet æquiuocam, & denominatiuã: pãrerat, æquiuoca, & reliqua prænosceremus. Nanq; prædicationis qualitas ex prædicato pullulat. Si æquiuocum est, æquiuoca nuncupatur: & sic in cæteris. Quòd vero ad has tres species omnes prædicamentales assertiones velut constipentur, constat. Siquidem non possumus latius, pluribus ve modis prædicamenta considerare, quàm vel omnia respectu ipsorum superioris scilicet entis: vel inter se mutuo, vel vnumquodq; in se ipso. Ens de illis æquiuocè: vnumquodq; vero supremum de contentis in se vniuocè verificatur. Vnũ autem de alio denominatiuè prædicatur. Vnde oportunè horum sermonem inserimus. Igitur æquiuoca dicuntur, quorum nomen est cõmune, &

& ratio substantiæ nomini accommodata diuersa. Cum vniuoca in nomine, & ratione conueniunt: non poterunt æquiuoca, quæ alterum extremum videntur; in ambobus differre. Quoniã cum ex nomine similem denominationem exhauriant: si idem nomen haud haberent: nullam secundum illud appellationem sortirentur. Igitur æquiuocis nomen commune est: & ratio nomine importata (id est) natura rei significata diuersa. In prædicamentis patebit, substantiã vno modo pro essentia, & natura cuiusq; de sumi: in qua acceptione capitur in præsenti. Præsertim cum sciamus æquiuoca, & vniuoca accidentibus, sicut & substantijs indifferenter competere. Vt visio dicitur & de obtutu oculorum, & de animæ intellectione. Et lumen de splendore Phœbi, & perspicacitate ingenij. Fortitudo de viribus corporis, & tolerantia animi. Genera etiã, & species accidentium vniuocè de singularibus prædicantur, alias non essent genera. Itaq; ratio nomini accommodata est natura rei significata per nomen. Philosophus dicit, quòd ratio significata per nomen est definitio, eodem ambæ expositiones recidunt: nisi quòd omnes res habent naturam: haud tamen omnes definitiones (quod capite de specie prospeximus) Vt ens, & eius proprietates: quæ sunt æquiuoca: genera etiam suprema, & differentiæ laterales non definiuntur saltim quidditatiuè. Vnde si per rationem nomini accommodatam definitionem vniuersaliter interpratemur, hæc neq, æquiuoca, nec vniuoca essent. Vniuersalius ergo in præsentiarum ratio nomini accommodata intelligitur, esse natura rei significata per terminũ. Et sensus est Aequiuoca sunt, quorum nomen est commune, sed natura diuersa. Vt oculus nomen commune est & potentiæ visiuæ & intellectui: at natura sensus longe diuersa est ab ratione intellectiuæ. Floriditas agri & actus ridendi nominantur risus: at conditio florum distincta est omnino à vero risu, & gaudio. Vniuoca vero, ambo habent communia: nomen scilicet atq, rationem. Vt singuli homines quatenus hac dictione importãtur: in appellatione, definitioneq; conueniunt. Omnes appellantur homines, & sunt animal rationale. Vnde respondetur facile, si obijcias: non omnes termini æquiuoci, vel vniuoci significãt substãtiã: ergo definitio est diminutiua. patet enim in sensu definitionis vniuersos substantiam referre.

¶AT PRO NOTITIA ILLIVS PARticulæ, nomini accommodata, notato: quòd quanquam nomina ad res significandas imponatur: non tamen vnum nomen semper significat quicquid est illa res, vel habet. Siquidem eidem rei contingit plurimas inesse rationes: vt in Petro est color, statura, figura, potentia, actus, & essentia. Ly album tamen significans Petrũ, nõ eius magnitudinem, sed tantum suppositum cum colore significat. Quo circa omne nomen rem quãpiam secundum aliquam peculiarem ipsius rationem, vel intrinsecam, vel extrinsecam significat Quia non potest eam secundum omnem repræsentare. Vnde ad indicandum vtrum duo vniuocentur, vel sint æquiuoca: non est perpendẽdum an aliqua ratio ambobus cõmunis sit (hoc enim prope semper reperitur) sed an ratio secũdum quam nomen illas importat, vtrisq; vna, vel diuersa sit. Quod manifestis rationibus prob. Primo quia res non vniuocantur in se absolutè, sed respectu nominis: ergo rationes rerũ, vel ipsarum participationes non eas vniuocas, vel æquiuocas constituit. Secundo contingit frequenter aliqua in vna, vel duabus rationibus nõ significatis tali nomine conuenire, & in significata differre: vt potentia animæ, & corporis cõueniũt, quatenus sunt virtutes subiectorum, quibus aliquot operationes eliciant: & in hoc etiã quòd sunt accidentia subiectis inhærentia. & tamen intellectus, & aures æquiuocantur hoc nomine auditus. Nimirum quod nullam rationem eandem illis affert. Vltimo si per conuenientiam absolutam rerum vniuocatio iudicanda foret, nulla prope æquiuoca essent, quoniã nullæ sunt in multis non cõuenientes. Rursus si per diuersitatem æquiuocatio colligitur, nulla forent vniuoca: quia in multis omnes differunt. Igitur ratio importata per nomen tantummodo respicienda est: & penes illam metiẽdum, vtrum res æquiuocæ, vel vniuocæ exsistant. V. g. (caussa claritatis, & breuitatis vtamur exemplis) si intellectus, & auditus respectu huius nominis potẽtia consi derentur: vniuoca sunt: quoniam significat illis vnam rationem communem (vt supra explicuimus) at in hoc nomine sensus æquiuocantur, vtpote cum diuersa ratione ab auditu intellectus sit sensus. Ille enim re vera sentit, & sensatione actuatur: hic vero (cum sit penitus insensibilis) sensus animæ dicitur: quia eo mediãte res, & percipit,

cipit, & indicat. Ecce quomodo ratio vni accommodata nomini, res denominat æquiuocas: quæ respectu alterius sunt vniuocæ. Multa alia de vniuocis æquiuocisq; admodum vtilia loco summularum præfato tradidimus: de quorum insuper gradibus in prædicabilibus quoq; disertum nobis est: vbi speciem specialissimam summam vniuocationem constituimus. Quæ duo si positis hic misceantur, & melius omnia intelligentur, & materia penetrabitur. Denominatiua vero dicuntur, quæ ab aliquo sibi accidenti appellationem habent, vt albus ab albedine. Vbi aduerte, quod Petrus habens albedinem si absolutè consideretur, vt proprio nomine Petrus præsentatur, non est denominatiuum: sed vt nomine importāte in concreto accidens, à quo denominatur, vt albus. Omne enim accidens est in subiecto, cui velut forma aliquam denominationem tribuit, vt sapientia confert, quòd habens se sapiens appelletur. Quantitas, vt magnus, motus, vt mouens. Et quia veritas propositionis ab esse rei emanat, ideo ab his formis hæc denominantur: quia hæ formæ re vera illa talia reddunt. Imo omnis fere denominatio ab aliquo velut à forma prouenit, non modo in accidentalibus, sed etiam in substantialibus. Vt rationalis ab anima, homo ab humanitate. Tametsi haud omnia denominatiua sunt, sed ea dumtaxat, quæ ab aliquo sibi accidentali denominantur. Denominatiuum enim est quasi ab alio nomen capiens. Vnde diuisione, & distinctione inter denominans et denominatum opus esse, ipsamet nomenclatura insinuat. Denominatiuum enim quasi ab alio nominatum. Quod autem est ipsa res, vel pars essētialis illius, aut proprium, non censetur quo ad præsens tam aliud esse, vt ab eo denominatiuum dicatur. Vocabuntur tamen aptè denominata, & cum hæc definitio verissima sit, pariter & plana: eo pacto Aristoteles denominatiua definit vt non parum negocij definitionis & intelligentia, & defensio pariat. Ait enim denominatiua dicuntur, quæcunq; ab aliquo nominis appellationem habent, solo differentia casu secundum nomen: vt à grammatica grammaticus, & à fortitudine fortis. Sensus est quòd forma denominans vt in albo, albedo, & ipsum albū (quod est denominatiuum) habent propemodum tam idem nomen, vt quasi terminatione tantum vtrunq; differat. Quod similitudine quadam vocat differre casu. Nō enim casus (vt cōstat apud latinos) nisi varia terminatione distinguntur. Quod vellut grammaticis recenter aduenientibus notius (meo iucicio) philosophus inseruit. Quo facile discernerent, à qua forma vnūquodq; denominaretur. Et forsan etiam denominās, & denominatiuum solo differre casu (idest) nomine dixit: quoniā in ea (vt quidam arbitrātur) opinione erat, quòd concretum solam qualitatē significat. Sed quanquam definitio prope semper verificetur, non est opus, ea vti. vt pote admodum extrinseca definito, ac proinde defectibili, vt pluries deficit. Etenim studiosus (quod est obiectio communis) appellatur quis à virtute, à qua penitus nomine differt. Humanus præterea à pietate & lenitate animi. Et in dies potest denuo millies definitio deficere. Quoniam multum de peraccidens est denominatiuo, cum forma denominâte in nomine conuenire. Quæ vero habent se de peraccidens, possunt frequenter mutari, & mutantur. Necessario vero exactam est, vt ab aliquo sibi accidenti denominetur. In eandem quoq; definitionem arguitur, homo dicitur materialis ab materia, humanus ab humanitate: à quibus etiam quo ad nomen solūmodo differt casu: & tamen hæ prædicationes, homo est materialis, vel humanus, imo hæc Petrus est homo ab humanitate (etenim Petrus pariter nuncupatur homo) non sunt denominatiuæ, sed essentiales: ergo definitio corruit. Miror certe virum aliâs grauem, quo definitionem tuetur, concedere ista denominatiuè de homine dici, esseq, prædicationes denominatiuas prædicato à natura diducto: non à virtute, & clementia animi, vt dudum argumentabamur. Ab vtroq, enim trahitur, & dicitur, sed æquiuocè. A quidditate, siquidem appellatione dessumta omnes sunt humani: à virtute vero pauci tales denominantur. Plurimi enim crudeles sunt, & intractabiles.

Cum paullo tamen antea eodem in loco idem auctor dixisset, distingui apud Aristotelem prædicationem denominatiuam, ab essentiali. Quod ex motiuo huius anteprædicamenti manifestissime colligitur. Nempe quòd vt prædicamentales habitudines, quo ad prædicationes compertas haberemus hæc tria ventilamus. Et denominatiua prædicatio est, qua res vnius prædicamenti de re alterius verificari potest. Et tamen alterū prædicamentum de altero (vt omnes sentiunt) solum

solum accidentaliter verificatur. Ergo illæ prædicationes, & omnes essentiales non possunt, denominatiuæ censeri. Imo (quod ego opinor) nec proprium, vt risibile denominatiuè prædicatur, nec prædicatio tam intrinseca, & de per se apud me denominatiua vnquam iudicabitur. Sed si quis ad omnem prædicationem accidentalē denominatiuam extenderit (quod non admodum repugno) nullo tamen pacto ad essentiales vsq; extendere debet. Ex quo certe nostra definitio clarior & exactior infertur.

VTRVM TEXTVS is habeat verum?

PRIMO CONTRA DIVISIONEM *huius capitis. Analoga non sunt alterū horum membrorum (cum inter vniuoca, æquiuocaq; velut medium consistant) ergo diuisio est insufficiens. Confirmatur, denominatiua sunt vniuoca, vt album, sapiens, iustus, vniuocè enim de inferioribus dicuntur: & ratio substantiæ nominibus accomodata est illis eadem: scilicet sapientia, & iustitia. Confirmatur secundo. Nullum apparet huius diuisionis diuisum, sed nec apparere potest: quia illis tribus nihil commune assignabitur: sane cum prorsus disparata videantur. Secūdo contra definitionem æquiuocorum: res dicuntur æquiuocæ, secundum quòd substant intentioni: at secunda intentio est illis & vniuoca, & vniuocè conueniens: ergo ab illa non possunt æquiuoca nuncupari. Quia nulla forma dat denominationem sibi oppositam. Tertio sequeretur ex ea, corpora, & substantias æquiuocè dici. Prob. primo de corporibus. Quia corruptibile, & incorruptibile differunt genere. Secundo, substantiæ ratio lōge alia est abstractæ, quam corporeæ: cum non modo illæ incorruptibiles sint, verum corporis etiam expertes. Consequens tamen est falsum: ergo & añs. Quarto contra definitionē vniuocorū. Ens non est vniuocum, & tamen entibus nomen est commune, & ratio substātiæ nominis eadem. Cuncta enim quoniam sunt, & habent esse, entia dicuntur. Ergo alicui competit definitio, cui non definitum. Quinto hæc prædicationes, calix est argenteus, domus est lapidea, sunt denominatiuæ, & tamen non denominātur ab accidenti, vel aliqua forma, sed à substantia, & materia rei scilicet ab argento, & lapide. Ergo definitio denominatiuorum insufficiens. In contrarium est philosophus.* ¶ *Ad quæstionem affirmatiua conclusione responso. Ad primum argumentum fatemur, non esse ist hæc tria alicuius diuisionis partes saltem adæquatas. Nec arbitror hoc in capite diuisionem esse. Quia si quodpiam diuisum constitui potest, maxime id scilicet ea quæ dicuntur partim æquiuoca, partim vniuoca, partim denominatiua sunt. Præter quæ tamen alia plurima dicuntur, sane propositiones, syllogismi, perorationes. Si dicas esse, quæ incomplexè dicuntur, adhuc non adæquat. Quia & complexis vniuocatio, æquiuocatioq; conueniunt. Qua propter philosophus nulla hic diuisionis forma vsus est: sed disiunctim vnumquodq; definit. Et ita celebri prouerbio fertur, primum antepradicamentum esse tres definitiones. Igitur secunda confirmatio plane diruitur: ad reliqua suis locis in hac quæstione dicemus. Ad secundū, primo respondeto. Non omnia æquiuoca vniuocè æquiuoca esse, idest, cunctis æqualiter intentionem, & nomen æquiuocationis competere: sed habet gradus (vt illico de analogia exponemus.) Vniuoca vero vniuocè omnia saltem logice vidētur esse: & merito. Quia vniuocatio in conformitate rationis consistit, & velut in medio: æquiuocatio vero in diuersitate. Aberrare, vero seu distare ab vno, & medio vt (ethici dicunt, & mathematici) multifarie contingit. Ideo æquiuocationis multiplex est species. Secundo etiam si vniuocè conuenirent: non ideo æquiuoca esse desinerent: nec intentioni æquiuocationis opposita denominatio est vniuocatio. Quinimo in his intentionibus, altera subaltera comprahenditur vt genus species. Quibus siquis cui tempus, & ociū suppetat, vel parumper luserit forte condēsa, cōfusionis caligo eum proprio lumine orbabit. Æquiuocæ enim res respectu sui nominis in particulari dicuntur. Quæ tamen ratio in omnibus æquiuocis non est inconueniens vniuoce reperiatur. Et ita vniuocè posset cōpetere, vt essent æquiuoca. Ad tertiū notato quòd vniuocatio, atq; æquiuocatio est duplex scilicet logica, & phisica. Logicus qui naturas, vt intelliguntur & prædicantur, considerat, eas vniuocas existimat, quæ eodem conceptu intelliguntur, æqualiterq, de inferioribus verificantur. His nanq, positis nō potest ratio nomini accommodata eadem non esse.*

Siquidem

Siquidem conceptus saltem obiectiuus est ratio importata per nomen. Nomina enim imposita sunt ad significandos hos conceptus etiam formales (vt aliàs fuse tractauimus) ideo si est idem conceptus est eadem ratio. Deinde ipsa æqualis verificatio arguit, in ratione vniuocè conuenire. Intellectus vero est abstractiuus, a qualibet scilicet proprietate præsertim essentiali rationem aliquam abstrahens & formans: quantumcunq; aliàs inferiora differant. Et quia habere materiam, & per se aptum natum exsistere, essentialis quædam proprietas est: ab omnibus corporibus (etiam si altera sunt corruptibilia, altera incorruptibilia) ratio corporis abstrahitur: & à substantiis (quæ per se omnia exsistunt) substantia eleuatur, quæ est ens per se Licet tantum incorporea à corporeis distent. Phisicus vero rerũ naturas contemplatur, & quia differentia sumitur à forma, genus à materia. Quando non modo ex parte formæ, sed etiam materiæ res differunt, phisica trutina genere differre iudicãtur. Quando vero ex parte dumtaxat formæ, solum speciei. Et quia corruptibile competit ratione materiæ. Illud enim corruptibile habetur: cuius materia est in potentia ad alias formas. Incorruptibile cuius materia satiata est habita forma. Hinc corruptibile, & incorruptibile secundum naturam duo genera rerum exsistunt: & multo iustius substantia spiritalis, & corporea: vt pote quæ nec in forma nec in materia vllo pacto cõueniunt. Illa enim corpore caret & forma simplex exsistit: quæ ista nullatenus haber. Igitur omne vniuocum phisicum est logicũ. Quia quæcunq; in natura conuenerint à fortiori & in conceptu. Haud tamen æquiuocũ phisicũ, est pariter & vniuersaliter logicum. Quidam autem putãt nullum genus vniuocum esse phisicè, quoniã hæc vniuocatio. s. phisica (inquiunt) fundatur in vnitate naturæ: logica vero in vnitate rationis. Omne aũt genus est vnum vnitate rationis. Quod minimè credo vero simile. Phisicus enim cõsiderat genus, & mox species vt primo animã, dein de specificas, & singulas formas viuentes. Quod neutiquã fecisset, si eas genere differre putasset. Nã quæ differũt genere, nõ possũt definitionẽ habere cõmunẽ. Secũdo si nomine vnitatis naturæ intelligũt isti vnitatẽ realẽ, nec species vniuoca est, vt pote vna vnitate rationis. Solũ enim indiniduũ vnitatẽ sortitur realẽ. Igitur rectius vniuocatio phisica & logica illa libra metietur. Vnde respõdemus: quòd substãtia & corpus sunt æquiuoca phisicè, vniuoca logicè: reliqua vero huius pdicamẽti genera vtraq; in disciplina habẽtur vniuoca. ¶ Quartũ argumẽtũ postulat de analogia diseramus, res & cognitu necessaria & à multis multũ satis discussa. De qua, ne onerosa repetitione legentes fastidientur, præsupponamus hîc, quæ secundo capitulo summularum de eadem re late tradidimus. Vbi analogiam in genere sufficienter expendimus. Dictum nobis fuit analoga esse quorum nomen non est omnino cõmune & ratio substantia nomini accommodata non penitus diuersa, sed proportionalis. Primo analogia (quod & æquiuocatio exigit) est inter multa: quorum alterum primo rationem nomine importatam habet, alterum vero propter proportionem vel similitudinem cũ illo priori tale nuncupatur. In quo patentissime analoga ab æquiuocis distinguuntur. Horum nanq; seorsum vnumquodq, suam peculiarem ex importatis per nomen habet. Vnde æquiuocum multas simul rationes æque affert. Vt Petrus: & hunc significat & illum. Analogum vero absq; relatione & cõparatione ad prius de posteriori signato minime verificatur. Vt effigies non vocatur homo nisi ex similitudine viui: & floriditas prati non appellatur risus nisi ad lætitiam hominis relata, propter proportionẽ inter ea repertã. Habet enim se ager cum floret admodum ridentis gaudẽtisq;. Hinc est quòd in æquiuocatione est rationum signatarũ omnimoda diuersitas: in analogia vero non potest ratio importata non esse vtcunq; vna. Sic inter vnitates rationis vnitas analogiæ computatur: sed est vnitas quantũ minima esse potest: cui magna proinde & inæqualitas, & diuersitas compatitur. Ratio huius est quia (vt dicit Aristoteles) vbi vnum propter aliud, ibi propemodum vnum tantum est. Alterum autem analogorũ semper est tale propter alterum: ergo aliquo pacto vnum est. Præterea analogia exigit proportionem conuenientiæ non disconuenientiæ. Quædam enim nonnunquam in hoc cõueniunt, quòd proportionabiliter inter se vel ab aliquo differunt (quæ in phisica vniformiter difformia nuncupantur) vt octo & nouem, alterum est omnino per partes æquales diuisibile, vt in quatuor & quatuor: rursus quatuor in duo & duo, & deniq; duo in vnum, &

vnum:nouenarius vero omnino est indiuisibilis, similis proportio differentiæ non constituit analogiam.sed conuenientiæ. Nempe vt in ratione importata proportionabiliter conueniant. Cum ergo in ratione analogia conuenientia signatorum exigatur:non potest ratio non aliqua tenus intelligi vna.In quo ab æquiuocatione perfecta deficit.Vbi sicut plures sunt rationes, vnaquæq; distinctim suo signato atq; independenter ab altero competit. Huius non aliunde rationem & caussam opus est inquirere, quam & ex rebus, & ex natura intellectus, qui est collectiuus, & comparatiuus.Duo enim vel plura quãdoq; ratione conueniunt,quandoq; vero & si differant, nonnihilum aßimilantur.Quod cum intellectus aduertat:analogia exorditur.Hinc quo ad nomẽ pertinet,sequitur æquiuocũ tot nouis impositionibus egere,quot significata primaria refert:ob id quòd singula seorsum sine alterius collatione importat.At analogo vnica impositio post modum vsu protensa ad sua significata referenda sufficit.Vt oculus primo ad obtutum corporis exprimendum impositum est:postea vsu ad intellectum significandum translatum.Ipsa enim secũdarij significati cum primario conuenientia efficit, vt prima impositio vsu extensa sufficiat. Hinc distinctio,& diuersa signatorum analogi nominatio profluxit.Nempe vt alterum importaretur per prius,alterum per posterius.Alterũ esset significatum famosius,alterum minus principale.Quamquam doctrina S.Th.in hac re plurimum consideranda est,vt pote dignißima scitu.Sane quòd(quia nomina substituuntur ad significandum quæ intelligimus) impositio sequitur & nostram cognitionem, & eius ordinem. Et contingit quãdoq; ea res prius nobis innotescat,cui minus ratio importata conuenit:ac per consequens minus principale signatum primario importatur.V.g.ly bonũ cum maxime deus sit bonus:& creatura tam deficienter:(quia hæ nobis cognitione priores fuère)prius ad bonitatem creaturarum importandam, absolute impositum est. At temporis discursu celsitudine, infinitateq; dei bonitatis cognita(ex quo vniuersæ creaturæ bonitatem mendicant.) Non tantum nomen ad eum significandum extenditur: sed vt tanquam famosius signatum referatur: & creaturæ ipsius effectus ob proportionem quam cum illo gerunt,bona nuncupentur. Itaq; impositione creatura per prius, deus posterius: sed rationis signatæ conuenientia,deus principalius, creatura (vt par est) minus principaliter importantur. Plerunq; tamen impositio & cognitio quantum ad hoc rerum ordinem sequuntur,estq; prius impositione expreßũ, quod prius rationem expressam participat.Vt sanum prius repræsentat animal,quàm cibum, & vrinam: ens antea substantiam,quam accidens. At vniuersaliter non tenet , id prius analogum significat:ergo est principalius significatum. Quoniam impositionis prioritas prioritatem cognitionis arguit:non rei præstãtiam in ratione allata concludit.

¶*SVPEREST TANDEM VT DE speciebus analogiæ, quo eius notitia perficitur, differamus. Quæ est duplex altera proportionis, altera proportionalitatis. Proportio pro nunc idem est quod habitudo. Vt animæ rationali humanum corpus est proportionatũ, idest, accommodatum, & habet habitudinem. Proportionalitas autem est harum habitudinum seu proportionum similitudo.Vnde proportio est inter duo : proportionalitas postulat quatuor. Vt risus habitudinem dicit ad ridentem:& effigies similiter proportionem ad viuum:floriditas vero prati nullam proportionem dicit ad risum, sed tantum inter ea proportionalitas reperitur. Vt quemadmodũ cum homo ridet,lætitia de bono afficitur:ita cum prata florescunt,habent vigorem & pulchritudinẽ:quod eorũ hilaritas & bonũ iudicatur.Et ita vt risus ad hominẽ:sic floriditas ad agrum:vnũquodq; ad suum subiectũ proportionem, & habitudinẽ habent:inter se tñ tãtũ proportionalitatem exprimunt. Hoc pacto sunt analoga ly clauis,visus,fundamẽtũ,ad fundamẽtũ domus,& doctrina. Elemẽtũ ad quatuor orbis,& ad literas.Materia ad corpus rerũ naturaliũ et artificialiũ.Vtraq; enim habet se proportionabiliter & ad cõposita,& ad formas. Analogia vero proportionis quadrupliciter cõtigit:secũdũ quadruplex genus caussarũ.Est dictu,quòd principalis signatũ analogi ad quod cætera analogata habitudinẽ dicũt(ob quã talia nũcupantur)quãdoq; respicitur ab illis velut sui finis aut alterius,vel vt efficiẽs,aut tãquam materia,vel forma.Vt sanum primò est animal cui formaliter sanitas hæret:cibus vero sanus est,qui est debitũ medium ad illũ finem.s.sanitatẽ,cõsequendum:*

dum: vrina vero vt signum. Vnde hæc analogata respiciunt principale signatū, vt finem. Quandoq; vero habitudinem dicunt ad vnum efficiēs. Vt medicina formaliter de antidoto, & pharmaco, cibo, & alijs rebus homini applicatis & medentibus: sed de doctrina & arte medici secundario. Habitudinem enim ad primas velut ad vnā effectricem sanitatis dicunt. Vnde quæ sana secundum quid vocabantur: nunc principaliter medicinæ nominantur. Ad vnam caussam materialem referuntur accidentia: quæ corpori hærere valent. Homo & reliquæ species ab intrinseco materiales sunt: albedo & similia accidentia, denominatiuè propter habitudinem ad corpus materialia nuncupantur. Alia vero eadem analogia spiritalia: vt scientia, virtus vnā formā designant, quatunq; ob similitudinē cum primario talia appellantur: vt homines crudeles Nerones: fortes, leones, pulchri, narcissi. Est demum vltimo aduertendum, sæpe vtraq; specie analogiæ idem nomen dici, & ex vna specie alteram nasci: vt sanum per attributionem ad vnum finem de cibo, & vrina dicitur: sed de incolumitate meatis, & corporis proportionabiliter tātum analogia proportionis. Prima fuit in illo, ex qua deducta est secunda. Rursus tertio de salute animæ & de consilio: vocatur enim etiam sanū cōsilium, sana sententia analogia proportionis. Itaq; in vno eodemq; nomine, & vnica impositione tres analogias offendimus. Quibus suppositis. Ad argumentum respondetur, iure analoga intra latitudinem æquiuocorum contineri. Quia ratio nomini accommodata, etsi non omnino, sufficienter tamen diuersa est. Constat enim quam multū distincta est ratio sanitatis in animali ab ea quæ cibo, & vrinæ competit Si vero analogia puræ, meræq; æquiuocationi comparetur, medium inter vniuoca & æquiuoca (vt notauimus) tenere videtur. Nonnulli analoga æquiuoca, à consilio vocant: reliqua vero à casu. Ob id quòd cum analogia dicat proportionē, seu collationem vnius ad alterum: opus est animaduersione, & consilio intellectus extendētis ex professo nomen ad secundaria importanda propter proportionem ibi repertam. Equidem omnia analoga possunt vere ita vocari, quanquam nec consilium analogiam constituit (licet requiratur) sed proportio. Nec vbicunq; consulto nomen diuersis, imponitur, analogia dicetur, vt si propter auum nepoti. Vnde non conuertuntur.

¶ ARGVMENTVM 4. PETIT ENTIS analogiam satis disertè per metaphisicos ex officio traditam: quorum disciplinæ obiectum est ens. Nobis vero quòd in decem prædicamenta partiatur, opus est, rudi saltem Minerua perstringatur. Ens dicitur de deo, & omnibus creaturis, ac proinde de substantia, & accidentibus. De quibus (quod sit prima, & vniuersalis conclusio) non potest mere æquiuoce dici: vt scilicet entibus solummodo nomen sit commune: ratio substantiæ penitus diuersa. Nā quod nemo inficias ibit, ratio illi nomini accomodata est id, quod est. In quo tamen omnia illa vtcunq; conueniunt. Primo deus in tantum est ens, vt Antonomasia ens sit proprium nomen illius, esseq; ipsius natura, et essentia. Nihilominus creaturæ (quod apud omnes constat) habent quoq; esse. Id enim quando deus eas condidit, fecit: de non esse, scilicet illas in esse producere. Accidentibus pariter, eodem pene medio rationem conuenire patet. Quæ quidem si non essent, nihil omnino facerent. Ad omnes quippe actiones maximè caussæ vtcunq; agentis esse præsuponitur nihilq; est impossibilius: quàm quippiam facere, quod non est. Sed his non obstantibus: est è contrario secunda conclusio. Non potest his omnibus vniuocam esse. Nempe vt ratio entis cunctis parilis exsistat. Primo accidens nec est, nec vocatur simpliciter, sed diminutissime ens: ergo in eius ratione cum substantia nequaquam æquiparatur. Quibus enim ratio est eadem, nomen etiam illam significans absolutè, æqualiterq; competit: vt inductiue prob. Substantia vero etsi absolutè ens appelletur, multo magis ab esse diuino degenerat, quàm ipsa accidentia antecellat. Vt pote illa distantia infinita: inter finitum vero & infinitum (vt communi axiomate ferunt) nulla est nec proportio quidem: tantum abest vniuocatio. Super est ergo vt analogice virificetur de deo, & creaturis, analogia proportionalitatis: de substātia, & accidētibus: proportionis ad vnū subiectum. Omne enim accidēs est ens per respectū ad substātiā cunctorum subiectū. Creatura vero ad esse habet se proportionabiliter, sicut ad suum esse deus. Nēpe (quod et Ioānes dixit) sicut ille est, ita & nos sumus: tametsi in infinitum ille sublimius. Itaq, non dicit creatura proportionem propriè ad deum in ente, à quo sine vlla

proportione excellitur: sed adesse proprium sui. Sed hoc eius esse ad eam proportionabiliter tantum, & non vndequaq; se habet: quemadmodũ esse diuinum ad deum. Multa enim hoc habet, quæ illud nullatenus habet (vt supra insinuauimus) si quis vero asserat, esse pariter analogiam proportionis ad vnum efficiens (quoniam re vera habitudinem effectus ad caussã dicit, ad deũ creatura) non contendam.

¶HAEC TAMEN *etsi plana sunt, haud plane defenduntur. Vrgent quidam enim quærẽtes, quid immediate ens significet (cum de immediato significato definitiones istæ intelligantur) vtrum vnum, vel plura? Et quidem videtur palam, vnũ importare: videlicet id quod est. Quia quotquot eius significationem nouerunt, id, quod est, eo audito concipiunt, & explicant. Igitur si vnum præsentat: erit vniuocum. Quoniam æquiuocum immediate diuersa refert. Quidam hoc maxime argumento deuicti putant ens immediate significare diuersa scilicet substantiam, & accidens: & quòd cum illud audimus, hoc disiunctum concipimus. Alij arbitrantur significare immediatè decem rationes (hoc est) decem prædicamenta, totidemq; sortiri significationes. Nos autem communi sensu tracti, quo vniuersi rogati quid ens significat? respõdere consueuimus, id quod est: arbitramur, hanc ipsam rationem immediate significare, eãq; intelligi, atq; concipi, vnicumq, conceptũ formalem, & obiectiuum habere. Inæqualitatem vero, & analogiam in diuersa huius rationis participatione consistere. Nam hoc. s. quod est, imperfectè accidentibus, & per atributionem conuenit: creaturis vero (si ad celsitudinem esse diuini conferantur) tantum proportionabiliter. Vnde argumento primo dicimus, quòd forsan in ratione significanda non sunt ista differentiæ immediatè: mediate. Licet in significando supposito inueniantur. Non enim nomen significat vnã rationem mediate, alteram immediate: sicut significat hominem in communi, & secundario Petrum: quæ ambo supposita sint. Deinde si de immediata ratione interpratentur: quo pacto vlla analoga æquiuoca erunt, cum constet, omne analogum immediate, vt pote per prius vnum significare, & alterum per posterius, non ergo poterit esse æquiuocum si hoc postulat in mediate duas rationes referre. Ista certè immediate non important diuersa, sed vnũ. Quicquid tamen sit respondemus secundo: quòd ratio etiam immediata consideratur dupliciter, idest, absolutè in se ipsa, secundo respectu secũdariorum (si ita fas est loqui) signatorum: seu (quo clarius loquar) respectu supositorum. Et hoc modo accipitur in definitione. Dicitur enim quorum ratio eadẽ est, vel diuersa & patet ly quorum pro secundo signatis supponi, & sensus est, quod ratio immediate signata est illis eadem, vel diuersa. Et dicimus, quòd ratio entis in communi sumta vna est, sed ad secũdaria significata relata diuersa. In tantum inquam dispariter eam in se participant: vt analogicè dumtaxat, non vniuoce conueniant. Quod eo maxime patet, quia nulla ratio maior generica potest vniuoca esse. Ratio vero entis maior est generica, cum genus esse non poßit. Si vero obycias, quòd natura quoq; generis diuersi modè ab speciebus poßiderur, facile discrimen prospicitur. Quia natura generis integra, perfectaq; est in singulis. Ideo analogia non habet locum: ratio tamen entis est in accidentibus absolutè imperfecta. Et in substantys cõparatiue, imperfectè & mutilatim. Qua in re id maxime cõsideretur oportet, quòd inter analoga enti pene peculiare est, vt importet vnicã rationem: quæ formaliter omnibus insit analogatis. Cætera enim analoga siue proportionalitatis, siue proportionis, aut duas rationes significant, licet vnam propter alteram: aut si dumtaxat vnam, illa formaliter solum est in primario signato: à quo reliqua extrinsecè denominantur. Vt visus primo importat sensum: secundario intellectum, cui ratio sensus formaliter non cõuenit, sed proportionalitate quadam, visus, intellectus nuncupatur. Sanus sanitatem, quæ solummodo animali inhæret, importat: cibo vero nulla penitus sanitas inest, sed extrinsecè sanus denominatur. Vnde hæc pdicatio, cibus est sanus: est omnino accidentalis, & extrinseca. Ens vero formaliter licet inæqualiter omnibus competit analogatis. Et quia hæc inæqualitas ipso nomine non exprimitur: vnam rationem immediate significat multifariam participatam.*

¶PRO SOLVTIONE *vltimi argumẽti notato, denominatiua nõ absolutè, sed relatiuè, seu comparatiuè, denominatiua esse. Quod & æquiuoca habent, et vniuoca. Vnde coloratum esse*

Petro

Petro denominatiuum est. At albo, & viridi minime. Quinimmo est illorum genus, & prædicantur de illis inquid. Sed quibus denominatiua sit: quæstio est, an possint vel vniuoca esse, vel æquiuoca. Vtrum hæ prædicationes, Petrus est albus, Ioannes est fortis: sint prædicationes vniuocorũ: & Petrus & Paullus vniuocentur in colore, vel scientia. Quidam opinantur, adeo hæc tria secernit: vt neq; diuersis quidem rationibus denominatiua vniuoca esse possint. Quibus patrocinatur philosophus asserẽs, in prædicamẽto substantiæ: vniuersalia accidẽtia in cõcreto sumta non prædicari de substãtia ratione, sed tantũ nomine. Vt in his prædicationibus Petrus est iustus, & socrates est sapiẽs: ratio prædicati non dicatur de subiecto: & tñ talia sunt semper denominatiua. Ergo cũ denominatiuorũ ratio neq; est eadem, nec diuersa denominatiuis: quandoq; non prædicatur de illis, nec conuenit eis: sequitur non esse illis vniuoca, vel æquiuoca. Sed vero similius iudico, denominatiua esse & vniuoca, & nõnunquã æquiuoca. Quod manifeste conuincitur. Omnia analoga sunt æquiuoca: & tamen sanum, medicinale, visibile, sunt analoga, & denominatiua, ergo æquiuoca. Quòd si æquiuoca sunt, nõ est cur, principalia significata non censeantur inter se respectu nominis vniuocari. Philosophus autẽ in alio sensu ibi procedit (vt videbimus) nec potuit docere, in illis prædicationibus non prædicari rẽ significatam per prædicatum de subiecto: sed tãtũ nomen, vt pote cum nomen non verificetur nisi ratione rei significatæ. Vnde ad argumentũ dicimus, vtrunq; diuersis respectibus esse. Quatenus enim eandem rationem inferioribus applicat, licet accidẽtalẽ: vniuocũ est: & illa vniocãtur. Vt vero quid accidentale in concreto refert, denominatiuũ. Confirmatio concludit non esse opus denominatiua dicere verum, & reale accidens: opus est tamen dicant, quòd rei denominatiua accidens est. Et accidit sæpe non modo substãtiæ accidẽs: sed accidenti substãtia. Quia sicut accidens extra naturam est substantiæ: ita subiectum saltem quando non est propriũ, extra essẽtiam est accidentis, & accidit illi. Ideo hæc prædicatio calix est argenteus est denominatiua: quoniã multum est calici contingens, argẽteum esse. Sicut triangulo: quòd sit æneus: vel circulo, aureus. At in his figuris vrgentissimè contra habitudinẽ duorum prædicamẽtorũ hic tã frequenter assertam arguitur. Sane rem vnius prædicamenti dumtaxat denominatiuè de re alterius prædicari. Hæc prædicatio triangulus est figura rectilinea, aut trium linearum: est essentialis, vt pote cum prædicatum definitio sit subiecti. Et tamen triangulus est p̃dicamenti qualitatis, linea quantitatis: ergo. Hoc argumentum diluitur p̃dicamento qualitatis, vbi oportune rogabitur quãtũ nã quãtitas de figura substantia exsistat?

Cap. 2. De complexis & incomplexis.

¶ *TEXTVS.*



Orum quæ dicuntur alia cum complexione, alia sine cõplexione dicuntur. Illa talia sunt homo currit: homo vincit: hæc istius modi sunt: homo, bos, currit, vincit. Rursus eũ ens in substantiam, & accidens diuidatur: in quorũ vnoquoq; vniuersalia sũt, et singularia. Cõmunia in substãtia, vt homo, aial, & lapis dicuntur quidẽ de subiecto, quia vniuersalia sunt (conditio enim vniuersalis est prædicatum esse) non tamen illa in subiecto sunt: quia substantia sunt. vniuersalia vero accidẽtium vt color, magnitudo, & de subiecto dicuntur: quoniam vniuersalia sunt, & in subiecto sunt, quoniam accidẽtia sunt. Esse autem in subiecto est, in

hærere illi:velut in fulcienti. Singularium vero substantiæ singulares nec dicūtur de subiecto, quia singularia sunt: nec erūt in subiecto. quia subiecta sunt. Accidentia vero singularia sunt quidē in subiecto:quia accidentia sunt:non dicūtur de subiecto,quia particularia sunt.

¶ *EXPOSITIO.*

SECVNDVM ANTEPRAE dicamentum sunt duæ vtilißimæ distinctiones, quibus propinquius prædicamentis accedimus. Prima est complexorum, & incomplexorum, quæ exemplis non definitionibus exponuntur:sed per definitiones similium terminorum: primo libro summularū insertas facillime quæ res, cum vel sine complexione dicantur: patebit. Quæ enim termino complexo illic definito, vel maiori, vt oratione, & propositione significantur:cum complexione dicuntur. Quæ vero incomplexo:sine complexione, dūmodo æquiuoca excludas. Et est (meo iudicio) hæc apta regula, & libra iudicādi:quia dici sic, vel aliter, cōpetit rebus mediātibus vocibus. Et hæc distinctio prodest, vt scias cū æquiuocis etiā cōplexa à prædicamētis reijci: & solūmodo incōplexa collocari. Cōplexa plerūq; sunt res diuersorū prædicamentorū: vt Petrus est albus, & sic nō possūt in vno collocari. Et semper adminus duo, quorū vnumquodq; suā formalē rationē habebūt. Et ita vel erūt duæ species, aut genera: aut mixtim aliqua similiū prædicabiliū. Omne autē in prædicamento collocabile debet esse vnū: quia eo hic collocatur, vt eius natura cognoscatur. Natura vero vna vnius est, vel vnius generis, vel vnius speciei, & sic de alijs. Itaq; cōplexa excludūtur, partes tñ eius vt pote incōplexa reponūtur. Licet enim homo albus prædicamētū nō habeat: homo seorsum habet, & albus. Cognitis autem singulorum naturis, nullo negotio cognoscitur totum. Obiectiones vero si quæ in hanc distinctionem adducuntur: illæ met sunt: quas loco præfato definitionibus nostris obiecimus, & soluimus.

¶ SECVNDA distinctio omnē fere prædicamētorū & materiā, & finē amplectitur. Sūma enim eorū, & scopus est, vniuscuiusq; naturam cognosci. Quod fit dū eius pdicata cognoscimus. Ideo in debita sede locatur, vt pateat, quibus ipsa subijcitur, & de quibus pdicatur. Vnde quod ad materiam spectat: primo ex distinctione colligitur esse, vel substantiā, vel accidens. Secundo omnia in confuso sumta diuiduntur in prædicata, & subiecta: & mixtim priusquam in specie de prædicatis vniuscuiusq; in singulis prædicamentis agamus: tractamus in genere quæ nam poterunt esse prædicata, & quæ subiecta, & quæ sit eorum natura. Hæc enim omnia sunt ad prædicamentorū exactā notitiā præsupponenda. Dicit ergo primo, vtrobiq; tā in substātia, quā accidenti vniuersalia esse, & singularia. Illa generaliter sunt prædicata (pdicatum enim esse vt in prædicabilibus euidenter probauimus) sequitur ad esse vniuersale. Sed qualis sit horum vniuersalium natura, vtcunq; propalatur. Substantia enim vniuersalis dicitur de subiecto, non tamen est in subiecto. Generaliter enim (vt in prædicamēto substantiæ videbimus) quod hic præsupponendū est: omnis substantia est ens per se. Accidens vero est entis ens (id est) hærens substantiæ: à qua fulcitur, & esse recipit. Albedo enim per se stare non potest, nec quantitas, nisi per miraculum virtute diuina. Sed est aduertendum duplex esse subiectum, vnum reale q vocatur subiectum inhæsionis, vt corpus est subiectum albedinis. Et hoc explicatur hic hac dictione esse in subiecto: quod quidē subiectū prope semper est substantia. Aliud autem est subiectum propositionalem ordine scilicet ad prædicatum. Siquidē prædicatū, & subiectū dicitur relatiuè. Et quia nulla res est, de qua quidpiam enūtiari nō queat: apparet quam latißime subiectum propositionale pateat. Quod in textu exprimitur, illa particula de subiecto. Per hæc sententia, sensusq; textus splendent. Sunt enim primo duo prædicatorum ordines, ambo (vt ex fundamento elicitur) vniuersalium. Primus s. vniuersalium substantiæ tantū habet dici de subiecto: secundus vero accidentium vtrunq; ob rationes ibidem expressas & esse in subiecto, & dici de subiecto. Totidem sunt pariter ordines subiectorum

vt in textu definiuntur. Ex quo sequitur ista duo subiecta explicata hic perdici de subiecto & esse in subiecto habere se disparate & sequi diuersa principia. Dici enim de sequitur naturã vniuersalis, estq; negotium intellectus & tale subiectum indifferenter est substantia vel accidens. Esse vero in subiecto sequitur rerum naturam. Et quia quod secundum naturam competit, vniuersali & partitulari quadrat: & esse in subiecto competit accidentibus, ideo & de singularibus accidentibus & de vniuersalibus affirmat textus esse in subiecto. Quem in stillum clariorem eo reddimus quòd suo more vel affectatione philosophus hic maxime vsus rem perspicuam implexissime explicuit.

Cap. 3. de Regulis.

¶TEXTVS.

CVM QVIPPIAM de quopiam prædicatur vt de subiecto, ea quæ de prædicato essentialiter dicuntur dicétur de subiecto. Vt homo de quodam homine prædicatur: & animal de homine. Igitur de quodam etiam homine dicetur animal. Insuper & differentiæ superiorũ dicuntur de inferioribus. Petrus est rationalis, sensibilis, animatus & corporeus. Quare quotquot sunt differentiæ talis prædicati, sunt quoq; subiecti.

¶EXPOSITIO.

TANDEM AD FACILIORVM prædicamentorum & introitum & notitiã præsens apponitur fundamentum, quo iacto nihil est caussæ cur aggressum immoremur, aut formidemus. Sensus autem harum regularum est: quòd quando aliqua species vel genus prædicatur de aliquo, sibi directè inferiori, seu (quod alij appellant) quidditatiue inferiori: omnia genera superiora illi speciei vel generi verificabuntur pariter de eodem subiecto. Secundo quòd etiã differentia talis prædicati & omnium superiorum eius vna dicentur de subiecto. Quo vtroq; asserto nihil est nec in prædicabilibus nec in prædicamentis patentius ac euidentius. Quæ omnia proinde (vt ego verissime iudico) si Aristoteles ex prædicabilibus exordium faceret: sicuti iamdiu nos facimus, relicturus erat, vt pote quæ tam fuse tantis verbis docuimus. At non est adhuc nec esse debet fastidiosa tam vtilis doctrinæ repetitio. Qua cominus apertius prospicimus: quã mediæ species & genera annulli sint, quibus suprema imis contexuntur, & quo glutimine omnia eiusdem prædicamenti prædicata copulentur. Nam cum prædicamentum ordinatio prædicatorum sit: hæ regulæ naturam prædicationis produnt, illiq; adnituntur. Est autem natura veræ & affirmatiuæ prædicationis vt subiectũ sit prædicatum: rursus quicquid essentialiter de aliquo dicitur identificatur cum illo. Vnde quæcunq; de prædicato iam prius asserto essentialiter dicuntur, necessario conuenient subiecto: imo erunt ipsum subiectum.

¶CIRCA PRIMAM REGVLAM aduertito nos in secunda parte adiecisse essentialiter: vt pote quo non adiecto frequenter falsificatur. Nam animal prædicatur de homine vt de subiecto (quod est exemplum Arist.) & tamen genus & multa alia tam primę intentionalia, quam secundæ prædicantur de animali & non de homine, vt animal est genus, animal est leo, & similia quæ nullatenus quadrant in hominem. Vndequanquam Aristoteles absolute regulã absq; modificatione protulit: omnes eius expositores eã subaudiũt, & subaudiẽdã monẽt. Ipse tñ adiecit illã: vt de subiecto. vt regula p̃dicata & subiecta dũtaxat eiusdẽ p̃dicamenti amplecteretur. Nã ly vt de subiecto significat subiectũ inferius quidditatiue p̃dicato. Aliàs frustra esset appositũ: si tantũ voluisset dicere: quãdo quidpiã de subiecto p̃dicatur. Ad quod sufficeret, quando quidpiam de quopiam p̃dicatur. Quoniam

vt subiectū quomodolibet exsistat satest: de quopiā quippiā prædicari. Vt de subiecto vero illud solummodo prædicatur, quod est quidditatiue superius, vt species & genus. Quomodo forsan differentia de specie, vt de subiecto (inquam) adhuc non prædicatur. Et multo minus quando res vnius prædicamenti de re alterius (vt Petrus est albus) prædicatur vt de subiecto sibi. Vnde si quemadmodum in prima parte scilicet cū quippiam de quopiam prædicatur, apposuit vt de subiecto: eandem & in secunda apponeret scilicet quicquid dicitur de prædicato rursus vt de subiecto, haud opus esset, essentialiter adyci. Quia idipsum ly, vt de subiecto explicat. Sensus ergo est quando quippiam de quopiam quidditatiue prædicatur, quicquid essētialiter dicitur de prædicato: dicetur de subiecto.

¶ AT EST duplex hic dubiolum. Primū an sine his restrictionibus vllius frugis esset regula? Deinde quo gradu quod verificatur de prædicato competit subiecto? Quo ad primum dico primo sine restrictione regulam firmam non esset, tātum abest prodesset scilicet cum quippiam de quopiam prædicatur, quicquid dicitur de prædicato, vt instaamus. Et multo facilius in prædicationibus accidentalibus, & sæpius instabitur. Vt Petrus est quantum: & quantum est accidens: ergo Petrus est accidens: vel quantum est album: ergo Petrus est albus. Quidam constituūt aliam scilicet: cum quippiam de quopiam prædicatur quicquid cum distributione dicitur de prædicato, dicitur de subiecto. Quæ est verissima: sed non quæ naturæ primæ prædicationis adnitatur: sed in dici de omni prioristico. In vi (inquam) distributionis secundæ propositionis. Dico secundum, quòd etiam si regula absq; his modificationibus foret stabilis: non plus quo ad præsens quàm cum illis prodesset. Imo tūc opus esset his velut compedibus stringeretur. Intentum siquidem est illa mediante prædicata in prædicamento locata, & inter se & cum primo illorum subiecto adglutinare: vbi omnis prædicatio generis superioris & speciei est quidditatiua & de inferioribus quidditatiue.

¶ AD INVENIENDAS vero plures prædicationes (quæ est alia huius regulæ vtilitas) nōnullæ aliæ quoq; inseruiunt: quarū hæc princeps videtur. Nēpe omne superius verificatur de eo, de quo inferius. Ex qua ille locus arguendi celebratus est. Ab inferiori ad suum superius, affirmatiue. Ad secundum respondeo quòd secūdum dam regulam textus verificabitur de subiecto eodem gradu quo de prædicato. Si quidditas fuerit prædicati: erit & quidditas subiecti. At secūdum tenorem huius vltimæ regulæ verificabitur de subiecto illud superius, sicut verificabatur primum prædicatum quo ad conuenire essentialiter vel accidentaliter. Vt patet sine fallentia singula discurrenti. At secūdam regulam obycies superfluere: cuius sententia manifeste in priori continetur. Respondetur Aristotelem alys verbis plura alia significantibus eam contexuisse: quæ non prædicabilibus præsuppositis, vt illo tneuo non præsupponebātur, erant apprime requisita. Vbi & in alys huius codicis locis sparsim Aristoteles prædicabilia insinuabat: & ita nostra ibidem inserta resolutio firmatur. Nēpe & solicitos esse tunc interpretes promiscuè cum prædicamentis prædicabilia docere: & necessariam omnino ad prædicamentorum scientiam esse prædicabilium notitiam. Sed & nunc his verbis contexta regula minime otiosa est: vt pote de differentys specialiter tractans: quæ non sunt in recta linea, sed ad latus. Igitur cum prædicamenta velut hominum nationes & patria sint prædicatorum sedes, & rerum: vbi natura vnius cuiusq; rei detegitur: anteprædicamenta huc intendunt: vt primo collocanda vel abigenda noscamus. Quæ res (inquam) & qui termini in prædicamento reponantur: & quæ ab ingressu arceantur. Æquiuoca enim & complexa simul arcentur. Deinde vt naturam prædicationis qualitatem & multitudinem calleamus. Vnde in primo capitulo quot & quales prædictiones hic inueniantur æquiuocæ scilicet vniuocæ & denominatiuæ in genere tractatum est. In secundo quæ qualiaq; prædicata & subiecta vniuersalia scilicet substantiæ & accidentis, & vtriusq, generis singularia reseratum est. Vbi integram omnium prædicamentorum materiam summo ingeniosoq, vsi compēdio perstringimus. Vbi certe connexionem partium singulorum prædicamentorum & multiplicationem verarum prædicationum explicuimus. Quibus luculenter explicatis, deo auctore ad prædicamenta iam iam accedamus.

¶ CAPVT

Cap. 4. De diuiſione entis in decem prædicamenta.

¶ TEXTVS.

EORVM QVÆ nulla complexione dicuntur ſingula aut ſubſtantiam ſignificant, aut quantitatem, aut qualitatem, aut aliquid, aut vbi, aut quando, aut ſitum eſſe, aut habere, aut agere, aut pati. Eſt autem ſubſtantia quidem, vt in ſumma dicamus, velut homo, equus: quantitas autem, vt bicubitum, tricubitum: qualitas, vt album, grammaticum: ad aliquid, vt duplum, dimidium, maius: vbi verò, in foro, in Lycæo: quãdo autem, vt heri, ſuperiore anno: ſitum verò eſſe, vt iacet, ſedet: habere autem, vt calceatum eſſe, armatum eſſe: agere verò, vt ſecare, vrere: pati, vt ſecari, vri. Singula igitur eorum quæ dicta ſunt, ipſa quidem ſecundum ſe nulla cum affirmatione negatione ve dicũtur. Horum autem ad ſe inuicem complexione, aut affirmatio aut negatio fit. Videtur enim omnis affirmatio vel vera, vel falſa eſſe: eorum autẽ quæ ſecundum complexionem nullam dicuntur, nihil neq; verum neq; falſum eſt: vt homo, album, currit, vincit.

¶ EXPOSITIO.



ARISTOTELES MAximo & prudenti conſilio vſus cum plurima præſens diuiſio ad ſui perfectam notitiam exigat, omnia fere prætermittit, vt pote altioris facultatis, et acutiora ingenia, & prouectiores diſcipulos poſtulantia. Solum cum diuiſo correſpondentiam partium oſtendit. Vt ſicut diuiduntur ea quæ incomplexe dicuntur: ſic partes ſingulæ incomplexæ videantur. Probatio autem eſt hæc. Nulla harum partium eſt affirmatio vel negatio: ergo eſt incomplexa. Antecedens probatur. Affirmatio vel negatio eſt vera vel falſa. in nulla parte iſtarum eſt veritas vel falſitas. Qui enim dicit ſubſtantiam vel quantitatem, nihil aut affirmat aut negat, nec vere vel falſe annunciat. Cõſequẽtia vero prima, ſane non eſt affirmatio, vel negatio: ergo non eſt complexio, manet & improbata & ſatis inapparens. Sed nos rem adeo perſpicuam ſine probationibus & argumentis ſuſcipimus. Conſtat enim non modo illa propoſitiones non eſſe: ſed neq; terminos complexos. Circa hanc entis diuiſionem in decem prædicamenta multa metaphiſici & logici diſertè, pariter ac eruditè perſcrutantur. Primo de qualitate diuiſionis an ſit generis in ſpecies, vel analogi in analogata: ſecundo an partes totius amplitudinem exhauriant? Tertio quanta & qualis ſit prædicamentorum diſtinctio: ſolicitiſſime exquirunt. Sed nos duo priora breuiſſime in præſenti (vt decet) determinemus operoſius eandem rẽ poſt prædicamẽta oportunius tractaturi. Vbi meo iudicio aptius ſingulis iam perluſtratis atq; diſcuſſis ſufficientiam diuiſionis & originem perpendemus.

mus. Tertio vero.s.prædicamentorum distinctionem metaphisico (vt par est) deferamus. Igitur cum ens(vt abunde multiplici argumento probauimus)non sit genus:sed analogum:diuisio non potest analogi in analogata non esse. Secundo prædicamētorum disparitas atq; inæqualitas monstrat,non posse æqualiter & per consequens generice in ente cōuenire. Substātia enim ita cæteris prædicamentis antecellit:vt ipsa sola quod philosophus in septimo metaphisicæ tradit ens videatur:et sufficienter naturam entis expēdat,qui vel substantiam solam copiose exponit. Tertio non poßunt illa suprema scilicet decem capita prædicamentorum vt substantia, quantitas et cætera species esse: sed dumtaxat genera: ergo diuisio non potest esse generis in species.

¶ *SVFFICIENTIAM vero diuisionis difficillimum est hîc adaperire. Sed si sobrietatem Arist(qua in hac ipsa re probanda in metaphisica vsus est vbi radicitus tamen rem agere potuit) logici (vt tenemur) imitamur: nullo pene negotio clarißime & efficaciter ostendetur. Prædicamēta sunt rerum ordines,inquos vti in proprias sedes & domus vniuersitas rerum occluditur. Ad has autem decem vniuersæ res hactenus nobis cognitæ reducuntur:ergo suff.ciens est diuisio:cum idem sit res et ens. Minor probatur. inter entia (quod omnibus inconfesso est) primū est substantia: reliqua sunt accidentia. Quæ tamen plura esse non possunt quam in substantia reperimus. Nullum quippe accidēs extra illam exsistere potest. In substantia autem has tātum nouem differentias illorum offendimus. Nam secundum quodcunq; accidens substantia est aliquid vt mediante albedine est alba:nigredine nigra:magnitudine quanta. Omne autem esse accidentale substantiæ est aliquid istorum. Hi ergo ordines ambiunt vniuersa. Minor patet. Ad omnem interrogationem factam de esse accidentali substantiæ per hæc probe satisfacimus. Nihil enim aliud quam aliquid istorum vnquā quærimus. Nempe quanta sit, aut qualis, ad quod referatur, quid agat, patiaturve & reliqua. Igitur tantum sunt decem prædicamenta. Quorum primum iam ope diuina freti enucleemus.*

Caput Quinctum de Substantia.

¶ *TEXTVS. I.*

SVBSTANTIA multifarie suscipitur. Primo natura cuiuscunq; rei dicitur substantia eius. Et sic substātia, essētia, ratio, natura quidditas, æquipollent. Et quia omnis res habet naturā suā: nulla est etiamsi accidens, cui sua substantia non sit. Substantia albedinis est color. Secundo modo dicitur substantia prout distinguitur contra accidens. Et ita non modo totus homo substantia est, sed singulæ partes eius, siue essentiales, vt corpus & anima, siue integrales: vt caput, stomachus, cor, venter, & crura. Tertio modo accipitur substantia secundum eius etymologiam, pro eo quod substat & substentās subijcitur accidētibus. Nam omne accidens realiter substentatur in substantia. Ex quo prouenit vt omnia prædicentur de illa & omnibus in prædicatione subijciatur. Et ab vtraq; substatione (vt ita loquar) & reali scilicet à parte rei & intentionali in propo-

propositione substantia nuncupatur.

IN HAC acceptione substantia est cælum, elementa, ex his mixta, plantæ animalia, & aliæ substantiæ (vt aiunt) immateriales & insensibiles (quas angelos vocamus) & omnium horum species & genera. Non modo quia natura & essentia sunt priorum scilicet indiuiduorum: sed quia in ipsis prioribus quoq; accidentibus propter identitatem vtriusq; substãt. Haud enim tantum dicimus Petrus est albus: sed homo est albus: nec Socrates aut Plato dumtaxat sentit: sed animal. In hac acceptione non proprie appellantur substantiæ partes substantiæ, vt manus, pedes: quia certe nõ substat nisi totũ. Igitur duabus prioribus acceptionibus relictis: substantiã tertio modo dictam oportet dialecticum tractare. Vt pote quorum est de his secundum quòd prædicationibus inseruiunt inquirere. Quid ergo proprius tractabimus? vnde aptius exordiemur? quam subiectum omnium prædicatorum & principalia prædicata. Quibus etiam de causis iure hoc prædicamentum primum habetur.

Tex. 2. Substantia ergo est

ens per se subsistens vt ignis, arbor, et bos. Et est duplex alia prima alia secunda. Prima est substantia singularis proprie, principaliter, & maxime substans, vt Petrus, vt Fabellus (quæ vt ex antedictis constat) nec est in subiecto, nec dicitur de subiecto: sed est subiectum omniũ. In qua plurima sunt & de qua omnia dicuntur. Qua proinde sublata impossibile est aliquid aliorũ esse. Omnia enim alia aut prædicantur de illa aut sunt in ea. Quare non existentibus primis substãtijs non potest quicquam aliorum esse. Secunda est, species & genera primarum, vt leo, animal, viuens, & corpus: quæ licet non sint in subiecto: dicuntur tamen de subiecto (idest) de primis. De quibus inter omnia prædicata hæc sola nomine & ratione dicuntur. Nomen siquidem speciei et generis, & pariter definitio est nomen & definitio indiuiduorum. Vt Petrus & appellatur homo: & est animal rationale. Accidentia vero in abstracto quidem nullatenus prædicãtur de primis substantijs: in concreto vero & si nomine, non tamen ratione de substantia prima prædicãtur. Definitio enim sapientiæ etsi competit Socrati: haud est definitio Socratis. Quare substantiæ secundæ simul & differentiæ vniuoce de prima dicuntur: vt pote cum nomen sit illis commune, & ratio substantiæ nomini accommodata eadẽ. Qua in re patet species specialissimas magis substantias esse quàm genera. Tum quòd pluribus prædicatis substant: quum quòd primis sunt propinquiores. Quæ maxime substantiæ sunt.

Tex. 3. Proprium est substantiæ in subiecto non esse.

Nam esse in subiecto est proprium accidentis. Quare non esse competit substantiæ, prout distinguitur contra accidens: & ita conuenit non modo substantiæ integræ, sed singulis quibusq, partibus (vt superius insinuauimus.) Quare proprium est substantiæ, vt vna, eademq; numero permanens contraria suscipiat. Vt idem homo nunc valet, post ægrotat: nũc est albus, post vel antea niger. Quod in alijs prædicamentis non reperimus. Vnus enim color non est nunc albedo post nigredo: & vnum, idemq; negotium non est nũc bonum, postea malum. Nisi forte de oratione obijcias: quæ eadem successiue est falsa & vera. Sed primo in modo est differentia: sane quòd substantia suscipit sui mutatione cõtraria. Vt cum ex valetudine quis in ægritudinem quadam alteratione incidit: oratio vero immobilis persistẽs has qualitates subijt. Secundo negamus orationem suscipere vllo modo re vera contraria. Haud enim ex falsa fit vera quia in se quicquam suscipit: sed ex mutatione & ab mutatione rei significatæ hoc illi prouenit. Ab eo enim quòd res est vel non est: propositio dicitur vera, vel falsa. Quo circa colligitur substantiæ nihil esse contrarium: vt pote quæ omnia contraria in se suscipiat. Ac demum nulla substantia siue prima, siue secunda in sua ratione gradus admittit. Vt vnus homo sit magis homo altero: vel vllum animal magis animal, sicut in alijs prædicamentis videbimus. Quòd vnum album est magis, album quam aliud.

EXPOSITIO.



VEMADMODVM IN prædicabilibus nominum impositiones computauimus, potiori iure in præsenti eas referemus, cum omnes sunt philosophales, plurimum frequentes,

tes, & valde vtiles. Tres in genere referuntur huius nominis acceptiones vniuersales, sub quarũ altera scilicet secunda, alia eiusdem nominis acceptio comprahenditur non minus frequens, aut celebris: qua solet scilicet pro supremo genere accipi. Quia tamen res significata sic secunda substantia est. decuit maiores & vniuersaliores acceptiones proponere. Prima acceptio est apud omnes admodum vulgaris & cognita. Secũdum quam (præter id quod in textu exprimitur) omnes nomine substantiæ quod in re qualibet naturali, vel morali præcipuũ est & medula apprahendunt. Ita dicimus, hoc est substantia huius negocij. Vnde vis, virtus, & vigor præcipuus rei substantia nuncupatur. Secunda est arctior & breuior: vt pote cum omne accidẽs excludatur. Hoc pacto differentiæ laterales vt rationale, sensibile, substantia sunt: cum licet genus supremũ extra illarum rationem exsistat, haud extra hoc prædicamentũ distrahuntur. Tertia adhuc breuior: quippe quæ in recta linea disponuntur duntaxat includens. Quoniam totum re vera tãtum modo dat esse accidentibus. Prima substatio vel subiectio substantiæ est realis: qua scilicet in se accidentia suscipit. secunda intentionalis innixa priori: qua subijcitur in propositione pdicatis. Ideo enim in hac Petrus est albus subijcitur prædicato vere, quia à parte rei albedo est in Petro. Substantia in communi definitur quæ sit ens per se subsistens Definitio quidem descriptiua est: quia & quidditatiua esse non potuit. Non modo quia primam & secundam substantiam definit, verum quia & ab vtraq; abstrahit: & per consequens non potest habere genus: quæ est prima pars definitionis. Et nihilominus est congruens. Quia esse ens per se subsistens eam non modo ab accidentibus, verum & a partibus tum integralibus, tum essentialibus discernit atq; segregat. Vt pote quæ non seorsum: sed toto inexsistunt.

¶ DIVISIO *vero in primam & secundum eo patet, quòd in quolibet genere particulare & commune formaliter sine medio opponuntur, vt color vel est singularis, vel vniuersalis. Et prima, & secunda substantia idem est ac singularis & communis. Sequuntur statim membrorũ descriptiones. Prima est: Singularis substantia proprie, principaliter, & maxime substans. Proprie dicitur substare ad differentiam secundæ, quæ improprie (vt plane loquar) substat. Sicut enim seorsum à prima non viuunt, nec esse habent: ita per se illud accidentibus dare nõ possũt. Prima vero sicut in se proprie est. ita & proprie substat. Sed argues quòd proprium accidens saltem conuenit prius speciei, & ratione illius indiuiduo. Vt quia homo est risibilis, Petrus est risibilis. His ergo proprie imo proprius substabit secũda quam prima. Respondetur quòd omnibus siue communibus siue proprijs substat proprie prima, & proprius quam secunda. Nam ipsæ propriæ passiones non sunt, nec inhærent realiter vnquam nisi indiuiduis. Vbi enim risibilitas inuenitur nisi in singularibus. Quando in specie cõsiderantur: habent esse tantum intelligibile. Igitur substantia prima proprie substat: & principaliter.*

¶ VBI CONSIDERATO *accidentia in esse quidem omnia substantiæ ordine tamen quodam. Inter accidẽtia corporea primum inhæret quantitas, & ea mediante multu suscipiuntur. Vt color, & nonnulla actionum & passionũ, vt calefacere, ambulare, calefieri, moueri. Calor enim non inesset Petro nisi superficie extenderetur. Vnde quantitas pariter dicitur suscipere accidentia: quia est medium, quo substantia plurima suscipiat. Quo circa solet distingui, accidentiæ suscipere scilicet tanquam quod, vt ipsa substantia, & vt quo, vt quantitas. Omne autem agens vt quod principaliter, imo principalius agere censetur, quam instrumentum. Ob id dicitur quòd substantia suscipit principaliter seu substat: vt quantitas & similia excludantur. Quæ vt media & instrumenta substabunt. Hactenus de substatione reali. Maxime deniq; substat. Ista differentia intelligitur de substatione intentionali (idest) pluribus prædicatis, quã quodlibet aliud subiectum siue substantiale siue accidentale. Pluribus etiam quam species immediata cum sibi hæc ipsi non subijciatur: cui subijcitur prima. Vnde patet hanc multo magis substãtiam esse illa. Quod enim cum aduerbio maxime verificatur, magis sine dubio dicetur. Definitur autem secundo eadem prima substantia, & satis congruenter per hoc quòd est, nec inesse subiecto, nec de subiecto dici. Quoniã extrema quæq; vix nisi per negationes intelligimus, aut explicamus. Quæ nimirum definitio capite quarto exposita est. Vnde inter dialecticos abijt in prouerbium*

bium nullam prædicationem à prima ſubſtãtia proficiſci(ideſt) de nullo(vt hic habetur) prima ſubſtantia prædicatur. Quia cum ſit primũ ſubiectum omnium par eſt nullatenus ſit prædicatum. Ne alterum extremum ſcilicet ſubiectum, rationem alterius(ideſt)prædicati ſubeat. Quod enim in aliquo genere primo tale appellatur:videtur eſſe pure illud,& ita congruit vt primum ſubiectum non prædicetur. Rationem formalem huius reddidimus in prædicabilibus. Vbi cuius conditionis natura prædicati eſſet, expandimus. Oportet enim vniuerſalis rationem ſubeat. Vnde nõ habetur incõueniens identice de ſe ipſa dicatur. Vbi nihil de re ſubiecta proditur.

¶ SECVNDA ſubſtantia eſt ſpecies & genera primarum. Quæ licet non ſint in ſubiecto, dicuntur tamen de illo. De his ante omnia decet, præſupponamus conuenienter ſubſtantias vocari. Primo quia licet in primis ſubſtantijs, ſubſtãt accidentibus. Quod euidenter ipſa verificatio probat. Homo enim dicitur vere grammaticus, leo mouetur, aquila volat:& tamen non poßunt accidentia in concreto niſi de ſubiecto verificari. Igitur ſecundæ pariter illis ſubijciuntur. Et eſt rationi per quam conſonum:vt quod mediantibus primis ſecundæ faciunt: & illis attribuatur:& per ſe facere cenſeantur. Tum ob identitatem vtriuſq; eſſentialem, quum quòd definitiones quidditatiuæ ipſis ſecundis immediate cõuenientes abſq; vlla diminutione pariter de primis prædicantur. Præterea cum ſint primarum eſſẽtia iure ſubſtantiæ appellantur. In decens enim foret multumq; abſurdum, ſi eſſentia ſubſtãtiæ accidens eßet. Et tamen ſi eſt ens reale:ſubſtãtia vel accidens debet eſſe.

¶ EX QVIBVS euidenter illud textus deducitur. Nempe quòd prædicetur ſecunda nomine ac ratione. Quod non ſic intelligendum eſt:quaſi ratio denominatiuorum non competat ſubiectis (alias propoſitiones eſſent falſæ)ſed ratione dici contingit(vt ex textu ellicitur)dupliciter primo pro eo quod eſt conuenire:& ita omnia accidentalia dicuntur ratione. Alio modo pro eo quod eſt non modo competere:ſed eſſe pariter definitionem ſubiecti. Et cum nullum accidens ſit definitio ſubſtantiæ, ſolum ſecunda ſubſtantia prædicatur ratione de prima. Vnde hac de cauſa in prædicabilibus collegimus indiuiduum non eſſe definibile. Nimirum quòd præter rationem ſpeciei & generis nullam eſſentiam haberent. Quo circa ſecunda ſubſtantia prædicatur vniuoce. Quoniam ſi vt prædicatio vniuoca foret: ſufficeret eadem ratio ſingulis competeret:quanto melius ſi ita competit, vt ſingulorum quoq; ſit definitio. Ex quo deduces prædicata etiam aliorum prædicamentorum de ſuis quidditatiue inferioribus nomine rationeq;:nec non & vniuoce prædicari:eadem ex cauſſa dici. Vt pote quæ ipſorum ſpecies & genera exſiſtunt.

¶ SPECIES autem magis eſt ſubſtantia quã genus. Comparatio admodum propatula & manifeſta ob cauſſas ibidem inſertas. Enimuero quanto quodpiam ſingularius eſt:tanto aptius vt ſubiectum ſit,& pluribus ſubijciatur. Vnde & inter ipſa genera erit eodem argumento aliqua in ſubſtantiæ participatione diſparitas: vtque plus à primis diſtant minus ſubſtantiæ habeantur. Qua in re ſupremum antonomatice ob dignitatem capitis prædicamentis ſubſtãtia nũcupatum, minus cæteris inferioribus hac conſideratione ſubſtantia eſt. Secunda ratio eſt naturalis. Sane in tantum vnumquodq; aliquod genus participare, quanto propinquius illius generis primo & maximo. Vt in genere bonitatis quanto creatura proprior eſt deo, qui eſt maxime & per eſſentiam bonus:tanto melior eſt: & quanto quid ſimilius eſt igni, qui eſt valde calidus, calidius eſt.

¶ SEQVITVR ſecunda pars textus de proprietatibus:per quas ipſa ſubſtantia clarius innoteſcat. Prima eſt in ſubiecto nõ eße. Sicut enim primo ſubſtantiæ poſitiuè competit eſſe per ſe:ita primum quod de illa negatur eſt in ſubiecto eſſe. Secunda eſt. Vt ſuſcipiat contraria. Primo enim contraria(vt poſt palam fiet) in ſe ſunt accidentia:quæ tamen omnia ſubſtantia recipit:ergo et omnia contraria. Proprietas quidem nequaquã eſt cõtraria vtcunq; ſuſcipere. Poſſet enim quiſq; præcedenti argumento facile, ingenue fateri contraria in ſubſtantia recipi. Sed in diuerſis ſubſtantijs. Verum contrariorum natura explanata conſtabit, quàm ſi ſuſcipiuntur in ſubſtantia, in eadem ſuſcipi debeãt. Contraria enim ſunt qualitates, quæ mutuo ab eodem ſe ſe ſubiecto expellunt:vt calor,& frigus:ſanitas, & ægritudo. Vnde et ipſa contraria identitatem ſubiecti plerunq; poſtulant:& ſubſtantia eadem contrariorum ſuſceptiua eſt Sed obijcitur de oratione

quæ eadem numero successiuè est vera, & falsa. Cui obiectioni licet duplex adhibeatur solutio, et vtraq; vera: secunda est fundamentalis. Nempe quòd veritas, & falsitas non sunt qualitates orationi adhærentes: sed primo denominationes extrinsecæ. Vt sicut paries visus est, & visus appellatur à visione in oculis existenti: ita ab eo quòd res est, vel non est: propositio dicitur vera, vel falsa. Et demum veritas, & falsitas sunt potius relationes quam contraria. Nam veritas est adæquatio, falsitas inadæquatio: hæ autem sunt relationes. Ergo sola substantia suscipit contraria. Sed argues de superficie & omnino de quantitate, quòd recipiat contraria, vt diuersos colores: sed de contrariorum receptione dicendum quòd de susceptione accidentis superius disseruimus.

QVÆSTIO Vtrum textus substantiæ sit verus?



A PARTE NEGATIVA arguitur primo contra nominis acceptiones. Secunda, & tertia coincidunt. Nam substantia, prout distinguitur contra accidẽs, est ens per se: quibus etiã verbis, definitur inferius tertio modo accepta, scilicet quòd sit ens per se subsistens: ergo coincidunt. Secundo contra diuisionem substantiæ. Nullum est diuisum huius diuisionis, quia nihil commune est primæ, & secundæ substantiæ. Quid enim esse posset? nisi genus: quod tamen est secunda substantia. Confirmatur. Quod diuisione formali, non reali diuiditur, est commune: ergo hic substantia communis partitur, & per consequẽs non potest in primam diuidi. Diuisum enim vtraq; pars diuisionis est: vt animal, rationale, et irrationale. Tertio contra definitionem primæ substantiæ. Illud est prima substantia, cui primo competit esse ens per se: sed id prius speciebus cõpetit quam indiuiduis. Enimuero esse ens per se est natura, & essentia substantiæ: & tamẽ essentia, & natura prius competit vniuersalibus, & eorum caussa particularibus: ergo. Cõfirmatur. Vniuersalia sunt magis substantiæ (vt asserit philosophus) ergo secunda substantia, magis quam prima. Secundo confirmatur. Propter quod vnũ quodq; tale & illud magis, singularia probãtur substantiæ per species, & genera, velut per media à priori (vt patet syllogizando) ergo sunt magis substantia. Confirmatur tertio, cui immediatius aliqua ratio competit, magis competit: aut saltem non minus, quàm cui mediate. Hæc vero propositio corpus est substantia est immediata, hæc Petrus est substantia valde remota: ergo. Contra dispositionem arboris huius prædicamenti arguitur quarto. Deus est substantia, & non collocatur in prædicamento ex S. Th. 1 par. quæst. 3. arti. 5. & alijs multis in locis. Si respondeas quòd substantia prædicamentalis debet constare ex actu, & potentia: & quòd deus est purus actus: sequitur, quòd supremũ genus habet in se actũ, & potentiam, ac proinde differentiam. Ab omni enim forma, & actu substantiali deducitur aliqua differentia: ergo non est genus supremũ. Quia omnis differentia substantialis est constitutiua speciei, & diuisiua generis. Confirmatur. Christus est homo, & tamen nõ continetur in prædicamento: quia nulli est inferior quidditatiue. Quinto corpus diuiditur primo in mistum, & simplex: mistum vero, in animatum, & inanimatum. Ergo non descendit immediate corpus ad viuens. Et cõfirmatur. Corpus prædicatur absolutè de corpore hominis: quod tamen non est animal: ergo corpus non est genus ad viuens & animal. Sexto rationale dicitur de anima a corpore egressa: quæ tamen non est homo: ergo rationale non est differentia hominis: vt pote quæ non est illi adæquata. Confirmatur sensibile verificatur de manu, & partibus integralibus: quæ non sunt animalia: ergo non est eius differentia. In contrarium est communis dialecticorum schola.

¶ CVM SVBSTANTIA maxime sit ens & vnde cætera prædicamenta entia sunt (vt Arist. septimo & nono metaphisicæ docet) operæ pretium existimo, exactius eam in præsentiarũ expendere. Si prius tamen vniuersalis, & affirmatiua responsio quæstionis præsupponatur. Circa primum argumentum: multitudo acceptionum substantiæ caliginem in eius notitiam diffudit. Quas forte nunc breui sermone illustrabimus. Tria sunt nomina, quæ cum velut synonyma æquipollere videantur, non parum formaliter differunt. Essentia, scilicet subsistẽtia, & substantia:

stantiæ:quæ de eadem natura nempe humanitate diuersimode verificantur. Tres enim hæc & qualibet alia quidditas huius prædicamenti habet actus:à quibus illa deducuntur. Primum est esse. Id enim qualibet in re post quidditatem primum est, à quo ipsa quidditas essentia nuncupatur. Et quia esse omnibus est, siue substantialib9, siue accidentalibus : ideo omnis quidditas siue substantiæ, siue accidentis essentia est. At huius prædicamenti naturæ habent tale eße, sane vt per se subsistant, non alteri inhæreant. Propter quod subsistentia appellantur. Vnde accidentia essentiæ simplices non dicuntur subsistentiæ : vtpote non in se, sed in subiecto existentes. Quocirca hoc nomen est minoris ambitus illo. Sed quia natura dicitur subsistere in supposito, et ipsum pariter suppositum, per se stare, ideo ly subsistentia verificatur de ambobus: de quidditate scilicet, & supposito. Humanitas enim est subsistentia, & etiam homo. Natura est subsistētia, vt qua suppositum subsistit : suppositum vero vt quod subsistit. Vnde & in diuinis vbi vna est eßentia, & tres personæ: confitemur esse, & tres subsistētias: nomine subsistentiæ exprimētes supposita: quod non inuenitur in nomine essentia, quod solū modo de quidditatibus verificatur, vnde vnica est dumtaxat essentia diuina & tres subsistentiæ. Et aptè dicimus, humanitas est hominis eßētia: non autem propriè, homo est essentia. Tertio res huius prædicamenti substant accidentibus, & à substando appellantur substantia : & hoc pacto solummodo de rebus in recta linea collocatis verificatur, & hæc est prima huius nominis. Est etiam alia eiusdem non impropria, sane vt substantia dicatur, quòd qualibet in re præstantius, & intimius est. Et quia nihil in singulis sublimius, quam natura, hæc in omnibus substantia vniuersaliter nuncupatur. In qua acceptione naturas in abstracto sumtas dumtaxat significat, non etiam supposita. Sic sumtæ amplitudini adæquat eßentiæ (vt habetur in textu.) Hoc est, omnis essentia est substantia & contra. Inter omnes tamen huius nominis acceptiones tres sunt præstantiores, & magis celebres, sane quibus vel pro natura cuiusq; capitur, vel pro ente per se, vel pro substante: sub quibus cæteræ quæ in vsu sunt (quemadmodum patebit) comprahēdūtur. Nam quæ pro prima, & pro secunda, vel pro supremo genere prædicamenti sumitur : his amplexantur. Inter quas prima collata, secūdæ, & tertiæ æquiuoca est. Terminus (inquam) æquiuocus est substantia secundum omnes has impositiones. Secunda vero, & tertia consequenter se habent. Vtrobiq; enim accipitur semper pro ente per se, siue pro toto, siue pro parte. Sed per se accipitur dupliciter, idest, pro non esse in subiecto: quod est proprium accidentibus. Vnde idest communißimum substantiæ s. non esse accidens, seu non inhærere: quod proinde vniuersis substantiæ particulis competit. Vnde in hoc sensu partes vt capud manus imo forma, & materia sunt substantiæ, idest, non sunt accidencia, nec inhærētia. Secundo intelligitur positiuè, idest, per se subsistens. Et quia partibus subsistere non competit, sed toti: hinc præsens acceptio substantiam integram, nō vllam partem etiam essentialem (vt differentiam) comprahēdit. Quæ in re negamus argumento primo, eandem esse prorsus descriptionem secundo & tertio modo captæ. Additur enim sic sumtæ, quòd per se subsistat, & accidentibus substet, quod in rectam lineam dumtaxat quadrat.

¶PRO SECVNDO *argumento diluendo exquirunt diuisum dialectici, vbi nonnullæ sunt reflexiones, & nodi quemadmodum argumentum insinuat. Quidam facile respondēt, diuisum esse. Quicquid ponitur in recta linea: siue eorum quæ illic disponuntur, alia est prima substantia alia secunda. Et potest probe defendi. At non aßignatur vnum pro diuiso, sed multa. Et ideo notādum reor, tripliciter naturam quamlibet: vt v.g. hominem considerari Primo in se absolute secundum essentiam suam, quod est animal rationale. Ita acceptæ explicantur naturæ nominibus suis communibus primæ intentionis, siue abstractis, siue concretis. Vt equus, leo elephas. Secundo pro vt est in singularibus. Vbi constat, nonnulla habere actu: quæ prima consideratione non claudebantur. Primo additur esse naturam singularem alteri incommunicabilem: multa deinde accidentia. Hoc modo repræsentatur nominibus primæ intentionis, & aliquot secundæ, vt Socrates, Vlisses, Hector, indiuiduum, singulare, primæ substantia. Tertio prout est in intellectu iam vniuersalis species, vel genus. Prima consideratio est intranea: secūdum quam solum illi cōueniūt essentialia, & naturalia sibi: quæ vbiq; secum retinet Reliquæ vero considerationes sunt naturæ*

acciden-

accidentales. Accidentale nanq; est homini esse vel singularem, vel vniuersalē. Quod enim per se cuiquam competit, semper competit (ratio optima ad idem concludendum sæpe à diuo Thoma formata) vnde si quid istorum essentiale naturæ foret, vbiq; illi adesset. Si vero vbiq; singularis esset, non posset vniuersalis esse, aut è contrario si vniuersalis: nō erit particularis vnquam. His notatis, aduerte quòd prima substātia est substātia in re: secunda vero prout est in intellectu. Extra quas proinde conditiones necesse est substantia per se sumta supersit, quæ erat prima acceptio, & consideratio: & hoc pacto diuiditur in primam, & secundā. Scilicet substantia per se alia est prima, alia secunda: quod quidem singulis, & omnibus quidditatibus specierum, vel generum accidere potest. Vt homo, alius est in particulari existens, alius in communi consideratus. Ex quo sequitur, & quòd diuisum est substātia per se sumta: vbi actu nec communis est, nec singularis. Et quòd diuisio formaliter est subiectis in accidētia: vbi omnes illæ regulæ in argumēto adductæ deficiūt: quæ de diuiso superiori directe, membris diuidentibus, & diuisione formali loquuntur. Et nihilominus diuisum est vnū quodq; mēbrū diuidens: quia est diuisio eiusdē rei sub diuersis solummodo respectibus accepta. Qui quidem respectus seu accidentia est intentio singularitatis primæ substantiæ, & vniuersalitatis secundæ. Quibus præter ens rationis nihil commune videtur. At substantia vtriq; substernitur. Per hunc modum secundum argumentum diluitur.

¶ PRO TERTIO notandum, quòd esse per se prius conuenit substantiæ per se sumtæ, quam primæ, & secundæ: sicut propria passio prius conuenit essentiæ speciei quam indiuiduis. Essentia autem substantiæ non est esse per se, sed esse talem naturam, cui debeatur per se subsistere. Sicut esse hominis nō est esse risibile: sed eam esse naturam: quam talis proprietas consequatur. sicut è contrario esse in subiecto non est substantia accidentis: sed tale ens esse, cui debeatur inhærentia subiecti. Vnde per se subsistere essentiam, & principia sequitur substantiæ, velut proprium: & ratione naturæ competit indiuiduis. Et quia substantia absolute sumta in primam, & secundam diuiditur: definimus eam, secundum id quod est proprium, & naturale, ac per consequens omnibus substantijs commune: scilicet esse per se subsistens. In quo proinde nec prima excedit secundā, nec è conuerso. Propriū enim ex æquo ab cunctis participatur. Et deinde hæc proprietas conuenit substantiæ antequam sit prima, vel secunda. Sicut risibile competit homini, antequam sit, vel in re, vel in intellectu. Hoc enim temporaneum est, illud autem æternum. Et nihilominus verum est in actu exercito per se subsistere prius conuenire primæ substantiæ, quàm secundæ. Quippe eò dumtaxat per se subsistere censentur: quòd identificantur primis. Sicud licet resibile prius conueniat homini quā Petro in actu exercito tn̄ prius ridet Petrus quā homo. Maximè quòd esse existentiæ prius competit singularibus. Vniuersale (inquit philosophus) aut nihil est, aut posterius est. Imò præter singularia vtiq; nihil est. In alijs autem acceptionibus & prima excedit secundam, & è cōtrario. Quatenus enim dicitur à substando sine controuersia prima excellit secūdam. Quatenus vero significat essentiam: constat vniuersalia anteire, esseq; magis substantiam. Vt pote quæ sunt ipsæ naturæ & definitiones singulatium: & deinde plus à materia & potentialitate seiuncta. Vnde argumento dicimus esse per se primo competere substantiæ absolute sumtæ priusquam primæ, & secundæ. Vbi magnopere aduertēdum quā omnes fere nouelli calligent hic modo loquendi credentes, idem esse loqui de secunda substantia ac de substantia per se sumta: non considerātes nobiscum tripharie naturas, & decipiuntur. Nam secunda substantia est sicut homo captus vt species in intellectu & tamen risibile non competit ei vt species est. Sed is sermo prius cōpetit propriū speciei quam indiuiduis: nomine speciei intelligitur natura (quæ aliàs est species) per se tamen capta & considerata. Ad primam confirmationem. Philosophus intelligitur secundū quòd substantia idem est, quod quidditas, & natura (vt nunc exponebamus.) Ad secundam confirmationem notato: quòd acceptio substantiæ pro supremo genere prædicamenti est à cæteris distincta, tametsi in aliquot priorum inclusa. Sunt ergo ista discrimina primum prædicatio generis est prædicatio superioris de inferioribus: inferiora sunt species, reliqua genera, & indiuidua. Vnde non prædicatur genus substantiæ vllatenus de partibus integralibus: vt pote quæ non sunt ipsæ

species

species nec in recta linea disposita. Substantia vero prout distinguitur ab accidenti, imo prout dicitur à substando, non est superior: & ita verificatur de partibus. Deinde genus multiplicatur in singularibus ad eorum multiplicationẽ: substantia vero, prout contra accidens non multiplicatur. Non enim valet ista, sunt duæ manus, & vnaquæq; est substantia: ergo sunt duæ substantiæ. Sicut valet, ista sunt duo animalia, & vnumquodq; est viuens: ergo sunt duo viuentia. Vbi est considerandum quòd substantia (prout distinguitur contra accidens) est ens per se. Super hoc additur quòd sit per se substans: & ita extenditur ad rectam linem. Super hoc apponitur continentia ad inferiora, & sic constituitur specialis ratio substantiæ secundum quòd genus supremum. Itaq; substantia rectæ lineæ vniuersalis est ens per se, substans & cõtinens: quæ omnia nullatenus partibus adaptari possunt. Quã quam circa primum membrum non tam liberè libenter saltem concederem, verificari substãtiam: etiam prout distinguitur contra accidens de partibus integralibus, nisi cum addito partialiter. Et idem dicerem de ente: nempe quòd hæc propositio manus est ens, sine addito non admittatur. Et rationi consonat, quandoquidem nec accidentibus ens nisi imperfectè & cum addito competit. Respondemus ergo, quòd per corpus, & reliqua probatur genus substantiæ competere indiuiduis: non tamen substãtia absolute sumta. Idest secundum se accepta: sic enim immediate omnibus competit. Et sic respõdendum ad tertiam replicam. Illæ enim immediationes: dispositioni prædicatorum adnituntur: ita enim iacent inter vtrunq; media, quibus velut gradibus ascenditur. Verum prout dicitur à substando, ipsa prima: vt Petrus immediatißime est substantia: sed vt distinguitur contra accidens, non immediatius competit secundis. Comparationes vero textuales procedunt de substantia à substando sumta. At hic plurimum aduertendum est circa primam substantiam multipharie nominari. Dicitur enim prima substãtia, suppositum, hypostasis, & persona. Quæ in prædicabilibus polliciti sumus, nos hic exposituros. Nam alia, indiuiduum singulare, ibidem exposuimus. Suppositum ergo dicitur respectu naturæ quæ in eo suppositatur. Et suppositari nihil aliud est, quam habere in singulari esse substentis. Hypostasis vero est nomen græcum, idem prorsus re & ratione æquipollens. Prima autem substantia dicitur velut primum subiectum: quod vniuersis prædicatis siue accidentalibus, siue essentialibus substernitur. Persona vero dignitatem quandam suppositi explicat. Est enim persona (vt definit Boëtius) naturæ intellectualis indiuidua substantia. Vnde ab supposito non differt, nisi vt nomen contractius. Nam suppositum, & prima substantia dicitur de omnibus indiuiduis huius prædicamenti. Persona vero tantum de hominibus & angelis.

¶ CIRCA SOLVTIONEM QVARTI *quæstio communis est inter theologos, pariter & metaphisicos vtrum Deus in prædicamento reponatur? cuius decißio nobis plurimum prodest. Quoniam rationes, & caussæ quæ deum à prædicamento excludunt: quæ, & qualis substantia in prædicamento reponenda est, aperiunt. Sed aduerte quôd dupliciter aliquid est in prædicamento, vno modo vt quod est illud: alio modo vt principium. Sicut punctum, quod non est quantitas, sed principium quantitatis: & vnitas collocantur in quantitate. Quidam rursus distingunt, quòd vt principium pertinere potest ad alterum duorum modorum: intrinsecè scilicet vt exempla proposita, & extrinsecè. Vt caussa inquam extrinseca: qualis est finis, & efficiens. Sed (meo arbitratu) est abusio distinctionum. Etenim implicat poni quoquo modo in prædicamẽto, & extrinsecè. Quoniam extrinsecum principium esse, extrinsecèq; pertinere est, intra ordinẽ prædicamenti non includi. At hæc substantia quoq; est principium extrinsecum omnium prædicamentorum, & tamen non nisi in vno prædicamento ponitur. Præterea si deus vt principium extrinsecum ponitur in prædicamento substantiæ (vt isti volunt) in singulis quoq; prædicamentis reponeretur, vt pote quorum est caussa. Igitur ad quæstionem cum S. Tho. conclusione respondemus negatiua. Quæ facile primo ex ante discußis prob. Quæcunq; in prædicamento contenta vniuocantur nomine & ratione in substantia vt pote in genere ad illa: & à fortiori in ente: sed creaturarum vniuersitas, & deus in ente, & multo melius in substantia analogãtur.*

Sed efficacius secundo.Substantia prædicamentalis necessario debet esse finita:Deus autem necessarissime est infinita essentiæ:ergo nõ queunt eadem in sede locari.Minor tum ex octauo phisicorũ,cùm ex.12.metaphi.& ex.1.sen. præsupponitur.Maiorem exponamus, & ostendamus. Finita essentia vocatur,quæ certos gradus essentiales habet:quod in prædicabilibus summis labys delibauimus.v.g.homo habet sex,aut septë. est enim rationale,animal,viuens, corpus, substantia,ens.Deus vero habet innumeros. Illud tñ necessario exigi,manifestè conuincitur. Quæ enim plurimos habere potest,species specialissima est:quæ tamë habet solũ genus,& differentiam. Genera superiora palã numerata imo per pauca sunt:differentia vero est alter gradus:ergo necessario aliquot præfixos habitura est. Siquidë differentia non potest secum infinitos afferre:vt pote forma simpliciter simplex. Præterea non est,neq; imaginabile:quo pacto se gradus infiniti inter se haberent.Vnde tanquam regula vniuersalis effertur. Substantiam infinitæ essëtiæ in prædicamento non reponi.Dupliciter enim quicquam infinitum est. Primo scilicet in ratione entis, seu quidditatis. Secundo in magnitudine, vt linea infinita.Quæ infinitas minime obstat: quin res in prædicamento reponatur : imo finitum,& infinitum sunt passio quantitatis : & ambo sunt eiusdem speciei. Similis enim extensio(si daretur)est limitatissimæ naturæ:& tamë in prædicamento non extensio,sed definitio pensatur.Si prædicamentum locus foret magnitudinis:infinitam magnitudinem nequaquam reciperet:est autem solum sedes naturæ. Ideo infinita virtus essentiæ,gradusq; naturæ non recipiuntur. Magnitudo vero illimitata , velut limitata recipitur.Præterea omnis substantia hic reponibilis maxime quæq; singularis habet actum,& potentiam,vt pote genus,& differentiam. Illud enim potentia est differentiæ:& hæc actus illius & speciei. Adhuc enim ipsum genus supremũ habet actus , & potentiæ mistionem. Est enim actu ens,& in potëtia adesse, & ad species substractas:quod non tantum negotium est intellectus:sed re vera quòd genus (si ad differentiã conferatur)potentiale,& perfectibile est Haud enim vniuersalium creatio, simul & distinctio pura est intellectus operatio:vt sit fictio,seu imaginatio : sed habet in natura fundamentum, cui intellectus admititur.Deus autem sic est purus actus,vt nulla eius ratio , nulla formalitas nisi falso tanquam alteram perficiens intelligi potest.Perfecta enim vt in se imperfecta,necesse est,tunc intelligatur:quod absit à nobis.Vnde impossibile est, deus in prædicamento reponatur.Tertio(vt Auicena affirmat)substantia prædicamentalis debet distingui formaliter ab esse existentiæ:scilicet non esse ipsum esse : quod inductiuè inuenitur. Vnde quidditas semper conuenit,& propositiones formantur perpetuæ:esse vero ex tempore aducnit. Ita nullius creaturæ esse in prædicamento directè ponitur,sed reductiuè. Ratio huius est, quòd esse non potest , subire vicem generis,aut differëtiæ nec genus habere, nec differentiam. Generis quidem vt pote quod est vltima perfectio , & actualitas.Genus vero perfectibile:differentia etiã non potest,quia esse est effectus formæ differentialis. Præterea si esse existentiæ differentia,vel quidditas alicuius substantiæ prædicamentalis foret , vniuersalia existerent in rerum natura.Quoniam differentia semper actu competit suæ speciei. Deus autë est suum esse,sicut animal est quidditas hominis:& sicut est inuariabile , atq; æternum hominem esse animal,ita deum actu esse.His & alijs quam plurimis argumentis constat,Deũ nõ constitui in prædicamento:cui ipsa prædicamenti structura omnino repugnat.

¶ AD ARGVMENTVM principale bene ibidem responsum est.Ad replicam cõcedimus, aliquam ibi actus,& potentiæ mistionem : non sic vt pars actuata, & actuabilis , nec per intellectum in ea designetur: sed quia & tota est in potentia adesse,vel in potentia ad differëtias diuisiuas, quæ omnia sunt extra essentiam substantiæ . Vnde non sequitur habere differentiam.Sequeretur tamë si in ea partem perfectibilem,& actuatë,vel per intellectum secerneremus,sed est omnino substãtia abstracta simplex. Sicut in animali materia perficitur per formã , & ambæ partes sunt natura animalis:& in homine genus perficitur per differentiam , & ita hæc componuntur ex actu & potentia. Natura vero animalis tota est in potentia ad differëtias specificas,sed non ob id dicitur componi ex actu & potentia:quia hæc potentia est logica.s. non repugnantia:quæquidem cum actu non cõponit: & ita est substantia supremum genus in potentia

tia

tia ad inferiora. Sed quanquam differẽtiam nõ habet, habet suum modum intrinsecum scilicet per se esse, de quo vltima quæstione huius libri loquemur. Ad replicam vero dicito, poni Christum in prædicamento. Primo quia est verus homo, & vniuocè nobiscum: ergo & nomen est cõmune, & ratio, idest, definitio, & species eadem & per consequens si species quidditatiue prædicatur, sub illa continetur. Secundo rationes, quæ Deum à prædicamento expellunt, sumuntur ex parte diuinæ essentiæ, non ex parte suppositi: ex humanitate Christi nulla ratio exclusionis colligitur: ergo. Tertio suppositum ratione sui nõ spectat directè ad prædicamentum. Quod enim de se addit, est esse: vel personalitas, quæ reductiue ponitur. Ergo quod esse Christi exsistentiæ quod est deus, hic non collocetur: nõ obstat: quo minus Christus homo reponatur.

¶ QVINTO argumento posset quis respondere mistum & simplex non esse differentias essẽtiales, & formales corporis generis, sed materiales, & accidentales. Mistio enim elementorũ non est ipsorum substantiæ, sed qualitatũ. Haud enim elementa manent formaliter in misto: vt in homine sit ignis, aer, aqua, & terra, sed quaatates. Hæ enim dumtaxat ad consistentiam mistorum exiguuntur. Vnde & ex parte materiæ se tenent, & mistio accidentalis, non essentialis videtur. Cui congruenti responsioni tempestiue replicabitur, quòd licet huiusmodi commistio sit qualitatum: arguit tamen illorum corporum distinctam esse naturam: cũ non accidentaliter talia corpora similẽ mistionẽ postulent sine qua nullatenus exsisterent. Respondeo forsan diuersæ essentiæ, ea corpora esse: non tamẽ cognoscimus aliquam formã vniuersalem, mediam inter viuens, & corpus, quæ hanc mistionem exigat. Qua forma mediante velut quadã differentia, corpus diuidatur: & illa species media, quam fingis, cõstituatur. Siquis vero arborẽ sic erigere voluerit, vt corpus, per mistum diuidat: & mistũ per animatum & in animatum non refragor.

¶ AD SEXTVM respondetur, corpus sumi æquiuocè. Significat enim corpus trinam dimensionem, & partẽ substantiæ corporeæ, & integrã: quarũ posteriores significationes sic videntur, profluxisse. Primo enim corpus habet, vt nõ sit incorporeum sed sit in eo materia, & sic imponitur corpus ad repræsentandũ quicquid non est spiritus. Ita partes integrales dicuntur corpora, sicut substantia dicitur, quicquid non est accidens. Nisi quòd vsus obtinuit vt absolutissime corpus dicatur de corpore hominis: quod non admitterem ego in substantia. Secundum est, quòd corpus est natura totalis: & ita est genus. Quo vero pacto differat prædicatio corporis, quando vt genus, vel primo modo dicitur: explicatum fuit cum de p̃dicatione substantiæ tractaremus.

¶ AD SEPTIMVM argumentum respondetur, quòd rationale non verificatur de anima in corpore nec separata prout est differẽtia: sed secundum quòd dicit quandam potentiam siue radicalem, seu essentialem, siue accidentalem. Quatenus vero differentia est, non potentiã sed actum significat naturam quandam. De sensibili vero, & animato philosophandum est quemadmodum de corpore, & substantia philosophati sumus. Quanquam id plurimum arbitror aduertendum, quòd substantia prout est genus prædicatur extrinsecè seu identicè de rationali, & de superioribus differentijs: extra quarum rationem est. At sumta prout distinguitur contra accidens formaliter, & intrinsecè.

De quantitate.

Tex. 1.

QVãtitas est, qua substantia est diuisibilis in partes eiusdẽ rationis. Est etiam mẽsura substantiæ. Secundum quam cõsiderationẽ hic tractatur. Est aũt duplex, alia cõtinua, alia discreta. Continua est cuius partes copulantur vno termino communi: vt partes lineæ coniunguntur puncto. Continuum demum est cuius partes actu copulata sunt:

& ex cuius diuisione fit numerus. Discretũ vero cuius partes actu inter se diuisæ sunt: vt senarius habet sex vnitates: quarum vnaquæq; abaltera nũc semota est. Vnde discretum est cuius partes non copulantur termino cõmuni.

Tex. 2. Quantitas continua *est quintuplex: linea, superficies, corpus, tempus & locus. Discreta vero duplex numerus, & oratio. At qui de illis tribus prioribus nemo iure dubitabit esse quantitates: vt pote tam manifeste mensuras substantiæ existentes. Linea enim mensurat longitudinem: superficies latitudinẽ: corpus habet trinam dimensionem. Siquidem ipsa linea est in se longitudo, superficies latitudo: corpus his addit profunditatem. At nõ æque perspicuũ est, quantitates esse continuas: sed profecto partes lineæ copulãtur pũcto tãq; termino communi: partes vero superficiei linea: partes corporis superficie. Præterea si linea scindatur, iam partes nõ erunt vna linea, nec totalis: sed duæ. Non ob aliud nisi quia iam partes puncto nõ copulãtur & cõnectuntur: ergo quando erat vna: partes copulabãtur. Itaq; in his cõtinuitas reperitur. Tempus quantitas est, vt pote mensura. Nam si quæritur quanta sit vel actio, vel vita: ex tempore longa, vel breuis dicitur. Vt actio diuturna quæ multo tempore peracta est. Partes præterea copulantur instanti: vt tempus præteritum futuro coniungitur instanti præsenti. Locus aũt est mensura locati: & sicut locatũ est cõtinuũ, & habet partes continuas, ita & locus.*

Tex. 3. Inter discretas vero *numerus cũ tam frequenter mensuret, nõ potest, an sit quantitas, hæsitari. Mensurat aũt multitudinẽ, cuius partes non copulantur. Quia partes sunt vnitates, inter quas nihil iacet, quod terminus cõmunis vtriusq; vnitatis possit esse. Oratio vero vocalis (de qua dumtaxat quantitas asseritur) eo prob. esse quòd longa, & breui, syllaba mensuratur. Et cum syllabæ seiunctæ sint, cõstat esse discretum.*

Tex. 4. Rursus inter quantitates: *alterius partes habent positionem in toto, alterius non habent. Illæ sunt linea, superficies, corpus, & locus: istæ vero tempus, numerus, & oratio. Habere autem partes positionem in toto est, vt hæc pars sit superior, illa inferior, ista retro, illa anterior, altera sinistra, altera dextra. Quod non habent vnitates in numero, nec partes temporis: tametsi ordinẽ prioritatis habeãt. Vt duo prius quàm tres: præteritum priusquam præsens, vel futurum.*

Tex. 5. Rursus quanta: aliud *est per se, aliud per accidens. Quãta per se sunt ea, quæ hactenus diximus: cætera vero per accidens, vt album.*

Tex. 6. Quantitati vero nihil *est cõtrarium: vt patet inductiue. Quòd si de magno obieceris, quod opponitur paruo, notato magnũ absolutè sumtũ idẽ esse, quod quãtũ, siue continuũ, siue discretũ, & sic non opponitur illi paruũ. Alio modo accipitur vt indicat excessũ, & ita opponũtur: nõ tamẽ cõtrariè, sed relatiuè. Quod multipliciter probatur. Primo quia aliquis mons dicitur paruus, formica magna: cum mons sit lõge maior formica. Nimirũ quòd ille mõs respectu aliorũ montium paruus est. Hæc vero formica alijs relata magna est. Deinde in pago dicimus esse multos homines, vel in domo, in ciuitate aũt paucos, vel in foro: cũ multo plures in ciuitate, quã in vico: & in foro, quã in domo sint. At respectiue dicimus, & hic multos adesse, & illic paucos interesse. Præterea si hæc contraria forẽt: idem simul cõtraria susciperet. Quod nec substãtiæ cõpetit: vt pote quæ successiue dũtaxat ea suscipit. Simul enim contraria eidem in esse, non possunt. Sequella tamen prob. Quia idẽ simul est magnũ, & paruum. Vt idem vir est magnus respectu pueri: & pusillus respectu gigantis: quinimo sequitur idem sibi ipsi contrarium esse: quia idem est magnum, & paruum. Igitur relatiua sunt, vel si quanta sunt: nihil illis contrarium est, cum simul eidem rei competant. Quod etiam respondendum est, si de loco opponas: quia inferiori opponitur superior. Nẽpe quòd in quantum loci quanta sunt, & ambo superficies: superius autem, vel inferius*

relationes videntur. Quo circa sequitur, nullam quantitatem esse magis quātitatē, aut quantā altera. Nullū tempus magis tempus altero tēpore. Nullum numerum magis numerum alio.

Tex. 7. Est autem propriū *quantitatis, vt secundum eam res æquales, vel inæquales sint, & dicantur. Vt duo homines æquales, vel inæquales: si sunt eiusdem, vel diuersæ magnitudinis. Secundum autem albedinem, & similes qualitates res non æquales, sed similes appellantur.*

¶EXPOSITIO.

DE QVANTITATE post substantiam opportune mihi tractari videor: quòd inter omnia accidentia corporea (quæ tamē nobis prius innotescūt) primū est: & forsan cunctis maioris entitatis. Ens enim inæqualiter cōpetit prædicamentis. Et reliquis subsequētibus istud præstare manifestat (mea sententia) ipsius quantitatis moles, corporeitas, & vastitas simul & capacitas ad vices substantiæ exequendas. Vnde in altaris sacramento hoc accidens absq; substantia subsistit, & cætera accidentia, vt colorē, saporē, odorem, figurā fulcit atq; sustentat. Istamen quantitatis tractatus multus est, adeoq; profusus: vt integræ, & plures disciplinæ eam euoluant, & versent. Scilicet mathematicæ. Arithmetica discretam, geometria cōtinuā. Quare non est in dialectica exactus de ipsa sermo à nobis efflagitandus: sed vt attico, & cōpendioso (nō tā ea quæ in se quātitas plurima habet, quā quid substantia ea mediāte habeat) scrutemur. Quia eam in abstractio mathematica cōsiderāt, nos autem secundum quod de substantia prædicatur. Quanquam non possumus, non aliqua ipsius quantitatis intrinseca ad maiorem nostri tractatus notitiā perstringere. Tripliciter enim cōsideratur: primo vt est accidens naturale substantiæ corporeæ, vt pote prima passio propria illius. Primū enim eā consequēs est esse quantā. Vnde cum de subiecto, & propria passione eadē disciplina disputet, naturalis philosophiæ interest eam hoc pacto discutere: cuius est substantiā corpoream perpendere. Alio modo in genere secundū quod est accidens substantiæ. Sic nos, & metaphisicos complectitur. Tertio est subiectum proportionis: quemadmodū ad mathematicas spectat. Sed illius materiam, ita methaphisici, et dialectici sibi partiuntur: vt cum quātitas sit diuisio vnà, & mēsura substātiæ. Primus philosophus eius diuisionem consideret, dialecticus vero mēsurā. Sed quia diuisionis notitia valde vtilis, & cōspicua erat: ambo breui sermone in textu amplexi sumus. Igitur quantitas est diuisibilis in partes eiusdem rationis, vel quæ substātia diuisibilis est in partes eiusdem rationis. Vt lignū in frustra: quorum quodlibet lignum sit, & appelletur. Substantia quidem corporea (de qua solūmodo definitio loquitur) sicut primo composita est ex materia & forma, ita in eas primo diuiditur. At non sunt ambæ partes eiusdē, sed diuersæ rationis: altera actus, altera potentia tametsi quādo hæc substantia realiter in partes essentiales distrahitur, non tam libenter istud diuisionem appellarem: quam realem corruptionem, atq; interitum. Secundo constat ex partibus integralibus: quæ in hoc (quod est esse quantitas) omnes vniuersaliter conueniunt. Quæ quidem diuisio non competit substantiæ, nisi mediante quantitate. Per se enim sumta indiuisibilis esset: nec extenderetur, nec locum repleret: sicut nec angeli repleat. Quòd si mors diuisio non est (vt diximus) sed corruptio: absq; modificatione potest quantitas hoc pacto definiri. Est quæ substantia realiter est diuisibilis. Vnde & in prædicabilibus tenuimus, solum vnum numero (quod quidē est quantum continuum, vel discretum) realiter posse diuidi. Quia resolutio totius non partitio (meo arbitratu) Sed corruptio est. Quibus id tamen displicuerit, poterūt diuisionis quātitatis qualitatem illis verbis exprimere: in partes eiusdem rationis. In quo sensu & difinitio philosophi in methaphisica traddita intelligitur. Quātū est diuisibile in ea quæ insunt: quorum vtrunq; vnum quid aptum est esse. Vltima particula partes essētiales excludit: vt pote quæ ab se diuisæ non permanent. Forma enim cum à materia separatur, desinit esse: & corpus fit etiam aliud: quippe distinctam iam formam habens, & demum in genere partes illæ forma, & materia vt materia est, non sunt aptæ seorsum vnaquaq; manere, nec materia absq; forma, nec forma sine materia: demta anima

rationali. Partes vero quantitatiuæ persistunt dispartitæ. Ideo dixit. quorum vnaquæq; pars nata est, per se superstes esse. Prima vero particula forsan propter elementa adiecta est: quoniam mixtum dicitur diuidi in elementa, esseq; ista, vtcunq; partes illius: cum tamen re vera (vt ex posuimus) non sint in illo nisi secundũ suas qualitates. Vnde diuisio misti (si est in elementa) non est in ea quæ insunt: sicut est diuisio quantitatis: cui omnes eius partes inhærent. Licet propriæ resolutia illa vocetur, nõ diuisio. Quod ea de caussa damtaxat lubẽs aduerto, vt deinceps propriè dialectici loquantur. Secunda definitio est, quantitas est mensura substantiæ: vt pote qua de magnitudine, vel multitudine substantiæ certiores fieri consueuimus. Vt quam magnus, vel nanus sit homo, per eius quantitatem innotescit. Vt si bicubitus est, vel tricubitus. Si viginti, vel triginta homines in platea deambulent. Sed duplex est mensura sane intrinseca, & extrinseca: illa est quæ rei mensuratæ inest. Vt longitudo, & latitudo insunt substantiæ: per quas eius proceritatem metimur. Extrinseca non inest: sed circuniacet. Vt locus, v.g. vas aquæ mẽsurat aquã, per vas enim quanta sit aqua, patescit. Quod tamen, nec eius superficies concaua (qua aquam tangit) non inhæret aquæ. Ambæ mẽsuræ (vt cõstat) reperiuntur in quantitate, & de ambabus intelligitur definitio. Partitur quãtitas in discretam, atq; continuam: vtraq; enim est diuisio, atq; mensura: & vtraq; diuiditur in partes eiusdem rationis: continua in quantitates: discreta in vnitates: quæ omnes eiusdem rationis sunt. Et nihilominus differunt: quòd continua diuiditur in partes, quæ sunt in ipso toto continuæ. Vt homo diuiditur in brachia, collũ, & caput: quæ cõtinuantur in toto. Et si diuiderentur, desinerẽt esse continuæ: & fierent discretæ. Ex diuisione nãq; continui fit numerus, & cõtinuari partes in toto (vt clarius loquar) est vniuersas esse vnũ numero. Discreta quantitas diuiditur in partes: quarũ vnaquæq; ab alia sciuncta est. Vt septenarius diuiditur in septẽ vnitates, quarũ nulla cõtinuatur alteri. Et vtraq; etiã est mẽsura. Sedquia mẽsura debet adæquari mẽsurato, secũdũ diuersitatẽ mẽsuratorũ, diuersæ mẽsuræ aßignandæ sunt. Et primo res mẽsurata aut est vna, vel plures: vnius mẽsura est quãtitas cõtinua, plurium vero discreta. Et ideo sicut res vna partes habet cõtinuas: ita & quãtitas cõtinua. Et sicut pluralitatis partes segregatæ sunt, ita & quãtitatis discretæ. Vnaquæq; harũ partitur in suas species: cõtinua in lineã, superficiẽ, & corpus, & tẽpus, & locũ: discreta in numerũ, & orationẽ. Linea est longitudo nullã latitudinẽ habẽs: quæ duobus punctis clauditur. Cuius partes, vt duæ medietates copulãtur termino cõmuni. Superficies vera est lõga, & lata: ac si fingeres ex protractione vnius lineæ versus aliquod latus produci. Cuius proinde partes copulãtur linea: quæ respectu illius est (velut punctũ in linea) indiuisibilis. Per hunc modũ cæteras species cũ textu prosequitor. Quarũ oratio est, quæ minus quãtitas apparet: cũ mẽsurari potius tpe: quã measura videatur. Sed cũ multipliciter poßit cõsiderari, nẽpe & materialiter, secũdũ quod est vox cõplexa, & formaliter vt significatiua, & vt actio loquẽtis, et paßio illis aëris (secũdũ quas ad alia pdicamẽta pertinet) hic accipitur, secundũ quòd syllabæ diuersæ partim breues, partim lõgæ separatim ad cõpositionẽ vnius orationis cõfluunt, coeuntq;. Quã proinde simplicius ia hũc modũ definit. Oratio est discretio elemẽtorũ, idest, syllabarũ sibi inuicem succedẽtiũ: quorũ alterũ alteri nõ est permistum. Quæ quidẽ oratio & extrinsece tẽpore mẽsuratur: & intrinsece se ipsa: secũdũ quòd syllabæ natura sunt lõgæ, vel breues. Vnde & carminũ varietas promanat. Huius distinctionis & specierũ sufficiẽtia ex natura quãtitatis decernitur: quæ est esse mẽsura. Ex qua etiã velut ex fũdamento & pcedẽs dictinctio in cõtinuã & discretam deriuata est. Nã quot fuerint mensurata in genere, tot sunt necessario mẽsuræ. Quãtitas cõtinua mensura est vnius. Si hoc vnũ permanẽs est, mẽsuratur linea, superficie corpore & loco. si successiuũ tpe. Multitudo vero (quæ discreta metitur) si permanẽs, numero: si successiua, oratione. In textu ponitur secũda quãtitatis diuisio velut in accidentia. Et quidẽ habere partes positionẽ est hic vel illic in toto eas esse dispositas. Hæc superius, illa inferius: & (vt plane loquar) huiusmodi dispositio est situs partium in toto. Habent & situm, & diuersam dispositionem partes in ordine ad locum. Alium situm, & dispositionem quo ad locum dico, cum sedeo, alium cũ iaceo, vel sto: & tñ partes inter se semper eũdẽ vtrobiq; sitũ, eandẽq; dispositionem seruant. Semper brachia humeris affixa sunt. stomach9 collo appen-

appẽsus,& sic de alijs. Ille situs localis,& mutabilis constituit peculiare prædicamentum: is vero partium inter se permanens est dispositio, de qua hic agimus. Sunt autem sex differentiæ dispositionis scilicet supra & infra, dextrum,& sinistrum, ante,& retro, quæ sic deducuntur. Duo postulat huiusce proprietas, nempe vt quantitas sit continua,& permanens. Primum nemo ambigit: secũdum constat. Quia dispositionem inter se habere non possunt, nisi quæ actu sunt: qualia neutiquam erunt: si successiua sunt. Tales sunt tantũ quatuor species sane linea, superficies, corpus,& locus. Sed quia hæc dispositio est partium inter se: non in ordine ad aliud: & excluso ordine ad aliud idem est superficies & locus: manẽt tantum tres species dispositionem habentes, linea superficies,& corpus. Igitur lineæ vt pote longitudini correspondent inferius & superius: superficiei, tanquam lata, amplaq; dextrorsum & sinistrorsũ: corpori velut profundo, ante & retro.

¶ In textu ponitur vltima diuisio nõ quãtitatis, sed quanti. Tripliciter enim quãtum dicitur, ipsa quãtitas, in qua (vt in quæstione patebit) idem est concretũ & abstractum: scilicet quãtitas est quãta,& linea est lõgitudo,& lõga. Secũdo ipsũ subiectum quãtitatis est quãtũ. Tertio multa accidẽtia, quæ sicut denominatiue materialia, ita quãta appellãtur: vt albũ, dulce. Priora duo sunt quanta de per se, primo de quãtitate nemo dubitabit esse quãtam de per se: sed & subiectũ esse cõstat. Haud enim quãtitas est accidẽs commune substãtiæ corporeæ, sed propriũ. Vnde etsi nõ essẽtialiter quãta sit, sicut quãtitas, de per se tñ quãta est sicut homo de per se risibilis. Albũ aũt & similia sunt quãta de per accidẽs: quoniã ratione dũtaxat subiecti talia nuncupãtur. Sed obycies de tpe & oratione, quòd sint quãta de per accidẽs. Vt pote quæ nec sunt subiectũ quãtitatis, nec quãtitas. Illud est manifestũ: hoc prob. Primo tẽpus nõ est per se diuisibile, sed ad diuisionẽ mot9: rursus motus ad diuisionẽ spatij (quod exemplis nullo negotio clarescet) ergo est quãtũ de per accidẽs. Cõfirmatur: ista hæc species in metaphisica inter quãtitates de per accidẽs cõputãtur. Huic obiectioni dam9 (si quãtitas per suã naturã cõsideretur) hæc nõ esse quãta de per se (vt argumẽtũ euincit) quippe quæ nec diuisibilia per se: at si ratione mẽsuræ eas (vt in p̃senti) speculamur quanta sunt de per se. Vt pote necessariæ mensuræ distintarum rationũ. Tẽpus enim metitur motus,& vniuersaliter res & cõtinuas & successiuas: oratio vero res,& successiuas & discretas. Cætera in textu constant planissime.

Vtrum textus quantitatis babeat verum?



A PARTE NEGATIua contra definitiones arguitur. Essẽtia quãtitatis nõ est, vt sit diuisio, sed vt extẽsio substãtiæ: qua mediãte scilicet babeat partem materiæ extra partẽ: ergo definitio exacta non est. Antecedẽs prob. Pri9 est partes extẽsas esse, atq; impermixtas: quã esse diuisibile. Sicut enim diuidi est segregare vnã partẽ ab alia: ita diuisibile esse est babere partes potentiæ segregatas. Quod est extẽsum. Et cõfirmatur. Quod est inextẽsum vt punctũ,& instãs, omnino est indiuisibile. Fundamẽtũ ergo diuisibilitatis extẽsio est: & per cõsequẽs hæc est natura quãtitatis. Cũ natura vniuscuiusq; sit in eo primũ & reliquorũ fundamẽtũ. Secũdo substãtia habet de se partes extẽsas et est diuisibilis: ergo nõ per quãtitatẽ. Antecedẽs probatur. Integra quantitas subiectatur in substantia,& singulæ partes quãtitatis in singulis partibus substantiæ,& tñ pri9 natura est subiectũ quã accidẽs: ergo prius natura substãtia babet partes extẽsas & diuisibiles, quã quãtitas. Tertio totũ heterogeneũ nõ est diuisibile in partes eiusdẽ rationis, sed diuersarũ. s. in caput, vẽtrẽ & crura: quæ sunt (vt cõstat) differẽtis rationis: & tñ hæc eius diuisio est diuisio quãti & cõtinui. Cõfirmatur numer9 est quãtitas: & tñ nõ est diuisibilis: sed iã diuisus? quid enim est diuisum esse, nisi partes singulas seorsum exsistere: & tñ vnitates seorsum exsistũt,& impermixta. Quarto in secũdã finitionẽ. Ratio mẽsuræ nõ vniuoce sed analogice cõpetit cõtinuæ & discretæ: ergo male quod est gen9 (vt quãtitas est) definitur per id, quod sibi est analogũ. Antecedẽs babetur. 10. metha. tex. 2. Cõfirmatur ratio mẽsuræ nõ est natura quãtitatis, nec propria passio: ergo definitio nec descriptiua est. Antecedẽs prob Nõ est quantitati cõuertibilis: vt pote cõpetens maxime vnitati: quæ nõ est quãtitas, sed principium quãtitatis. Secundo quia propriæ cõuenit tẽpori & loco: quæ non sunt per se quantitates.

¶IN DIVISIONEM PRIMAM QVANtitatis. Linea est quantitas continua: & tamen nullus est terminus communis, quo partes copulētur: ergo. Maior prob. Quicquid est in linea est pars lineæ & per consequens diuisibile: sed punctum est omnino indiuisibile: ergo. Confirmatur. Partes continui sunt infinitæ, quia est diuisibile in infinitum: ergo essent infinita puncta. Sexto numerus non est quantitas: ergo falso inter eius species computatur. Antecedens probatur. Componitur ex vnitatibus, quæ sunt indiuisibiles. & tamen indiuisibili (vt habetur tertio phisicorū) additum indiuisibile non facit quātum, nec extensum. Confirmatur numerus est passio entis: ergo non est ad hoc prædicamentum restringēdus. Antecedens prob. Constat ex vnitatibus: & tamē vnum sequitur ens, imo vnū & multa sunt proprietates entis: & in ea diuiditur: multitudo aūt est numerus: ergo Septimo locus est frequentar discretus: quando scilicet medietas in aere, altera in aqua. Octauo augmentatio & diminutio sunt motus contrarij: ergo habent terminos contrarios: termini sunt quantitas: ergo quantitati aliquid est contrarium. Et confimatur. Quātitas est maior & minor: ergo suscipit magis & minus. Octauo adhec plurimæ aliæ proprietates assignātur quantitati. s. longum, breue, finitum, & infinitum, & similia: ergo diminutus est textus.

¶IN CONTRARIVM est auctoritas philosophi hæc ipsa & si non eisdem verbis sensu eodem asserentis.



IN HAC QVAESTIONE & si tantilum profusus fuero, id causæ est, quòd quantitatis notitia simul & difficultatum decisio, quæ circa eam ventilātur plurimæ sunt vtilitatis. Præmissa ergo conclusione affirmatiua quæstionis. Primum argumentum inquirit, quod solet exquisitissime inuestigari: quid scilicet quidditas quantitatis exsistat? Quinq; autem videtur esse in quantitate: quorum primum ponamus (quod rationi consonat) esse extēsionem partium: secundo earundem diuisibilitatem: tertio quod sit finita vel infinita (vt habetur primo phisicorum) quarto æquale vel inæquale: quinto mensurā. De his vltimis tribus apud omnes in cōfesso est proprietates esse, nō naturā. Nā etsi S. tho. 1. p. quæst. 29. & in tractatu de loco asserat rationem quantitatis secundum quod quantitas est, esse rationem mensuræ, intelligitur secūdum considerationem logicæ (vt nos vltro fatemur) nam absolutè cum ratio mensuræ sit relatiua: quantitas vero accidens absolutum: non potest mensura esse quantitatis natura. Sed vtrum ex duobus prioribus pro essentia habeatur inter graues viros sub iudice manet. Mihi vero similius videtur vt quantitas sit extensio: & in hoc eius natura consistat. quod est habere partes extensas. Et quia est genus supremum non potest exacte definiri: sed describi: quod non melius quam argumento inducto in contrarium patere potest. Nam meo videre est efficacissimum. Hanc extensionem sequitur, vt sit diuisibilitas. Quidquid tñ huiusce ambiguitatis veritas habeat, id peculiare in hoc prædicamento reperitur, vt quantitas sit quāta & abstractum, concretum. Quod in alijs non offendimus. Albedo enim non est alba, aut actio agens. Quod quidem ex singulari natura quantitatis promanat. Quæ cum sit extēsio vel diuisibilitas: debet habere partes eiusdem secum rationis, idest, accidentia: non substantia. Omne autē habens partes est diuisibile in illas: omne autem diuisibile & consimiles partes habeas est quantum, ideo magnitudo & quantitas & quanta est, & linea longitudo, & longa, superficiesq; latitudo & lata. Vnde quantitas est aptissima & modum substantiæ subire, & absq; subiecto considerari. Quo circa cum quantitas sit diuisibilis in partes eiusdem rationis: hoc bipharie intelligitur. Nempe & quòd secundum se ipsam in abstracto sumta sit diuisibilis, & quòd substantia mediante ea sit corporaliter extensa, diuisibilisq;. Et quia quod alicui de se inest, prius conuenit quam alterū, diuisio cōuenit prius quātitati quam substantiæ. Vnde cum quantitas inhærens substantiæ, habeat duo. s. esse existentiæ (quod est illi hærere) & esse diuisibile, extensum ve. Esse existentiæ datur sibi ab substantia: non autem esse diuisibile. Econtra cum substantia habeat duo. s. esse, & extensam esse: primum sibi de se competit: secundum per qunatitatem. Et ita quo ad esse prior est substantia quātitate: quo ad diuisibilitatem prior quantitas substantia. Ad argumentum ergo secundum hanc distinctionem respondeto substantiam, & partes eius priores quidem esse in existentia: non autem in esse diuisibiles.

¶PRO

¶PRO SOLVTIONE TERTII NOtato: hæc nomina homogeneum, & eterogeneū greca eße: & conditionem totius & partium exprimere. Homogeneum est cuius partes sunt eiusdem rationis cum toto: quod quidem ex nomine cognoscitur: si diuisæ scilicet eandem naturam & nomen, quæ totum (vnde abcisæ sunt) retinent. Vt aqua, aer & ignis: quælibet pars aquæ est aqua. Eterogeneum vero est cuius partes differentis ab toto rationis sunt: quod in viuentibus contingit. Quæ sicut varias edunt operationes, ita diuersas potentias ab natura dotata sunt: quibus eas eliciant, & exerceant. Vt arbor habet radices, stipem, ramos, folia, fructus: animal sensus, caput, pedes, & ventrem. Hoc autem sane vt partes disparalis rationis sint, multas habet veras expositiones. Primo intelligitur quo ad operationes & per consequens quo ad nomen. Radices enim suggūt humorem, truncus ramos emittit & robur est arboris: folia fructus tegunt, atq; tuentur: & distincta nomina vnumquodq; sortitur. Quod facilius est in partibus animalis philosophari: vt pote quarum diuersitas atq; necessitas operationum multo nobis & coniunctior & patentior est. Secundo vt habeant diuersam figuram ad distinctum actum eliciendum ab natura præstitutam. Quæ omnia homogeneis desunt: quorum singulæ partes eandem prorsus actionē quam totum, & non aliam efficiunt, eademq; figura donātur. Ignis enim rogus vrit & quodlibet frustulum ignis: amboq; ignes appellātur. At vero quoad essentiam & naturam omnes partes etiam eterogenei sunt eiusdem naturæ, idest, per eandem formam essentialem & per eādem materiam primam: tametsi forma illa in distinctis partibus materiæ differentes faciat actus. Quod in anima nostra experiētia docēte intuemur. Qua in stomacho cibum decoquimus, in iecore digestum atq; decoctum in sanguinem cōuertimus: in arterus sanguinem in carnem congelamus, atq; coagulamus. Deinde quo ad quantitatem omnes sunt pariter quantæ: extensæ scilicet atq, diuisibiles. Vnde consimiliter nuncupantur vniuersæ & quantæ & integrales. Itaq; eterogenei partes differentis rationis eße intelligitur quo ad aliqua non quo ad omnia. Et sic argumento. Respondetur. Quamquam his non obstantibus potentiæ vt sensus differunt specie secūdū quod sunt potentiæ. Sed hoc est alterius loci explicare. Confirmationi dicito ꝙ omnis numerus componitur materialiter ex vnitatibus: omnis autem pars materialis cum sit rei intrinseca, debet illi vnita esse: vnde vnitates (quam diu partes sunt numeri) non sunt ab toto seiunctæ, ita vt vnaquæq; diuisa ab illo subsistat: sed sunt in toto numero & per formam totius, ab reliquis quidem vnitatibus discontinua, ab toto vero nullatenus actu diuisa. Ideo nullus numerus est diuisus: sed omnis est diuisibilis in ea, quæ insunt. Nā ly in esse non intelligitur stricte (alias solum quātitati continuæ conueniret) sed est sensus, in ea quæ ibi formaliter sunt. Ad confirmationē igitur respondemus: quòd diuisum esse est, quòd partes ab toto & non solum inter se actu separatæ sint. Quod numero eiusq; vnitatibus minime cōpetit. Haud enim vnitates sunt partes numeri, nisi solum quamdiu sunt intra totum numerum.

¶CIRCA QVARTVM ARGVMENTUM opera pretium existimo fore naturam mensuræ (res inter philosophos multum agitata: & vix vnquam satis cognita) quantum breui potuero, dialecticis exponere. Mensura proprie est ratio cognoscēndi alicuius quantitatem. Mensura enim & mensuratum præ se quantitatem sonant: ideo proprie in quantitate inueniuntur. At vt mensura possit esse ratio cognoscendi alterum (par est) ipsa sit cognita, atq; certa. Nam quod aliud manifestat, maxime secūdum id quod manifestat, debet eße multo notius & patētius illo: & deniq; velut fulgentißimum lumē: quod de se, & non rursus alia luce vel splendore conspiciatur. Vnde oportet ꝙ mēsura exacta atq; perfecta non sit quanta, nec omnino quantitas. Omnis namq; quantitas est mensurabilis: vt pote de cuius magnitudine rogari potest quanta sit. Et ita de linea quærimus quam breuis vel longa sit: de superficie quam lata: de corpore quam profundum. Quod quidē necesse est certiori aliqua mensura dignoscamus. Non ergo mensura debet esse quantitas. Sed illud erit aptißima mensura quod mensurat & non mensuratur: vt pote in illo genere adeo certum: vt nihil certius sit. Quoniam mensura est clarius & mensuratum obscurius. Quid ergo in quantitate reperiri, potest non quantum: quod mensura dumtaxat possit esse, non etiam mensuratū, nempe id, quod cū sit pars, est indiuisibile. Tale autem solum est vnitas. Pars in primis vel eße aptum, vt pars sit,

debet esse: quia optime, naturaliter, intrinsiceq; vnumquodq; suis partibus mensuratur indiuisibile vero vnū necessario erit. Ne si diuisibile fuerit, quantum sit, ac proinde mensuratum. Omne enim quantum est mensurabile. Quo circa punctum in linea & instans in tempore licet indiuisibilia sint: quia non sunt partes: non apta sunt ad mensuræ munus obeundum. Sed mensuræ ratio maxime competit vnitati: in qua ambæ conditiones conuenēre: vt pote pars numeri & indiuisibilis: imo sola vnitas perfecta mensura est. Sed obycies illico: ergo quantitas præsertim cōtinua non est mensura: vt pote & diuisibilis & reuera mensurata. Secundo quòd falso per mensurā in textu quantitas describatur. Verum scito: quòd quanquam exacta mensura sit vnitas, ad illius tn̄ similitudinem est etiam apta mensura: quod est pars, & velut indiuisibile aliquo in genere sumimus: quo probe tamen totum innotescat. Vt admetiendum spatium aliquod vtimur leuca, stadio, passibus, pedibus. Pes in hoc genere vltima mensura est: simpliciter quidem diuisibilis, a nobis tamen tanquam indiuisibilis sumtus & non mensuratus: sed vt certissima & irresolubilis regula captus. Idem in ponderibus & numis quæ mensura sunt, mercium, & rerum venalium iudicato. Per hunc modum quātitati & continuæ & discretæ ratio mensuræ perfecte adaptatur. Nempe vt in vtraq; aliquid detur: q̄ solum sit mensura. Rursus hæc est duplex alia quæ tantūmodo mensura sit vel secundum se, & quo ad nos, vt vnitas, vel quo ad nos tantum: vti illud quod dudum ipsi dicebamus velut indiuisibile sumi: alia est mensura & mensuratum & de se, & quo ad nos vt leuca: quam constat & mensurare distantiam & stadys mensurari. Huius conditionis est omnis quantitas: quæ cum sit quanta est pariter mensurata: linea mensurat longitudinem substantiæ, & ipsa palmis vel digitis mensuratur. Ex quo inferes primo, quòd ratio mēsuræ maxime competit vnitati, & ratione illius quantitati discretæ priusquam continuæ: vnde quantitas continua mensuratur per discretam. Linea enim est tricubita aut bicubita. Discreta vero adeo de se nota est: vt nemo pene eius quantitatem metiatur. Quis enim vnquam inuestigat, quanta sint decem, vel quot sunt viginti: sed frequenter rogamus quantus est is homo vel ille. Vnde ratio propria quātitatis, idest, quòd sit extensa vel diuisibilis prius actu competit cōtinuæ quam discretæ. Nam ex diuisione actuali continuæ resultat discreta: & tamen prius est quantitas continua, quam diuidatur, seu prius est diuisibilis quam diuisa. In ratione vero mensuræ discreta antecedit continuam. Secundū inferes, quòd omnis fere quātitas est mensura imperfecta. Haud (inquam) ita certa, quin per alterum quanta ipsa sit, innotescat. Tertio sequitur rationē mensuræ non sic esse proprietatem quātitatis, vt risibile: & admiratiuū hominis, quandoquidem principalius vnitati conuenit, quæ nō est quantitas, sed eius principium. Ac demum quinto rationem mensuræ quātitati analogam esse: non modo quòd prius vnitati, & posterius quantitati: illi perfecte, huic aliquatenus imperfecte: verum quòd inter ipsas quantitates, prius dicitur de discreta, quam de continua. His de mensura quantitatis paucis expositis aduertito, q̄ analogia proportionalitatis assumta dicitur mēsura in alys generibus, quod in illis perfectissimum & simplissimum est. Quoniam cum mēsura sit ratio innotescēdi ad per quod in quouis genere perfectio cæterorum quanta sit, patescit: nure optimo illorū mensura nuncupatur. Ad quod officium exercendum apta est perfectissima singulorum generum species, vt in animali homo, in colore albedo. Quoniam quanto reliquæ his appropiāt: tanto perfectiores esse cognoscuntur. Semper quidem mensura est quantitatis: sed quātitas est duplex, alia mollis (vt dicunt) alia virtutis siue essentialis siue accidētalis. Et sicut quātitas mollis, idest, corporis proprie quantitas est, ita mensura proprie est dumtaxat in genere quātitatis. Quantitas vero virtutis similitudine quantitas appellatur, eodemq; gradu illius mensura altera species ponitur. Igitur argumenti quarti antecedenti concesso negatur consequentia: quia non est definitio quidditatiua, sed descriptiua. At nonnulli arbitrantur propter hanc obiectionem Aristotilem non ex definitione quantitatis prædicamentum præsens inchoasse, sed ex diuisione, ratum mensuræ naturam analogice quantitati in genere sumptæ competere. Primæ confirmationi dicito esse proprietatem quandā, quatenus ex quantitatis principio dimanat. Secundæ confirmationi & satis incōmēto diximus & adhuc dicemus. Sed replicatur: si hic quantitas in prædicamento secundū quòd est mensura,

coloca

collocatur, & vt sic non est vniuocum: sequitur non esse genus: & per consequens vel non reponi, vel æquiuocum in prædicamento poni. Dicito ꝙ quantitas & qualibet res ponitur in proprio prædicamento secundum suam naturam: non secundum proprietatem aliquam. Vnde quātitas non collocatur hic secundum quòd est mensura, vel proportionabilis: sed secundum quòd est extensio, vel diuisio: & ita ponitur vniuocum, & genus. sed in hoc genere dialectici non tam considerant essentiam illius, quam proprietatem. Haud ideo tamen secundum hanc proprietatem in prædicamento collocatur. Imo vniuersaliter dialectici in naturis prædicamentalibus principaliter ordinem prædicandi, atq; subyciēdi meditantur: quæ est ratio naturis admodum, accidētalis, & extrinseca: sed non propterea species & genera secundum accidens in prædicamento reponuntur. Nam longe aliud est in natura collocata aliquam rationem propriam considerari, & aliud secundum similem rationem, in prædicamento collocari. Collocantur enim secundū suas entitates reales: consideratur tamē in illis ordo, dispositioq; rationis.

¶ CIRCA *quintum argumentum natura continui referanda est. Quod sicut est vnum numero. Ita omnes partes maxime quantitatiuæ (de quibus hic sermo habetur) non tantum cōponūt vnum, sed sunt ipsum. Vnde nō sunt actu plura: sed potentia. Quia possunt scilicet, ex vno continuo multa fieri: vt pote si in duas vel quatuor partes scindatur. Haud tamen actu iam plura facta sunt, quia nondum diuisio exercita est. Et ita quantum non est diuisum sed diuisibile. Itaq; partes sunt in potentia. Quod est quālibet posse seorsum ab toto seiunctam exsistere, suūq; esse habere. In toto namq; quam diu permanent, idē esse (quod totum) habent. Vnde vniuersa quidem sunt actu partes, idest, actu componentes, & in toto: tū sunt in potentia. Quoniam esse actu partem continui, est non esse actu per se. Nam esse in actu est in se iam seiūctam ab toto illam partem exsistere, vt euenit quādo abscinditur. Quo circa partes continui realiter non copulantur vno termino communi: sed secundum rationē. Nam realiter copulantur, quæ sunt entitates distinctæ. Realiter quidem continuantur, & continuari est idem, prorsus esse, copulatio vero multo minus est quam continuatio. Ea copulantur realiter, quæ cum sint duo vel plura, realiter vniuntur, vel sunt contigua. At partes continui non vniuntur: sed sunt penitus idem: sed dicū tur copulari, quatenus nos duas, vel plures partes continui sumimus, ac si per se exsisterent: & ad integrandum totum coniungerentur: re aūt ipsa non copulantur. Ideo sicut partes sunt in potentia, & copulatio est solum secundum rationem: ita necesse est, intelligi punctum esse continuatiuū seu copulatiuum, scilicet secundum rationem. Quo circa sicut non est inconueniens, infinitas partes continui esse: quia sunt in potentia: ita nec infinita puncta. Partes vero esse innumeras intelligitur, si diuisio per partes proportionales procedat, non dari tot, quin plures & partes, & puncta dari queāt. In linea quidē duo puncta sunt actu initiatiuum & terminatiuum: at in potentia absq; numero continuatiua.*

¶ PRO SOLVTIONE *sexti aduertito: ꝙ quantitas discreta componitur ex indiuisibilibus scilicet ex vnitatibus: continua vero & si indiuisibilia habeat, non constat ex illis (vt illico patebit) sed opus est, nosse, quid sit hæc vnitas, & quomodo indiuisibilis: quod exemplo manifestissime constabit. Dicimus enim decem ligna: quæ quidē diuiduntur in singula: quorum quodlibet est vnū. Vnde huius denary vnitates sunt ipsa ligna: & tamen lignum (vt pote continuū) diuisibile est: non tamen diuisione discreta, sed cōtinui, scilicet in partes cōtinuas. Hæc est enim diuisio continui. Itaq; vnitates eo pacto indiuisibiles sunt quo numero diuisibilis est: sane in alias vnitates. Nam materialiter vnaquæq, sumta potest diuidi: cum materialiter vnitas sumta sit vniuscuiusq; continui (quod annumeratur) quantitas. Itaq; vnitas non vndequaq, indiuisibilis est. sed tali dumtaxat genere diuisionis quo circa differunt vnitas & punctum. Quòd licet ambo sint principia quātitatis, altera discreta, alterum continuæ: punctum & instans omnino est indiuisibile, & materialiter & formaliter: vnitas vero huius prædicamenti materialiter capta, & quanta est, & extensa: sed est indiuisibilis diuisione discreta. Ob id multa puncta simul sumta non possunt reddere extensum, aut quantum continū, quoniam penitus sunt indiuisibilia. Secundo considerato, quòd partes continui sunt infinitæ in potentia: discretæ vero sunt.*

sunt limitatæ, & certa. Vnde diuisio numeri quomodolibet procedat tandem finitur: quia partes eius sunt discretæ, vt sexdecim, in octo, & octo: octo, in quatuor, & quatuor: quaternarius in duo, & duo: binarius in vnum & vnum: vltra vero non pertransitur. Continui vero diuisio per partes proportionales terminari non potest. Vnde postulat necessario componi ex diuisibilibus. Quoniam si diuisio ipsius non sistit, necesse est, diuidatur semper in adhuc diuisibilia. Quantitas vero discreta è contra postulat componi ex indiuisibilibus vt sic. Alias enim nõ posset eius diuisio terminari. Nam omnis hæc diuisio est in partes. Vnde si partes numeri forent diuisibiles, & non indiuisibiles, eius partitio non finiretur. Quam diu enim ad indiuisibilia nõ peruenitur diuisio potest procedere. Vnde est aduertendum: quòd omnis numerus in mediate & de per se cõponitur ex singulis vnitatibus, nõ ex medijs numeris. Vnde numerus definitur, quòd sit multitudo vnitatũ seu aggregatio. Vnde Arist. 5. meth. textu. 19. sex (inquit) non bis tres sunt, sed semel sex: & octo ex octo vnitatibus, non ex bis quatuor, aut ex duobus quaternarijs constat. Numero enim de per accidens est habere, aliam partẽ aliquo tam præter vnitatem. Plurimi enim hãc tantummodo habent. Ad argumentum ergo patet respondendum necessario discretam ex indiuisibilibus componi, regulam vero Arist. intelligi de continua.

¶ PRO CONFIRMATIONIS DILVCIDATIONE *considerato, quòd omnis numerus est multitudo vnitatũ, ex illisq; compactus: sed duplex est vnitas: trancedentalis (quæ conuertitur cum ente) & prædicamentalis, quæ peculiariter appellatur principium numeri. Vnde & duplex est numerus transcẽdentalis & quantitatiuus. Primus per omnia prædicamenta dispersus est. Computamus enim in singulis species & genera. Talis numerus computat naturas. Qui ideo in substantijs immaterialibus reperitur. In deo sunt tres personæ & vna essentia: & angelorũ ei millia millium ministrant: & dicies centena millia assistunt. Inter hos numeros est discrimẽ: quòd huius prædicamenti de per se est q̃atitas transcedentalis minime. Ille enim est diuisio, & diuisibilis per suas vnitates: vt decem homines, viginti populi diuiduntur in singulos: transcendentales vnitates inutiliter componunt numerum. Quia similis numerus vt decẽ naturæ inaniter diuiditur in singulas Naturis enim etentibus alius est modus diuidendi per diuisiones scilicet formales. Deinde numerus ille est mensura & ratio cognoscendi, transcendentalis nequaquam. Nam de naturis quid cognoscitur ex quo decem aut viginti esse dicitur? nihil. Vt pote quæ non per suas vnitates: sed per suas entitates cognoscuntur. Vnaquæq; per suam definitionem & naturalia. Imo cum duplex sit quantitas molis, & perfectionis: adhuc nec perfectionis quantitas (quæ in entibus reperitur) per vnitates seu numerum detegitur. Per hoc enim quòd leonem esse alteram naturam affirmo, nullam quantitatem ipsius perfectionis intelligo. Alia enim (vt diximus) mensura est similem quantitatem cognoscendi: nempe præstantissima perfectissimaq; in singulis generibus species. Numerus vero quantitatis est mensura cognoscendi multitudinem indiuiduorum. Sicut enim ex vnitatibus materialibus constat: ita computat indiuidua, quæ per numerum cognoscuntur. Vnde merito species quantitatis ponitur, & absolute numerus nuncupatur. Cuius principium est vnitas. Vnde recte id discriminis inter vnitatẽ trãscendentalem, & hanc prædicamentalem assignatur: quòd hæc est principium numeri, illa nõ: huic maxime ratio mensuræ competit: illi vero minime. Nihil enim mensurat vnum additum enti. Igitur patet quid confirmationi docendum.*

¶ AD SEPTIMVM *argumentũ respondeto quod locus addit super superficiẽ respectum, & habitudinem ad locatum, & ad multa alia (vt post dicemus) superficies vero est materia loci, vnde locus est vnus, si habitudinem dicit ad vnũ locatum: Et ita duo corpora non possunt esse in vno adæquato loco, sed in duobus: Et sicut omne corpus est continuum, merito locus quantitas cõtinua ponitur. Vnde superficierum multitudo distinguet quidem aut multiplicabit superficies secundum quòd est accidens corporis continentis, & species distincta ab linea & corpore: non tamen multiplicabit locum.*

¶ PRO SOLVTIONE *octaui notandum: non oportere motus contrarios esse in terminos simpliciter contrarios: satest, sint vtcunq; cõtrarij, & incompossibiles. Nam generatio, & corruptio sunt mutationes contrariæ termini*

autem

autē contradictorij.s.esse,non esse. Et excæcatio & illuminatio sunt contrarij motus & tū termini opponuntur priuatiuè. s.visus & cæcitas. Vnde augmentatio, & diminutio tendunt ad quantitatem oppositis relationibus substractā: & ita aliquo modo termini opponuntur relatiuè. Vnde Aristo.in libris de anima dicit:quòd termini augmenti & decrementi magis sunt relationes oppositæ, quam quantitas. Scilicet maior & minor quantitas.De quo in prædicamento relationis,differemus.Ad confirmationem dicendum:quòd quantitas augetur, & diminuitur. Præterea est maior & minor: & res secundum eam maiores,vel minores. Suscipere autem magis est intendi: quod quantitati non competit. Sed de curuo dicendum quòd illa loqutio non est neganda:vt pote ab omnibus suscepta,licet sit in tota materia quantitatis singularis.Sed magis hic,idem est,quod plus & perfectius. Sic dicimus magis rotundum, magis quadratum,idest,perfectius. Hæc autem perfectio non est intentio:sed potius delineatio.

Caput septimum de ad aliquid. Textus. I.



D aliquid ea sunt quorū esse est ad aliud: vel quorū id quod sunt ad aliud sunt, vt pater, & filius, magister, & discipulus. Esse enim patris, vt sic, est ad filium, videlicet habere filium: & discipulum esse est ad magistrū. Sed sunt quædam reuera nō relatiua, quæ relatiua apparent: quoniam nisi in ordine ad aliud, non explicantur nec exacte intelliguntur. Et ita duplex relatiuum solet distingui scilicet secundū esse (quæ ad aliquid sunt) & secundum dici. Entitates sane absolutæ: quæ respiciunt tamen aliud, vt potentia respicit obiectum, & scientia scibile. Sed hæc distinctio non est generis, sed analoga. Nec hæ entitates in hoc prædicamento collocantur. Alias omnia hic reponentur. Omne enim accidens respicit substantiam, & in ordine ad illam explicatur.

Tex. 2. Sed ad aliquid ha-*bet hoc peculiare:quòd tale secundum rationē, absolute tale est,vt genus,& species,quæ secundum rationem relatiua sunt,absolute & complete relatiua sunt.Quod quidem in alijs prædicamentis non offendimus.Vt quantitas rationis sane vt vniuersalitas propositionis,nec est simpliciter quantitas,nec actio rationis vt quiesco, sto,non est absolute actio.Vnde specialiter distinguitur ad aliquid,in ad aliquid reale, & rationis.Cum reuera de relationibus realibus dumtaxat hic agamus:de quibus tantummodo definitio intelligitur.Siquidem præsens prædicamētum, membrum est entis realis. Sed ad aliquid reale est duplex,mutuum & non mutuum. Illa relatio est,quæ in vtroq; extremo realis est: vt duplum,& subduplum:maius & minus:omnes demum,quæ fundantur in quantitate:& pleræq; actionibus & passioni innixæ, vt caussa & effectus,nec non & qualitati,vt simili. Nō mutua,quæ in altero extremo realis est: in altero rationis:vt creatura quæ est realiter ad creatorem:at creator non refertur nisi secundum rationis:& dextrum,vel sinixtrum cū de homine,*

&

& columna dicitur. In homine est relatio realis, quia habet dextram & sinistram, in marmore est rationis. Rursus realis alia est æquiparentiæ, alia disquiparentiæ. Illa est cum vtraq; eodē nomine in specie nūcupatur: vt æquale æquali est æquale & simile simili. Disquiparantiæ vero, quæ distinctam nomenclaturam sortiuntur: vt totū & pars, mensura & mensuratum.

Tex. 3. Relatiuum autem nō

habet cōtrariū: tātum relatiue opponitur suo correlatiuo: sicut duplum & subduplum. Contrariorum enim vnum expellit aliud, nec secum illud compatitur; relatiua vero simul habet idem, & sunt in eodem. Vt idem est pater & filius, magister & discipulus. Secundo vnum contrariorū non pendet ex alio: alterum vero correlatiuorū ex alio velut ex termino pendet. Nec magis & minus ratione sui suscipere videtur: sed ratione tantummodo fundamenti. Proprium tamen illorum est dici ad conuertentiam: vt herus serui herus, & seruus heri seruus. Ad quam conditionem obseruandam impendio quam maxime opus est, recte correlatiuum aßignetur. Quia recte aßignatum semper ad conuertentiam dicetur, non recte nominatum, non dicetur. Vt si seruo aßignatur dominus, non mutuo verificatur. Seruus domini est seruus: at dominus nō serui est dominus: quoniam & domus potest domini esse. Adæquatum est herus: quæ proinde ad conuertentiam dicuntur. Quo circa si nomen non fuerit proprium correlatiuo impositum: necesse est denuo imponatur.

Tex. 4. Præterea relatiua

sunt simul natura. Posito vno ponitur alterū & similiter ablato aufertur & in re ipsa, & in illatione. Quinimo & intelligentia perfecta si quis nouit vnum relatiuum nosset & aliud. Hoc autem opportet intelligatur de relatiuis formaliter, vt caussa & effectus. Quamquam enim, quod caussa est, antecedit effectum: illud tamen non erit antea caußa: quam iste sit effectus.

¶ COMMENTVM.



ERTIVM PRAEDICAMENTUM & tertia entis pars cōputatur relatio: entitates quadā adeo paruæ, vt omnium minimæ secundum commentatorem iudicentur, & tamen plurimæ vt potequæ & citißime pullulant, & euanescunt. Ad quas proinde discernēdas ob sui subtilitatem, atq; tenuitatem magno ingenij acumine opus est. Vnde frequenter iudicatur relatio (vt in processu patebit) quæ minime relatio est. Hæc relationis paruitas, atq; tenuitas exigit etiā (vt melius rem intelligamus) nominibus concretis non abstractis vtamur. Vt non tam quid sit paternitas, quam quid pater, non quid magisteriū, sed quid magister discußiamus. Enimuero maioris entitatis concreta sunt. Vnde prædicamentum sub nomine ad aliquid constituitur non relationis. Nam tria sunt in patre, primum ipsum animal pater appellatum, secundum ipsa paternitas (qua pater est) tertium comparatio actualis, qua patrem filio refero. Ex his tribus nomen relatio significat secundum absolute & tertium: sed ly ad aliquid in concreto animal prout habet paternitatem: sicut ly album corpus habens albedinem. Ad aliquid ergo ea sunt quorū esse est ad aliud. Quorum id quod sunt, aliorum sunt. Pro cuius intelligentia aduerte discrimen inter accidentia aliorum prædicamentorum & huius. Quòd cū omnia denominent substantiam, eiusq; formæ accidentales sint: alia tribuunt esse, & denominationem subiecto in se ipso: cum quo proinde vtcumq; componunt. Vt quantum & sibi ipsi, & in se ipso quantum est, idem & album, & potens, & patiens. Itaq; quod secundum has formas subiectum est, sui est (vt ita loquar) sed esse & denominatio, quam pater habet ab paternitate, est ad aliud. Patrem enim esse non est habere in se aliquid, sicut album esse: sed habere filium: & (hoc est dictu) id quod sunt ad aliud sunt. Huiusmodi sunt herus & seruus, creatura & creator, duplum, & subduplum, totum & pars, maius & minus. At sunt quædam reuera habitudinē ad aliud habentia: non tamen relatiua: & si videantur esse. Quæ iam diu oēs relatiua secundū dici appellant (idest) quæ non sunt quidem ad aliud: sed in se ipsa sunt: non tamen id quod sunt exprimi, aut definiri potest, nisi per aliud. Vt potentia, habitus, & actus, quæ ordine quodā respiciunt obiectum. Quorum nullum etiam quispiam definire, aut exacte explicare potest, nisi per aliud: saltem in specie. Visus est potentia, qua colores cernantur: tactus qua primæ qualitates perci-

percipiãtur: intellectus est entis praeceptiuus: voluntas bonitatis. Imo & in communi potentia est, qua quis aliquid agere, vel pati potest. Talia sunt fere omnia praedicamenta accidẽtium. Vt pote quae sicut reipsa ab substantia dependent: ita habitudinem cum illa, quemdamq; nexum habent (sine quo explicari non queunt) & inter se mutuo. Vt agens ad patiens: vbi ad locũ: quando ad tempus (vt post modum patebit) quae sunt tamen entitates absolutae, non relatiuae. Potentia qualitas tertiae speciei, principium operãdi: habitus species prima ordinans respectu sui subiectum. At ad aliquid totũ esse est ad aliud. Vt pater est ad filium, non sibi ipsi pater est. Sicut potens sibi ipsi quispiam est per potentiam, & virtutem sibi haerentem absq; alicuius exterioris exigentia. Nec potens est ad aliud: sed potens aliud. Et habitus non est ad obiectum, sed obiecti. Sed quoniam & si multum intersit, nõ nihilum hae qualitates cum relatiuis assimilantur: ex quo in eorũ explicatione aliquid extrinsecum inseritur, omnia promiscue absq; distinctione antiqui relatiua nominabant: & eam descriptionem relatiuis assignabant: vt vtraq; vnã complecteretur. Scilicet ad aliquid ea dicuntur, quaecumq; hoc ipsum, quod sunt, aliorum esse dicuntur, aut ad aliud quouis modo aliter se habere. Et quidem si relatiuo satest quomodolibet ad aliud se habere, nihil est in rerum vniuersitate, quòd non ad aliud habitudinem quampiam habeat. Quinimo & pleraq, videntur sicut vera relatiua, ad conuertentiam dici. Vt caput ad capitatum: & albedo alicuius albi albedo est: & album aliqua albedine album: & humanitas alicuius hominis humanitas & homo aliqua humanitate homo est. Sed constat euidẽter, haec esse substantiam, entitatesq; absolutas: non quoquo pacto ad aliud. Imo nec dici proprie ad conuertentiam. Quia non dicuntur alterius velut sibi correlatiui, sed velut subiecti, aut obiecti aut totius, aut partis, aut suppositi, aut naturae (vt in exemplis praefatis intueri licet) quo circa nec, sunt vera relatiua, nec definitio relatiuorum danda est per dici quomodolibet aliter ad aliud. sed per esse ad aliud, velut ad terminum. Nec in hoc praedicamento collocantur nisi relatiua secundum esse, idest, quae re, & natura ad aliquid sunt. Hoc enim illa particula explicat secũdum esse. Vt homo secundum esse est verus homo: secundum dici vero explicat esse nomine tenus: vt effigies cum homo nuncupatur. Vnde Aristo statuens in huius capitis exordio descriptionem. Ad aliquid antiquorum, & longo sermone explicans quasi ipsa explicatione eam falsitatis, & absurditatis conuincisset: in finem hanc bonam definitionem ad aliquid inseruit: quam nos in principio caeteris omissis statuimus.

¶ RVRSVS *tamen notandum ad aliquid esse duplex, aliud reale, aliud rationis. Sunt quedam absolute relatiua: non habentia tamen esse nisi operatione rationis: vt genus, species, & caeterae secundae intentiones tãm logicales: quam aliarũ artium rationalium, cum alijs non paucis: aliae vere reales. Qua de re alius error contrarius relato inter sciolos olim ortus fuit, vt omnes relationes censerent esse rationis. Priores opinabantur omnia esse relatiua: hi nulla de se, sed operatione intellectus vnum ad alterum referentis. sed media, ac regia via incedendum est. Vt & multa relatiua realia, & plurima esse rationis fateamur. Sed hoc probatur euidẽter. Inter duo vel plura frequenter est ordo, & dependentia de se, omni cognitione seclusa: ordo autem, & dependentia sunt relationes: ergo reales. Maiorem probant S. Tho. & Auicena in concentu & dispositione partium vniuersi: cuius praestantior perfectio, & decor delectabilior est ordo, & colligatio partium: quo inferiores loco & virtute superioribus subyciuntur, caelum est superius, terra ima, caeli rori, atq; influentiae subiecta. Cõpositio pariter partium in toto naturali. Herus, & seruus, & omnino dominus ad realem possessionem vt praedium relatos. Constat quòd intellectus, & si magna delectatione vniuersum contemplatus fruatur, quae ex pulcritudine ordinis prospecti suscipitur, nullatenus ordinem ipse efficit, aut fingit sed à natura indictum admiratur. Igitur reales relationes sunt quã plurimae. At genus, & species relationes rationis: nimirũ, quòd res non sunt de se tales, sed actione intellectus tales constituuntur. Ex quo nonum argumẽtum ad detegendas reales habitudines colligitur. Nam si ideo illae sunt rationis, quòd extrema ratione fiunt: cum pater & filius absq; intellectus negotio ipsa natura sint, duplum & subduplum: patet esse reales. Quae relationes reales duo postulant: nempe esse inter entia realia: & realiter distincta. Etenim relatio est vnius*

ad al-

ad alterũ, exigitq; plura. Et ita relatio solet species multitudinis censeri, id est, plura ponens & multitudinẽ exigẽs. Ergo realis erit inter plura omnino realiter, Quæ sint (inquam) ambo realia, & realiter ambo, id est duo, aut plura. Vnde idem ad se ipsum (quomodolibet ratione consideretur) non refertur vnquam, nisi ratione. Haud dico ego has conditiones ad quamlibet relationem realem sufficere: sed ad omnes & singulas requiri. Quarum quauis defficiat, si relatio est, rationis est. Triplex ergo in genere potest & ratione extremorum relatio rationis consurgere. Nempe, aut quando extrema sunt entia rationis: vel quod in præsenti idem habetur, non existentia. Vt adam est prior Antichristo, vel cum alterum exsistit: alterum, non. Sicut inter ens, & non ens: vt præsens antecedit futurum: distinguntur ratione. Distinctio ergo hæc (quæ & relatio est) relatio dumtaxat rationis est: & quãdo sunt entia realia, non duo tamen, sed ambo vnum, vt identitas eiusdem ad seipsum. Et attributa diuina. Omnia, & singula sunt id quod deus: sed quia deus vnus est, attributa idem sunt: vt iustitia & sapientia.

¶ VTRAQVE autem relatio & realis, & rationis est secundum esse, nec in ratione formali communi differunt. Nam formalis ratio est esse ad aliud abstrahens ab entitate reali, vel rationis: & tamen ambo relatiua sunt absolute ad aliud: sed alterum est entitas rationis, alterum realis. Vnde quia nos in prædicamentis de ente reali tractamus: definitio præfata intelligitur in hunc modum de reali. Ad aliquid reale ea sunt quorum esse est ad aliud ex natura rei. Quod quidem (vt in textu illico subiungitur) est duplex: mutuum, & non mutuum. Primum est cum ex vtroq; extremo est relatio realis: vt pater & filius, vicinus, & amicus, magister, discipulus. Non mutua, quando ex altero extremo est realis: ex altero rationis: vt creator, & creatura. Hæc enim realiter dependet ab illo: is vero non realiter est ad creaturam) sed intelligitur esse ad illam. Enimuero nulla entitas ex vniuersi productione, quem potenter, sapienterq; construxit, creatori accreuit. Sed in his relatiuis intelligendis primo aduerto: non dici, non mutuum, quasi vtrũq; extremum non sit relatiuum, vel nõ referatur, & creatura enim refertur ad creatorem, & è cõuerso. Sed in hoc potius, quòd creatio in creatura est realis dependentia, & habitudo ad suum conditorem: deus vero non realiter ordinatur ad creaturam. Sed denominatio est rationis sumta, vel ab relatione reali alterius extremi, vel ab ea quæ formaliter intelligitur in creatore. Qua eo manifestantur vera: quòd si alterius extremi relatio realis est: esse eius est ad aliud: sed hoc aliud est terminus, & correlatiuum: ergo alterum pariter, id est, illud aliud est relatiuũ. Secũdo radices huius disparitatis sunt, quòd nõnunquam per quod relatiua sunt, est in ambobus terminis) & propterea vocantur eiusdem ordinis) quandoq; solummodo in altero est: & tunc sunt diuersi ordinis & non mutua. Omnia, quæ secundum quantitatem relatiua sunt, mutua sunt, & eiusdem ordinis: quoniam quantitas fundamentum relationis ambobus extremis hæret, vt duplum, & subduplum, æquale et inæquale. Omnis etiam proportio & habitudo quantitatis continua & discreta (quas Arithmeticus & geometra versant) est mutua: & omnes fere relationes in actione & passione fundatæ. Siquidem effectus realis semper dependet ab caussa, & omnis caussa mouens mota, agensq; per motum ordinatur vtcumq; in suum effectũ. Ipse enim eius motus indicat, quòd ex se vel ab superiori agenti ordinatur ad effectum producẽdum: quod nõ est rationi absonum: cum ex effectus efficiẽtia in similibus reperiamus inductiue aliquid perfectionis caussæ prouenire. Vnde caussa naturalis saltem agens per motum & effectus sunt semper mutua relatiua. Quo circa superiora agentia vt cœli & cælorum motores (quos angelos appellamus) realiter ad inferiores effectus referuntur, ad quos producendos ab prima caussa mouentur & pariter ordinãtur. Omnis quoq; ars & caußa artificialis ad effectum realiter est. Vti pictor ad imaginem: & architectus ad domum. Sed sunt quædam relatiua extra illud genus prorpsus (quod est fundamentum relationis) vt sensatio, cognitio, amor sunt rationes, quibus hæ potentiæ ad obiecta referũtur: quæ tamen rationes vel caussæ nullatenus tangũt ipsum sensibile, intellegibile, vel amabile, & ideo licet potentiæ, & habitus dicant realẽ habitudinem ad obiecta: è contra obiecta tãtũ referuntur ad potentias ratione. Quia in se nõ habent vllo modo re vera illam rationem, qua potentiæ ad illa referebantur, nimirũ actiones.

Obie-

Obiecta etiam agũt non mota, & multo minus ordinata. Non enim color ordinatur vt visu percipiatur, idẽ dicito similiter de imagine, & eius exemplari. Imago realiter ordinatur in exemplar: hoc aũt secundum rationem, quia est extra genus repræsentationis. De qua re (quoniã subtilißima est, pariter & vtilißima) libuit verba ipsa etiam doctoris sancti referre: quibus eandẽ veritatem docet. Agentia (inquit) siue mouẽtia, vel etiam causa aliquando habẽt ad patientia, vel mota ordinem. In quantũ scilicet in ipso effectu, vel paßione, vel motu inductis attenditur quodam bonũ & perfectio mouentis. Sicut maxime patet in agentibus vniuocis, quæ per actionem similitudinem suæ speciei inducunt, & per consequens esse perpetuum sue speciei (secũdum quod est poßibile) conseruant. Patet hoc ipsum in omnibus quæ mota mouent, vel caussant. Nã ex ipso suo motu ordinãtur ad effectus producẽdos, & similiter in omnibus, in quib9 quodcũq; bonũ caussæ prouenit ex effectu. Sed alia sunt ad quæ alia ordinatur nõ è conuerso. Vt sciẽs per actũ intellegibilẽ ordinẽ habet ad scibile: sed ipsa res scibilis, quæ est extra animã, omnino nõ atingitur ab tali actu: cũ actus intellectus nõ sit transiẽs in exteriorẽ materiã, & ideo ipsa res est extra gen9 intellegibile. Propter quod relatio) quæ cõsequitur actũ intellectus) nõ potest in ea esse. Similis ratio est de sensu & sensibili. Licet enim sensibile immutet organum sensus in sua actione, & propter hoc habeat relationem sicut alia agentia naturalia ad ea, quæ patiuntur ab eis, alteratio tamen organi non perficit sensum, sed perficitur per ipsam sensationẽ, cui9 sensibile obiectũ omnino est expers. Homo etiã est extra genus artificialiũ per quas sibi imago cõstituitur. Et ideo nec homo habet relationẽ realẽ ad suam imaginẽ. Deus aũt nõ agit per actionẽ mediã, quæ intelligatur ab deo procedẽs, & in creatura terminata, sed sua actio est sua substãtia, & quicquid in ea est, omnino est extra genus esse creati: per quod creatura refertur ad deũ. Hæc ille. Vnde colligitur quòd (quãdo fundamẽtũ relationis nõ cõpetit realiter alicui extremo) tale extremum nõ refertur realiter, sed ratione, quod est quã cõsonãtißimũ rationi. Quia relatio (vt mox videbimus) necessario præsupponit fundamẽtũ Et in solutione ad primũ, quod huic maiori adnitebatur, quòd mouẽs refertur realiter ad motũ, vt & philosophus .5. methaphisicæ asserit. Idem doctor sanctus respõdet. Quod agẽs naturale agit actione media, quæ est inter mouẽs & motũ. Vnde oportet saltem in hoc medio cõueniãt: & sic agẽs in quantũ agens, non est extraneum ab genere patiẽtis, in quantũ patiẽs. Et ita vtriusq; est realis ordo vnius ad alterũ, præcipue cũ ipsa actio media sit perfectio propria agẽtis, & per cõsequẽs id (ad quod terminatur actio) est bonũ eius. Igitur relatio est duplex mutua, & non mutua.

¶ CVIVS distinctionis ocasione ratione fundamenti tripartita est iterũ relatio. Ala enim fundatur in quantitate, alia in actione, & paßione, alia in qualitate. Nã cũ relatio sit adeo minime entitatis nõ modo subiectũ postulat, cui hæreat, vt cætera accidẽtia: sed fundamẽtũ quoq; ad sui consistentiã exigit, id est, caußã: cuius ratione in subiecto pullulet. Præsupponẽdum est cũ Aristo. 5. phisicorũ quòd ad relationẽ non est per se motus: nec quispiã mouetur, vt ad aliud referatur, sed vt in se ipso, vel sibi ipsi quicquam boni lucretur: quo cõsequto forte fortuna restat alteri similis, vel æqualis. Vt crescens suo augmento alteri redditur æqualis: augmentatio tamen nõ ad æqualitatẽ tẽdebat, sed ad maiorem quãtitatẽ: qua adepta resultat æqualis: qualis antea minor nõ erat. Hæc ergo caussa cõsurgendi relationem est triplex. s. quantitas, quæ innumeras (vt dudũ exponebamus) fundat relationes & actio & paßio, & qualitas. Cuius loco Arist. mensuram posuit & mensuratum: quod in quæstione ventilabimus.

¶ RVRSVS quadã relatiua sunt equiparãtiæ, aliæ disquiparantiæ. Prima sunt cuius vtriusq; extremi idẽ est nomẽ, vt æqualitas, similitudo, amicitia, vicinitas, propinquitas. Sed licet per nomen definiantur: nominis tñ idẽtitas, & in re atq; natura æquiparare indicat. Nomẽ enim significat naturã, et ita ambo extrema sunt æqualis perfectionis, & stat9 in illis. In disquiparãtiæ vero relatiuis nominis diuersitatẽ perfectionis quoq;, & dignitatis disparitas cõcomitatur. Magister enim excelentiã dicit, discipulus subiectionẽ. Idem habent herus, & seruus, pater, & filius, subditus, & perlatus. Hæc distinctio nõ est alicuius mẽbri præcedentis partitionis. Quia, & ex mutuis quædam sunt disquiparantiæ, & ex non mutuis equiparantiæ. Vt simile eum de imagine & eius exemplari dicitur.

¶RELATIVVM aũt nõ habet cõtrariũ, Hæc
eſt ſecunda pars principalis textus. Vbi proprie
tates relatiuorũ, & cõditiones exarãtur. Et pri-
mũ dicimus quid nã cõueniat: quoniã cõuenire
videbatur, præſertim cum Ariſt. aſſerat cõueni
re. Nẽpe vt haberent, eſſent ve contraria, vt iuſti
tia, & iniuſtitia. Id tamen nõ aſſerens: ſed velad
inconueniens contra definitionem antiquorum
inferens dixit. Iuſtitia enim & iniuſtitia reuera
cõtraria, nõ ſunt relatiua, ſed qualitates, Cuius
cõditionis ſeu negationis duo argumenta quaſi
ſigna ponũtur. Primam quòd in contrarys vnũ
alterũ expellit. Vt patet, tum ex definitione con-
trariorũ, tũ inductione. Sunt enim qualitates in
compatibiles. At relatiue oppoſita complete, &
perfecte ſunt & in eodem, & idem. Nã ſi quod
contrariũ habet: relatiuũ pariter erit: quia eiuſ-
dẽ generis eſſe debet (contraria enim ſub eodem
gñere maxime diſtant) imo nulli alteri relatiuũ
quodpiã opponi videtur, quã ſuo correlatiuo: cæ
teris diſparate ſe habet. Sed oppoſita relatiue ei-
dem etſi diuerſis rationibus abſolute inſunt. Idẽ
eſt magiſter, & diſcipulus, idem pater, & filius,
idẽ amicus: ergo nõ habent cõtrariũ. Secundo cũ
omne cõtrariũ excludat aliud, nullã prorſus de-
pẽdẽtiã habet ex illo: nec in eſſe, nec incognoſci.
Notitia enim vnius nõ repræſentat alterũ. Sed re
latiuũ dependet ex ſuo oppoſito quaſi ex termi-
no: definitur enim in ordine ad illud & intelligi
tur: ergo. Hic illæ rationes formari quoq; poſſũt:
quibus oſtendit philoſophus in pdicamẽto quãti
tatis magnũ, & paruũ cõtraria nõ eſſe, ſed po-
tius relatiua. Secũda cõditio negatiua eſt, ꝙ non
ſuſcipiunt magis & minus, nõ eſt vnus magis
pater, quã alius, tametſi melior pater eſſe poſſit.
Sed obijcies ſtatim, quòd vnus dicatur ſimilior,
æqualiorq; alteri. Reſpondetur dupliciter loqui
de his denominationibus vel ſtricte, vel vulgari
ter. Propria ſimilitudo fũdatur in vnitate quali
tatis, & æqualitas in vnitate quãtitatis. Sic dicit
Ariſt. ꝙ vnũ in ſubſtãtia facit idẽ (idẽtitas enim
relatio eſt) vnũ in quãtitate æquale: vnũ in qua-
litate ſimile. Et ita illa proprie ſũt æqualia (quo
rũ quãtitas eſt penitus eadem) ſicut eadem eſſe
poteſt, quæ eſt duplex & duorum indiuiduorum
ideſt, omnino eiuſdẽ mẽſura. Et ideo nõ ſuſcipiet
magis, & minus, neq; eiuſdẽ magnitudinis, vel
altitudinis, latidunis ve ſimilitudo, cũ cõſiſtat in
indiuiſibile. Si vulgariter loquimur ſuſcipiunt
magis, & minus, ſed adhuc ſolummodo ratione
fundamenti. Vt ſi alter eſt albus vt ter, alter vt
quater: vulgo aſſimilantur. Et ſi albedo prioris
paululũ intẽderetur, foret abſq; dubio ſimilior:
& ad incrementum fundamẽti creſceret ſimi-
litudo. Et è contra ſi color poſterioris tantiſper
remiteretur altero immutato, fieret quoq; ſimi-
lior. Ecce mutatione fundamẽti ſecũdũ habitudi
nẽ alterius extremi relationis: hi gradus conue-
niunt nõ ſui ratione. At qualitati ratione ſui cõ
petit ſecundũ magis minus ve dici. Sed replicas
quãtitas nõ ſuſcipit magis & minus: ergo ſi hos
gradus æqualitas ſortitur, nõ eſt cauſſa funda-
mem. Reſpondetur quòd relationi indifferens eſt
fundamẽtũ mutetur aut intentione, aut augmẽ-
to: præſertim cũ quod eſt in qualitate intẽtio, &
remiſſio, ſit in quantitate augmentatio, & dimi
nutio. Relatio tantũ exigit fundamẽtũ mutetur:
quod vero hac vel illa ſpecie motus ipſa nõ poſtu
lat: ſed poſtulat natura fundamẽti. Nempe vt ſi
fuerit qualitas, intendatur, vel remitatur. ſi ve-
ro quãtitas, augeatur, vel decreſcat. Et ideo ſem
per ratione fundamenti competit relationi: ma
gis & minus dici.

¶AT TERTIA proprietas eſt quæ poteſt,
& prima haberi (quandoquidẽ affirmatiua eſt)
relatiua dicuntur ad cõuertentiam. Vt pater eſt
filij pater, filius eſt patris filius. Quod eſt vtrum
q; relatiuum dici de ſe ipſo cum explicatione ſui
correlatiui. In qua quidem oratione cõnexio, &
dependẽtia ipſorum in genitiuo, vel datiuo alio
ve quocumq; caſu explicatur. Propter quod A-
riſt. in definitione adiecit, id quod ſunt aliorum
ſunt: quoniam ſæpe explicatur habitudo in geni
tiuo: vel quomodolibet aliter ad aliud: quia fre-
quenti in datiuo, & in acuſatiuo exprimitur.
Vt vicinus vicino eſt vicinus. Non apte dicere-
mus vicini vicinus, & amicus amico amicus:
dexter vero, & ſiniſter videntur acuſatiuo in-
digere cum præpoſitione ad. Ex quo ſequitur,
quòd dici ad conuertentiam non poſtulat illatio
nem, vel quod firmetur argumentum. Vnde nõ
eſt mutua conſequentia. Nam mutua cõſequen-
tia latius patet quam inter relatiua. Cum inter
ſpeciẽ, & differentiã, & propriã paſſionẽ ſit mu
tua illatio. Nec eſt conuertentia conuerſio propo
ſitionum (de qua in ſumulis agebamus) ſed pecu
liaris conditio forſan relatiuorum.

¶VLTIMA adæquataq; proprietas relatiuo
rum

rum est esse simul natura: vt posito vno ponatur & alterū, & ablato auferatur. Et quia de prioritate & simultate naturæ adamusim in post prædicamentis mox sumus acturi, rudi minerua supponatur simultatem nature postulare, vt nullo modo alterum antecedat alterum. Vt magister nemo fuit vllatenus antea quam alter est discipulus. Vnde necesse est proprietas formaliter intelligatur. Nēpe relatiua vt sic esse simul natura. Siquidem subiectorum relationum frequentißime vnum est prius altero: vt persona, quæ pater est, multo antea natus est: quam gigneret filium: at non fuit illa persona pater, prius quam is foret filius.

Vtrum textus ad aliquid sit verus.

PRO PARTE NEgatiua arguitur. *Definitio hæc multis alijs rebus cōpetit, quæ nō sunt huius p̄dicamēti: ergo. Antecedēs patet tū relationibus, quas vocant trāscendentales, vt rerū distinctio: quæ omnia, & singula consequitur (vnumquodq; enim est in se indiuisum, & diuisum ab quolibet alio) & omnis oppositio est etiam ad aliud. Dispositio pariter partium est ad aliquid. Quæ tū ad hoc prædicamentum non spectāt: sed ad prædicamentum situs, vel quantitatis. Secundo relatiua secundum dici dicunt veras relationes: ergo non possunt excludi ab hoc prædicamēto. Antecedēs cōstat: primo auctoritate S. Tho. dicentis relatiuum secundum dici esse, quādo nomē non significat relationem, sed rem absolutam, quā consequitur relatio: ergo quāquā illo nomine nō exprimatur, habitudo relatiui secundū dici: vera relatio est. Deinde inductione. Potētia realem habitudinē & dependentiam habet ab obiecto & habitus ab actu: ergo licet secūdū hæc nomina hic nō ponantur, ponētur sub his nominibus habitudo, & relatio. Tertio Arist. in. 5. methaphisicæ distinguit relationē penes fūdamēta in tres classes, vt quadā fundēur in quātitate, alia in actione & paßione, alia in ratione mensure, & mensurati: nulla in qualitate: ergo. Confirmatur nemo inficias ibit mēsurā & mensuratum relatiua esse realia & tū nullo horū membrorū (quæ in textu ingerūtur) cōtinētur: ergo. Quarto cōtra distinctionē primā. Relatio non mutua ex altera parte est realis: ergo debet habere extremū reale, vt creatura, & creator (quia entis ad nō ens non est relatio realis) sed extremū esset alterum correlatiuū: ergo ambo correlatiua sunt realia, & per consequēs nulla sunt non mutua. Cōfirmatur totū & pars sunt relationes mutuæ (vt omnes vnanimiter affirmāt) & tū ex altera parte est relatio rationis. Prob. partes nō sunt entia in actu, sed totū: ergo non possunt dicere relationes actu. Quia quod est in potentia, non refertur actu: maxime quòd idem est esse in potētia & nō esse. Quinto caput & capitatū, ala, alatū, & similia dicuntur ad conuertētiā: & tū nō sunt relatiua, sed partes substantiales vel integrales: ergo. Sexto in secundā proprietatē. Simile, & dissimile, amicitia, & inimicitia, æquale, & inæquale opponuntur, & non nisi cōtrarie: quia nec cōtradictorie, neq; priuatiuè, nec relatiuè (enimuero relatiuè opponuntur, quæ sunt correlatiua) qualia hæc minime censentur. Vltimo in postremā proprietatē relatiua non mutua non sunt simul: sed sciētia est prior scibili: vt cū scitur quod nō est. s. rosa in hieme; & ē contra scibile antecedit disciplinā: vt quadratura circuli. Ergo nō est proprietas adæquata. In contrarium est sententia dialecticorum.*

¶DE RELATIONIBVS *cùm hic & in quinto metaphisicæ agatur par est, parce atq; tēperate scribamus, altiora sublimioraq; methaphisico suo iure illibato deferētes. Veritatem ergo in his cōstituemus difficultates (quæ arcanæ sunt nimiū, & maxime implexæ) potius insinuabimus: quā vēticlemus. Primo apud omnes solet duplex relatio distingui: vt pe p̄dicamētalis & trācēdentalis. Prædicamētalē appellant: quæ in hac serie & sede reponitur: trāscēdentalem, quæ omnia p̄dicamēta sequitur, per omnia vagatur. Et primo, quòd sunt habitudines, seu ordines aliquot in hoc p̄dicamēto irreponibiles palā est. Nā quoties ordo in aliud est de essentia alicuius accidētis absoluti, & velut eius differētia, neceße est, non ad istud, sed ad aliud p̄dicamētū pertineat: cuius est sua species. Quia differētia, et species eiusdē necessario sunt gñeris: tales aūt nō raro reperiūtur. Habitudo potētiæ ad obiectū adæquatū differentia illius est: penes quas habitudines intrinsicè atq; essētialiter potētiæ distingūtur. Vt intellectus,*

& volunt 'is diuersa sunt: quia ille est ad verum hæc ad bonum. Idem euenit habitibus, & actibꝰ, quibus præstantior differentia est habitudo, & relatio ad obiecta, vel operationes. At quanquã doctrina hæc nemine dissentiente vti verissima ab omnibus suscipiatur, impendio quam difficilimum est discernere in specie, quæ & quot sint huiusce non prædicamentales, sed transcẽdentales habitudines. Hic labor, hic opus. Si qua vero certa ac fidelis trutina est qua id facilius dignoscamus atq; pensitemus: natura est meo videre huius prædicamenti. Quotcumq; enim hanc naturam non induerint, constabit non esse prædicamentales. Et quidem quidditas relationis prædicamentalis primo est ad aliud, tanquam ad terminum sui correlatiuum. Quod quidem haud est vllo pacto caussa illius: sed dumtaxat terminus. Quod ex postrema propriet ate patenter deducitur (simul enim natura esse nihil potest cum eo) cuius vtcumq; caussa fuerit: quoniam omnis caussa est prior aliquatenus effectu. Ex quo apparere incipit omnes illas habitudines, quæ sunt ad obiecta, & subiecta non esse prædicamentales: quia sunt ad sui caussam, vel formalem, vel finalem, vel materialem, vel efficientem. Accidens enim non dicit habitudinem ad substantiã vt ad terminum, sed vt ad sui subiectum. Vnde dicit habitudinẽ in, nõ ad. Sed obycies de caussa: quàm constat vt sic respicere effectum, & respici ab illo. Respondetur: quòd res, quæ est caussa, effieit effectum mediante operatione: at relatio caussæ posterior est compositione & operatione. Vnde formaliter in quantum caussa nõ caussat effectum. Quo circa sapienter magnus aduertit albertus: relatiuum nec definiri, nec intelligi per alterum: sed ad alterum. Quia ly per dicit aliquod genus caussæ. Quam effieientiam nullum relatiuum habet formaliter in aliud. Accidens vero absolutũ definitur per aliud: velut per sui caussam extrinsecam: & habitudo, & ordo illiꝰ est ad substentans se: vt est subiectum: vel ad formam sui, vt est obiectum. Quo circa omnes similes relationes sunt transcendentales. Est etiã alia via easdẽ trãscedentales cognoscẽdi: pro qua supponam, fundamẽta relationũ p̃dicamẽtalium tria esse. Nẽpe quantitatẽ, actionẽ, & passionem & qualitatẽ. Loco cuius Arist. cõnumerat rationẽ mẽsuræ, & mẽsurati. Et rationi cõsonat, ꝙ cũ relatio sit accidens: & subiectũ relationis substãtia: fundamẽtum (quæ est ratio cõueniẽdi substãtiæ relationẽ) sit accidẽs absolutũ: vt pote quod est medium inter substantiam & relationem. Vnde omnis habitudo etiã quæ in mediate fundatur in substãtia, cõgruit: vt trãscẽdentalis censeatur nõ p̃dicamẽtalis: quippe nõ habẽs fundamẽtum aliquod illorũ triũ. Talis est identitas nõ eiusdẽ numero ad se ipsum (hæc enim rationis est secundũ esse) sed quæ est inter duo indiuidua in vna specie, vel inter duas species in eodẽ genere. Distinctio pariter rerũ (vt due substãtiæ: quantumlibet accidẽtibus exuãtur) distinctæ sunt realiter. Relatio est transcẽdentales & cõfirmatur: distinctio est passio entis: vnde nõ potest in p̃dicamẽto relationis coarctari. Maxime cũ cæteræ ipsius proprietates nullius p̃dicamẽti limitibus includãtur. Hæ omnes habitudines cũ alys multis fundãtur immediate in substãtys, & rerũ essentys. Dispositio etiã nomẽ est relationis, quæ cõsequitur sitũ partiũ, & nomẽ pariter ipsius situs: sicut idem nomẽ solet propter propinquitatẽ & fundamẽtũ importare, & respectũ inde pullulãtẽ. Vltimo tandẽ hæ habitudines trãcedẽtales nõ solent coëxistentiã realẽ sui correlatiui, & simultatẽ naturæ postulare vt in præfatis exẽplis intuemur. At p̃dicamẽtales adeo sibi inuicẽ innitũtur, vt neq; esse, nec intelligi profecto sine termino vllatenus queãt. Quod nõ minꝰ (crediderim) refert ad perpẽdẽdũ facili, quæ sit p̃dicamẽtalis.

¶DE OPPOSITIONE vero an sit relatio valde ambiguũ est. Pro parte negatiua facit ꝙ omnes species oppositionis essent relationes, si genus. s. oppositio relatio foret. Sic omnia opposita opponerẽtur relatiue: ꝙ est falsum Cũ neq; vnũ cõtrariũ referatur ad aliud: neq; dependeat ex illo, velut ex termino etiã in quãtũ cõtrariũ, ne dicas quòd formaliter vt cõtrariũ dependet: potius vt in tribus speciebus oppositionis patet, aufert illud. Præterea in relatiuis alterũ nõ claudit negationẽ alteriꝰ: per ꝙ ab cõtradictione contrarietate, & priuatione relatiuũ differt: in omni autem oppositione simplieiter dicta, alterum continet negationem alterius (omnis enim oppositio est per affirmationem & negationẽ. Ergo oppositio nõ est relatio. Tertio si oppositio relatio foret: relatiua oppositio esset perfecta oppositio, & tamen oponitur secundum quid. In contrarium est quòd oppositum opposito est oppositum, & sic etiam de singulis speciebus: vt

contradictorium alteri contradictorio est contradictorium: si ergo dicuntur ad conuertentiam: relatiua erunt. Secundum totum esse oppositi (vt sic) est ad aliud. Quod confirmatur quia sunt simul natura, & intelligentia formaliter loquendo. In quantum oppositum enim nihil potest intelligi absq; opposito: & idem in speciebus. Nullũ contradictorium vt sic, nullum contrarium. Oppositio autem relatiua, & priuatina non habent peculiaria nomina (quibus in quantum opposita exprimantur) in quibus si nomina haberent, antecedens, palam verificaretur. Ergo sunt in quantum contraria vel opposita, relatiua.

Ad hoc primum dico si oppositio est relatio, non semper est realis: cum entis ad non ens (quæ sunt extrema contradictionis, & priuationis) nõ sit relatio realis. Secundo si relatio est, transcendentalis est: non prædicamentalis. Vnde de oppositis Arist. in post prædicamentis sermonem adduxit quasi rem omnia prædicamenta consequẽtem. Tertio crediderim quòd oppositio est relatio propter argumenta præfata. Pro solutione autem oppositorum recolendum est: quòd sicut in cæteris relatiuis: ita & in oppositis aliud est fundamentum ab relatione. In contrarietate albedo & nigredo non sunt ipsa contrarietas, seu oppositio: sed eius fundamentum. Secundo notãdum: quòd in nulla specie opositionis oppositio addit nouam habitudinem, aut relationem super habitudinem ipsius speciei. V. g. albedo & nigredo sunt contraria, & opposita: sed oppositio idẽ est in illis quod contrarietas: & in relatiuis ipsæ relationes sunt ipsa oppositio, & ita fundamenta relationum fundant pariter oppositionem. His suppositis ad primum argumentum respondetur, quòd in quantum opposita omnes species sunt relationes: vt patet cum contradictorium & contrarium vt sic semper sit ad aliud, cæteris speciebus non est nomen proprium inditum: quo ut opposita significentur. Ad probationem dicito: quòd fundamentum quidem non dependet, nec refertur, vt sic, aut diffinitur. Vt albedo in contrarietate si intelligatur secundum naturam non pendet vllo modo ab nigredine: si vero vt contrarium absq; nigredine profecto, nec definietur, nec intelligetur Ad secundũ respondeto quòd in tribus speciebus fundamentum est quod claudit vel exprimit negationem alterius fundamẽti: vt infirmitas & sanitas, homo nõ homo, videns & cæcus: sed in quãtum relatiua vnũ nõ expedit alterum, nec alterius negationẽ affert. Quomodo vero dicitur, quòd omnis oppositio est per affirmationẽ, & negationẽ de fundamentis oppositionis sermo habetur: ratione cuius relatiua oppositio ĩ perfectissima oppositio cẽsetur, si quis vero iudicauerit nõ esse relationem non cõdẽno.

¶ AD SECVNDVM argumentũ respondeo, habitudines relatiuorũ secundũ dici nõnunquã veras relationes. Sed non si vera relatio est, prædicamentalis est: cũ transcendentalis esse possit. Et tales sunt innumeræ, quæ fundamenta secundum dici consequntur. Vt habitudo potentiæ & actus de quibus superfuse loquti sumus. Vtra autẽ illarum prædicamentalis vel transcendentalis censenda sit per regulas dudum perscriptas perpendatur. Ad tertiũ notãdũ q Arist. in. 5. methaphisicæ triplex fundamentum relationibus assignauit. s. quãtitatẽ actionẽ, & passionẽ rationẽ mensuræ, & mensurati. At circa hoc tertiũ vero aduerte, q quãtitas est mẽsura quãtitatis rerũ corporaliũ: quæ proinde in primo membro intelligitur. Sed alia est mensura rerum veritatis, imo & alia etiã perfectionis (vt diximus de specie cuiusuis generis præstantiori) quæ cæterarũ specierũ perfectiones, & gradus metitur. Hæc aũt mẽsuratio perfectionis est relatio rationis: cũ aliæ species non pendeant vllo modo realiter ab prima: nec trutina hæc aliud efficit quã nos ipsarũ perfectionis certiores. At mẽsura veritatis maiorẽ habet difficultatẽ. Cõstat enim propositionẽ mẽsurari ab obiecto (ab eo enim quod res est, vel nõ est, propositio dicitur, vera, vel falsa) & ẽ cõtra obiectũ ab sciẽtia pratica, q̃ efficit opus: vt architectura domus bonitatẽ & rectitudinẽ mensurat. Illa enim vera est, quæ regulis artis & dolo sui artificis cõformis respõdet. Quia ergo mensuratum ab mensura pendet: non autẽ ẽ contra mensura ab mensurato: illa est habitudo realis, hæc rationis. Sed dico duo: primũ, quòd forsan hæc similiũ mensuratorũ depẽdentia nõ est alia, nec ponit in numero cum ea, quæ dependẽt ab eis, velut ab obiectis significatis, vel caussa. Primũ dicitur propter sciẽcias speculatiuas; secũdũ propter practicas. Illæ enĩ sumũtur ab rebus: hæ sunt caussæ rerũ. In plerisq; istorũ quod mẽsuratur est veritas: sed hæc est ens ratiõis scilicet adæquatio: ergo relatio quã dicit ad sui mensurã nõ erit realis, ac per cõsequẽs nec pdicamẽtalis.

Tertio relatiua in quibus Arist. posuit has habitudines sunt, secundum dici, nempe sensibile & sensus, intellegibile & intellectus, scibile & sciẽtia. Quare nolui huiusmodi fundamentum inter ea, quæ relationes prædicamentales fundant anumerare. Quod si omnino hæc dependentia mensurati ab mensura prædicamentalis est: aßignandum est eydem fundamẽtum, quod signo, & signato aßignari solet. Nempe in signis ad placitum impositio: in naturalibus conceptibus ipsorum generatio & productio: quod nomine actionis & paßionis aptißime exprimitur. Igitur loco huius qualitatem ingeßi, quæ fundat similitudinem, & dißimilitudinem, quam sub nomine quantitatis asserunt quidam Arist. intellexisse. Nimirum quòd non quomodolibet qualitas fundat, sed vt est in ambobus extremis vna (idest) omnino cõformis & æqualis. Vnde (aiũt) quòd vnitas in substantia facit idem, in quantitate æquale, in qualitate simile. Et quia vnum principium est quantitatis: sub nomine quantitas hæc tria fundamenta intellegit. Cui interpretationi nusquam subscripsi. Primo quòd vnitas fundans identitatem, non est principium numeri quantitatis, sed conuertibilis cum ente. Nam cum duæ species sunt eiusdem generis: hæc identitas in vnitate formali naturæ, & entis ipsarũ fundatur: non in quantitatiua. Secundo vnitas qualitatis non est etiam numerica ipsius albedinis: quæ penes subiectum quantum colligitur: sed est vtraq; albedo æqualis intentionis, vel remißionis. Vnde rationabilius existimo dici, quòd fundamentum relationis huius prædicamenti est quantitas, actio, & paßio, & qualitas, reliquæ autem sunt transcendentales. Nam certe æqualitas & similitudo in substantijs (vt cũ duæ species similes, vel æquales nuncupantur) analogice & per similitudinem cum equalitate quãtitatis dici vidẽtur. s. æquales, vel inæquales aut similes. Maxime cũ sit penitus idem in his duas naturas esse similes & æquales. Sicut dicit Augustinus, quòd in his quæ non quantitate molis magna sunt: idem est esse maius, quod melius, & tamen æqualitas, & similitudo corporea nullatenus coincidunt. Hæc argumenta conuincunt (vt mihi videor) quòd quantitas, nec vnitas quantitatis non potest esse fundamentum similium relationum. Non ergo & illæ relationes prædicamentales cum istis censendæ sunt. Idem arbitror tenendum de identitate duarum specierum vel generum. Nam ea quæ est eiusdẽ numero ad se ipsum relatio rationis est. Ad tertiũ igitur argumentum respondetur: rationem mensuræ, & mensurati posse apte includi nomine actionis, & paßionis. Si quæ huiusce cõmensuratio: relatio realis est. Nec id mirum videri debet, præsertim eis, qui facile admittunt qualitatem hîc sub nomine quantitatis exprimi. Nam quæsiti, quòd fundamentum similitudinis Arist. constituit? respondent, quantitatem.

¶ *AD QVARTVM dicito quòd ambo extrema sunt realia in quantum entia (quia entis ad non ens relatio realis non est) non tamen oportet ipsam relationẽ, qua alterum denominatur, realem esse: vt creator & creatura entia realia sunt extremaq; realia: relatio tamen creatoris non est realis: & in hoc consistit non esse mutuã. pro confirmatione notato partes esse in duplici differentia: quædam sunt iam entia distincta à toto, quo ad entitatem, licet habeant idem esse quod totum. Vt sunt partes eßẽtiales phisicæ rei naturalis: vt corpus, & anima: & partes numeri. s. vnitates. Corpus enim ens quoddam est partiale distinctũ realiter à toto: sicut inclusum, et includens. At partes quantitatis continuæ non sunt entia in actu: sed solummodo in potentia. Ideo relatio primi totiꝰ, idest, phisici ad suas partes est realis, & actualis: hæc vero postremi est relatio rationis cõsiderãtis seorsum partes, ac si distinctæ iam fuissent. Quod probatur. Quia pars est idem cum toto in similibus: tametsi in ethero geneis non habeat idem nomen. Et secundo cum huiusmodi partes sint infinitæ, imo actu partes sunt infinitæ, quia quod dicantur esse in potẽtia, est adesse entia: non adeße partes. Iam enim in ipso cõtinuo (cũ integrant, & actu componunt, actu infinitæ partes sunt) & tamen absurdum est dicere, infinitas actu relationes esse in vno continuo. Nã et si vna totius terminetur ad omnes, tot, è cõtrario debẽt esse, quot sunt partes. Sicut vna patris terminat multas filiorũ: è cõuerso quot sunt filij, tot sunt filiationes. At nihil valet realiter est totũ: et realiter pars: ergo dicũt relationes reales. Sicut non valet realiter deus est creator, realiter colũna est dextra vel sinixtra: ergo sunt reales in illis habitudines. Ad secundam confirmationem negatur dici ad conuertentiam: quia non sunt termini relatiui: sed*

capita

capitatum est denominatiuum ab capite nõ correlatiuum illius. Sexto dicendum, quòd ille relationes sunt disparatæ: sicut & in pdicamento substãtiæ multæ species sunt, imo omnes specialissimæ incõpatibiles: nõ ideo tamẽ cõtrariæ. Vbi est considerandum: quòd dissimile non est negatio similitudinis, nec priuatio. Sic enim vnum dumtaxat extremum existens diceretur dissimile. Quia non habet similitudinem, & est aptum habere: & tamen non dicitur nec inæquale, nec inimicum: sed sunt relationes positiuæ, & habitudines. Vltimo argumento negamus, non esse simul relatiua non mutua prædicamentalia, vt creatura, & creator, dextrum & sinixtrum, saltem formaliter loquendo. Verum est, in illis quoq, relatiuis exempla solere doctores subnectere, quæ non sunt simul: quia reuera non sunt relatiua secundum esse & prædicamentalia. Vnde declarant propriretatem intelligendam de potentia, idest, sensus in potentia & scientia, & sensibile in potentia & scibile sunt simul natura, quod inconuenienter satis dicitur. Quia in potentia omnia sunt simul. Nam fuimus simul possibiles, & possumus simul actu esse. Adde quòd esse simul natura intrinecè respicit entia in actu. Est enim, vt posito vno ponatur alterum, & sublato auferatur: quod quidem entibus in actu dumtaxat competit. Hactenus de relatiuis.

De quali, & qualitate.

Tex. 1.



Qualitas dicitur tripliciter: sane differẽtia substantiæ vnius cuiusq;: q̃ tertium prædicabile ponitur & in quale prædicari dicitur. Secũdo omne accidens dicitur qualitas substantiæ. Sed stricte qualitas est secundũ quã absolute quales denominamur. Nam secũdũ quãtitatem potius quanti, & relatione ad aliquid vocamur. Denominamur autem secundum qualitatem quales absolute vt calidi, frigidi, vidẽtes, audientes & similia.

Tex. 2. Qualitas autem diuiditur *in quatuor species subalternas. Prima est habitus, & dispositio. Secunda potentia, & impotentia. Tertia passio, & passibilis qualitas. Quarta forma, & figura. Si quæ vero aliæ qualitates erunt, ad has forsan omnes reducentur. Habitus est dispositio secundum quam quisq; bene, vel male disponitur, vel adesse & maxime ad operationes, vt pulchritudo, & deformitas. Pulchritudo enim est optima dispositio, deformitas pessima. Iustitia est habitus, quo quisq; in se bene disponitur ad operatiões, q̃ sũt ad alterũ. Iustitia enim ad alterũ est. Iniustus vero: vt auarꝰ male dispositus est: erga proximos. Habitus aũt est duplex, aliꝰ corporalis vt sanitas, vt pulchritudo: alius spiritalis, vt scientiæ & virtutes: quæ sunt in parte animæ siue sensibilis siue rationalis. Rursus spiritales, alÿ sunt speculatiui, scilicet quibus ad speculãdũ, & intelligendum bene, vel male intellectus disponitur: vt artes, & disciplinæ. Alÿ sunt morales, quibus aduolẽdum bene, vel male volũtas determinatur, vt castitas. vt liberalitas: vt in tẽperãtia. Quorũ singula mẽbra multifariã post modũ in Ethicis diuidũtur. Dispositio aũt est pæne quædã inchoatio habitus. Vnde cõsequenter, atq, cõsimiliter definitur esse, quæ benè, vel malè incipimus disponi. Vt febris. Ex quo sequitur differre habitũ ab dispositione eo, quòd habitus est diuturnior, & difficile mobilis: dispositio facile. Quod ex cõmuni iudicio, & sensu hominũ constat esse verũ. Cũ enim quispiã discere exorditur, dicũt ad sciẽtiam cõparãdam disponi: quãdo iam diu in disciplina versatur, putãt cõsequtũ esse habitũ. Ideq; indicãt in virtutibus, & vitÿs, inægritudinibus, & sanitate. Habitus vero & si difficulter moueatur: haud tñ est inamissibilis: cũ nõnunquã aliqua vehemẽti mutatione deperditur. Vt siquis diuturno lethargo euinctus alicuius scientiæ obliuiscatur.*

Tex. 3. Secunda species est

potentia, & impotentia. Potentia vt visus, auditus, robur, impotentia, tener.tudo, mollities debilitas: quibus subiecta contrarys resistere, non queunt: sed facile ob defectum virtutis cedunt. Vbi constat, quòd impotentia in præsenti non est priuatio, vt cæcitas, nec negatio (alias species qualitatis esse non posset: vt pote nihil: & pluribus deinde conueniret) sed est quædam aptitudo positiua: qua subiectum redditur impotēs ad agendum, vel resistendum. Potentia vero alia est actiua, alia passiua: illa vt virtus diggestiua, loqutiua, sensus, & intellectus. Quæ rursus alia est ad absolutè agendum: alia ad bene agēdum. Quidam possunt, quidem loqui: sed non bene: alij loquuntur eleganter, atq; facunde. Quo circa impotentia non raro mista est potētiæ. Nam balbuties quedā impotentia est ad loquēdum, elandicatio ad ambulandum. Et tunc operatio sequitur defectuosa. Gressus quidem procedit ex potentia: sed elandicatio ex tibiarum impotentia.

Tex. 4. Tertia species qualitatis

est paßio, atq, paßibus qualitas. Cuius claßis sunt obiecta ferè omnia propria quinq; sensuum, colores, odores, sapores, sonitus, & primæ qualitates, quæ tactu percipiuntur: aliæ etiā sunt in anima, vt iracundia, insania. Patet enim secundum has omnes & singulas quales nos denominari. Paßiones vero sunt hæ ipsæ cum breues sunt, ac transeuntes: vt color faciei rubicundus ex repētina erubescentia ortus. Id enim qualitates paßiuas, & paßiones disterminat, quòd illæ sunt permanentes ac diuturnæ: paßiones tēporariæ, ac breues. Vnde in qualitatibus corporalibus pene plures sunt qualitates paßiuæ, quā paßiones: in anima è cōnerso multo plures sunt paßiones, quam qualitates paßiuæ: vt amor, timor, species, gaudium, & similes. Quæ prope semper (vt ita loquar) sunt momentaneæ. Quæquidem qualitates non omnes eadem ex caussa paßiuæ, aut paßiones dicuntur. Sapores enim, & odores, & primæ qualitates dicuntur paßiuæ principaliter: quia paßionem aliquam in sensibus efficiūt Itaq, paßiuæ actiuè videntur. Dulcedo enim cum paßione & mutatione gustatur. Colores vero termini videntur paßionum ipsorū subiectorum. Et animæ paßiones hoc pacto etiā dicuntur. Mens enim eis mediantibus patitur. Et color repentinus ex mutatione sanguinis procedit Idemq; iudicandum est, cum fuerit permanens. Nempe quòd illa sanguinis acceßio est in tali subiecto continua, & intermissa.

Tex. 5. Quarta species qualitatis

est figura, & vnius cuiusq; forma: vt triāgulus, quadratum. Et non modo in mathematicis, verum & in rebus naturalibus, quarum terminus quantitatis est ipsarum figura, & forma. Quod rectum est aut curuum, quale ideo dicitur. Sed asperum, & lene, rarum, & densum (cum non dicant figuram, sed dispositionem potius partium: saltem duo priora.) Asperū enim est cuius aliquæ partes prominent alys: lene cuius omnes sunt æqua superficie terminatæ, constat ad hanc speciem non spectare.

Tex. 6. In qualitate autem

est contrarietas propriæ dicta: & per consequēs in qualibus. Quale est enim quod ab qualitate denominatur, vt iustitia & iniustitia, sunt contrariæ, nigredo, & albedo: sanitas, & ægritudo. Et in concreto studiosum, & vitiosum: albū, & nigrum. Sed non in omni qualitate contrarietas est. Nam impotentijs, & figura nulla apparet. Sed neq; in omni poßibili qualitate. Quia medij colores nulli nec inter se opponūtur. Adhæc qualitas suscipit magis, & minus: vt alter est altero iustior: magis albus, vel sanus: tametsi nō omnes qualitates id habeant. Figura enim & forma hos gradus nullatenus suscipiunt. Vnde patet nullā istarum conditionum proprietatem huius prædicamenti adæquatam esse. Adæquata autē est vt secundum qualitates res similes, vel dissimiles sint, & dicantur.

¶ COMMENTVM.



RAEDICAMENTUM qualitatis nimis multum plurima complectitur: cuius textus très sunt partes principales. Prima est nominis acceptionum: secunda ipsius definitio & diuisio. Tertia eiusdem proprietates. Circa primum considerato: quòd qualitas dicit intrinsecæ modum, & determinationem

nem substantiæ:sicut quantitas dicit mensuram seu extensionem.Ideo quod alterius modus & determinatio est,potest eius qualitas appellari. primo autem genus in substantia determinatur per differentiam ad speciem:& forma determinat materiam ad indiuiduum,vt in prædicabilibus patuit. Vnde differentia essentialis vnius cuiusq; speciei qualitas illius nuncupatur,& in quale prædicatur.Sed quia quale, & essentiale sunt diuersa,& pæne opposita:secundum quid differentia qualitas censetur:nempe qualitas essentialis:quod de ratione qualitatis diminuit, vel ab ea alienat.Et præterea differentiæ determinatio nō est integræ substantiæ,sed quasi partialis:sane generis,aut materiæ.Omne etiam accidens vocatur qualitas substantiæ:& in quale de ipsa prædicari.Non quòd omne accidens modus est substantiæ.Cum quantitas,& relatio nullum penitus modum dicant.Modus enim(vt dicit August.) est,quem mensura præfixit:quantitas vero est ipsa mensura modum constituens: vnde ipsa modus esse nequit. Sed quia non sunt essentiæ substantiæ,in quale prædicari dicuntur.

¶ TERTIO modo accipitur peculiariter pro rebus huius prædicamenti,quibus proprius (vt illico monstrabimus)competit maxime modum esse,& determinationem substantiæ.Itaq; nomē qualitas est æquiuocum.Hactenus de prima parte.Qualitas autem est secundum quam strictè quales esse dicimur ,seu denominamur. Quod pro descriptione dixisse sufficiat:cum quidditatiuè(vt pote genus supremum)definiri non possit.Et cum accidentia hic quatenus substantiæ insunt,contemplemur:rectè, per quod nobis tribuit,describitur.Confert autem vt quales absolutè denominemur.Sicut quantitas est,qua diuisibiles sumus:& relatio,qua ad aliquid referimur.Secundum autem alia prædicamenta non dicimur strictè quales sed quāti vel ad aliquid vel agentes,vel pacientes aut quid huius modi. Interrogati enim absolutè qualis est Petrus?præter differentiam essentialem,(vt plurimū) per res huius prædicamenti respondemus. Vt pulcer est,deformis,bonus,aut malus.

¶ IN TEXTV secundo diuisio subijcitur, cuius prima species subalterna(vt pote quæ multipliciter post modum subsecatur) est habitus, & dispositio.Habitus est dispositio,qua in se subiectum bene,vel male disponitur præsertim ad operationes. Vt ars disponit medicum ad rectè medendum ægroto: iustitia parat hominem adseruandam æqualitatem cum proximo.Vbi duo consideranda sunt:primum quòd definitur per dispositionem,cum hæc dudum ab illo condiuideretur.Sed dispositio accipitur dupliciter.1. generaliter vt ambiat non modo hanc speciem, verū & secundam,& quartam. Siquidem dispositio (vt ipsum nomen præsefert)ordo est.Imo Arist. addit,quod sit ordo habentis partes (quod enim ordinatur:partibus carere non debet,secundum quas ordinetur) vnum enim , & omnino simplex ordine non eget.Quoniam ordo est in pluribus,sicut exercitus.Et constat , quòd per potentiam vtcūq, ad aliquid agendum subiectum disponitur,& ordinatur.Et pariter per formam. Tameisi non ita propriè sicut per habitum:quia non absolutè agens per potētiam disponitur, sed constituitur potens ad agēdum. Quemadmodū. embrio ,cum anima introducitur,non extimatur,disponi adesse hominem:sed hominem constitui.Habitus autē proprissimè est dispositio:quia subiectum proximè in se disponit,vel adesse , vel ad operationem.Dispositio autem quoddam additum existenti , vel agenti videtur qua bene, vel male sit:& talis esset habitus.Per quem post quam etiam quid possumus:disponimur. Ad melius exequendum vnde solet a quibusdam velut prouerbium celebrari,non egere nos habitu ad substantiam,sed admodum actus:vt facile scilicet,vt delectabiliter operemur.Sed hac de re sermo redibit.Habitus ergo esset dispositio , secundum quod dispositio vniuersaliter sumta est ordo. Sed alio modo dispositio sumitur pro ipsa qualitate inchoante(& vt ita loquar) pro inchoatione habitus.Bifariā enim quisq; censetur disponi:sane vel cum disponi incipit , vel cum dispositio est iam perfecta,& consumata:Habitus est dispositio consumata, firma, & in modum iam naturæ conuersa.Vnde in prouerbij consuetudinem abijt(quando quis quid permanenter habet)dicere tenet illud per modum habitus.Tam compertum est apud omnes habitum stabilem, firmamq; dispositionem esse.Dispositio autem(quæ est secunda pars)debilis,affixa, non intranea. Vt cum aqua calesit nondum feruens , cum homo febricitat:cum duos quis vel quatuor actus castitatis,vel fortitudinis gessit.Si gymnasia du-

dum frequentat: tunc ad scientiam, vel virtutē habendam indicant omnes disponi, non iam fortem aut sapiētē esse. Igitur habitus differt ab dispositione quòd ille est difficile mobilis, & diuturnior. Hæc cito mutabilis, & amißioni exposita. Sed ambo conueniūt, quòd bene, vel male subiectum disponunt. Differentia proprißima huius speciei. Ratio est quòd cum natura etiam ornata potentijs sit exsistens, vel agens quoddam indifferens: habitus & dispositio adiecta trahunt, inclinantq, eam ad certam, vnam partem operationis. Vt intellectus qui bene, vel male mederi, & de herbis iudicare potest, per artem medicina determinatur, vt bene iudicet. Per iniustitiā vt contractum fraudulenter atq; iniquè ineat. Potentia & natura tantum est principium. habitus vero & dispositio (vt pote modum. Potentus præscribentes, & propinquius rem prospectantes) subiectum bene, vel male disponunt. Vn de potentiæ, quæ de se sunt perfectè determinatæ ad vnum agendum (vbi nulla est indifferentia) non egent ad operandum habitu: vt vis digestiua nutritiua, visus, & olfactus.

¶ PARTIVNTVR habitus in spiritales & corporeos, & pariter dispositiones. Priores sunt pauci, vt pulchritudo, & deformitas. Illa est debita dispositio membrorum, congruensq; proportio partium: quæ bene subiectum est. Sanitas etiam & infirmitas in quibusdam videntur mihi habitus: quando scilicet quis est optime humoribus dispositus, atq; temperatus: vt plures in se habeat caussas salutis, & salus illi stabilis sit, difficileq; expugnabilis. E contrario sunt quidam ita languidi, & valetudinarij: vt cum valent etiam languescant. Quorum ipsamet incolumitas est plurimum ægrota, atq; infirma. In alijs communiter sunt dispositiones, vt pote cito mutabiles. Spiritales vero habitus sunt omnes scientiæ, artes, & virtutes: tā hi, qui à natura inditi sunt, vt habitus principiorum, siue adeo infusi, vt fides, spes, charitas, siue nostro labore industriaq, parti. Idemq; de dispositionibus philosophandum est. Nempe quasdam esse corporeas, alias spiritales infusas, naturales. Vnde hæc species est amplißima, latißimèq; patens.

¶ IN TEXTV tertio secunda species est potentia, & impotentia. Sed prima est duplex alia essentialis, siue actiua, siue paßiua substantia: vt potentia materiæ ad formam, vel adesse, & qua generabiles, & corruptibiles res dicimus: de quibus hic non tratactur, vt pote quæ non qualitates, sed ipsa substantia sunt rei. Alia sunt accidentia essentijs super addita quibus actus aliquot, vel paßiones eliciant, aut suscipiant. Vt oculus ad videndum, aures ad audiendum. Quas quidē potentias constat esse qualitates: quoniam sunt superaddita substantijs: & per consequens non substantiæ: & deinde ordinata: primo & principaliter ad operationes, quæ sunt accidentia. Operatio enim finis est potentiæ: a proinde erit quoq; accidens. Quia substantia principaliter non ordinatur ad accidens: quinimo accidēs ad substantiam. Et cum nec quantitas, nec relatio, sint principia operationis, sequitur esse qualitates huius prædicamenti adhac secundum hac nuncupamur strictè quales visiui. s. sensibiles, intellectiui: ergo est qualitas. Impotentia vero est quædam degeneratio potentiæ, vt frigidus à natura homo impotens est ad generationem, sterilis mulier ad concipiendum. Potentia est, qua possumus aliquid agere, vel resistere aut etiam pati: impotentia vero qua quis non potest. Vel facere, vel resistere: quod posse forsan debebat, vel secundum speciem, aut indiuiduum: tametsi nonnunq; id non requiratur. Vt aqua est impotens ad resistendum casioni. Sed impotentia potest accipi & negatiuè, vel priuatiuè, pro negatione priuationeve potentiæ: sicut lapis dicitur non posse videre. Secundo accipitur positiuè pro qualitate entitate, quæ positiue impedit operationem, aut modum illi congruentem: sicut frigiditas in semine: sterilitas in sexu muliebri: balbuties in lingua, claudicatio ingressu. Illæ enim & si non totaliter elinguem virum reddat: fluxum pronuntiationis tollit. Hoc modo impotentia est huius generis & prædicamēti species. Nā species qualitatis ens debet esse positiuū, nō negatio, nec priuatio. Ad hæc vnaquæq; species pertinet directè ad suum prædicamentū, & in potētia pertinet ad istud, sicut & dispositio in prima specie, & paßio in tertia. Priuatio vero & negatio pertinet in directè ad prædicamentum & reductiuè. Ergo impotētia est qualitas positiua. & confirmatur impotentia hæ & paucæ sunt & in paucis negotiones & plures, & in pluribus. Nam affirmationi cuilibet opposita est negatio. Et deniq; cum palam tot entia sint huius impoten

impotentiæ species, vt molities, teneritudo, balbuties, claudicatio: impossibile est eiusdē speciei esse vel negationem quampiam, vel priuationem.

¶ POTENTIA diuiditur in actiuā & passiuam: prima est, qua possumus quicquam facere: vt auditu audimus, oculis videmus: passiua, qua patimur, vt cum vapulamus, vel lassitudine frangimur. Actus & passio manifestissime detegunt potentias, Quoniam absq; potentijs actiones possibiles non essent. Cum potentia actiua computatur nunc & resistiua, qua cōtraria nobis, & nociua propellimus, aut sane ipsis nō cedimus. Eadem enim virtute & alios impetimus & nobis aduersantes propulsamus. Vt mediante frigore aqua, & frigerat, & calorem abse proculamouet. Arist. 5. & .9. methaphisicæ definit potentiam actiuam, quod sit principium transmutandi aliud in quantum aliud: vt cum iacimus lapidem, mouemus illum. cum ambulamus, mouemus pedes. Passiua vero, quæ principium transmutandi ab alio. Vt cum igne calefimus, mutamur. Sed de potētijs actiuis, & passiuis sicut de actibus, & passionibus necesse est dialectici certa regula & mensura loquamur: vt pote quorum exacta notitia non vnius est facultatis ex superioribus, sed plurium subministrare. s. phisica, ethicæ, ac methaphisicæ. Sat nobis est rem summis labijs degustasse & potentiarū sedes (idest) prædicamentum agnouisse. Id tantū super est hic aduertamus, nō modo potentias naturales, verum & supernaturales, accidētales tam naturas, quam substantiarum abstractarū hic collocari. Quod propter virtutes angelorum & charactēres nostratum dixerim: quæ sunt potestates fidelibus infusæ, atq; diuinitus concessæ: quibus sacramenta, vel conferant, vel suscipiant.

¶ IN TEXTV. 4. Tertia species est passio & passibilis qualitas. Sed circa nomen passio aduerte, significare motū, prout suscipitur impasso. Et ita integrum passionis prædicamentum constituit. Secundo pro qualitate quæ vel efficit talem passionem, vel per eam efficitur. Sic est altera pars huius tertiæ speciei: & multis alijs modis: vt proprio quarto modo: vt in prædicamēto passionis videbimus. Vnde hic nō est nomen motus, sed entitatis, & rei permanentis. Ly, passibilis vero qualitas non distinguitur: tametsi passibile seorsum multipliciter dicatur. s. & subiectū passionis (vt nos appellamur passibiles) & accidens, quo patimur. At passibilis qualitas nō æquiuoce aut multipliciter sumitur, sed est nomē vnius speciei: licet penuria nominum complexo vtamur pro simplici. In hac specie textus specificat quot qualitates & passiones collocentur, & ferè tot sunt passiones, quot passiuæ qualitates. Quia sicut dispositio inchoatio erat habitus: ita passio inchoatio videtur passiuæ qualitatis. Nā passio est qualitas: quæ, vt aliæ qualitates suæ naturæ permanere, solent: non permanent, sed breuissimè transeunt. Secundum quas proinde passiones non absolutè (vt Arist. notat) quales denominamur sed potius dicimur passionem tolerare. Vt cum ex verecundia quispiam rubescit, non tam censetur ruber: quam verecundia affectus. Et interrogati qualis uam coloris sit ille, qui erubuit, suum naturalem respondimus, illū momentaneum prætermus. Ex his inuenimus quidem incorporalibus plurimas esse passiuas qualitates: in spiritalibus qualitates paucas. passiones vero adeo frequentes, vt ebulliant mille in momento affectus. Quod expertus videtur Iob cū dicebat, cogitationes meæ dissipate sunt torquentes cor meum, noctem verterunt in diē, & rursus post tenebras spero lucem. At qualitates duplici de caussa appellantur passiuæ, quædam quòd in sensibus passionem efficiant: qui sui alteratione, & tactu obiecta percipiunt: vt tactus, olfactus, & gustus. De primo apud omnes constat quantum sæpe tangendo lædatur. Sed & posteriores duæ quadam species tactus vulgo iudicātur. Nisi enim nares odor tangat, haud percipitur. Et si gustus sapore non alteratur, nihil gustat. Non negatur, quin quam plurimæ similium qualitatum ex passione processerint: secundæ præsertim, quas palam est ex alteratione & mistione primarum resultasse. Sed quia id occultum est non sensibiliter apparens: & quia præstantior caussa denominationis est efficere passionem, quam ex illa profluere: ideo illa de caussa, & non ex hac passiuæ appellantur. At colores qui non immutatione aut læsione pupillæ, sed quadam receptione pæne spiritali capiuntur, passiuæ (quoniā termini sunt passionum) nominantur. Idem sentias de qualitatibus animæ tam passiuis, quam passionibus: quippe vniuersis ex passione, & motu fluentibus: vt amor, timor ex affectione, vel complacētia aut

conen-

concupiscentia. Huius speciei maxima est copia rerum & innumerabilis multitudo.

¶ QVARTA species est forma & figura: quæ non sunt duæ partes, sicut in antepositis speciebus, sed vna eademq; natura, terminus scilicet quantitatis. At quatenus quantitas sumitur in abstracto vt in Mathematicis terminus dicitur figura. Sic Geometria tractat de figuris. Sed ipsa figura considerata in rebus naturalibus, & viuentibus nuncupatur forma, & species: sicuti capite speciei explicuimus. Sufficientiam autem huius diuisionis qualitatis in has quatuor species colligit optime S. Tho. dicens, quòd cum qualitas sit modus, & determinatio substantiæ: potest illa determinari quo ad esse, quod est primū, vel quo ad actionem, quæ est actus secundus: vel quo ad quantitatem Habitus modificat subiectum in ordine ad se ipsum qua ad esse. Minime gentium quòd esse conferant: cum iam per formam substantialem sit colatum: sed est modus essēdi, quibus scilicet bene, vel male sumus. Esse enim hominis est viuere secundum rationem: quod habitus & dispositiones præstant, vel auferunt. Iustitia, fortitudo, prudentia, temperantia efficiunt, vt recte viuatur. Et oppositi habitus lędunt, deturpātq; naturā. Nec obstat hos habitus operatiuos esse, & ad operationes dirigi. Rectitudo enim, & probitas operationū bonitas est, atq; felicitas vitæ: & bene agere, bene esse. Vnde in hac sola specie qualitatis reperitur hæc differētia boni, vel mali. Secunda aūt, & tertia species est modus substantiæ quoad operationem. Secunda est principium proximum operationū: tertia vero finis, & terminus. Quarta est determinatio quantitatis, quæ semper in suam figuram terminatur. Vnde si daretur corpus infinitum nullam prorpsus haberet figuram: quia careret termino. ¶ TERTIA pars principalis huius capitis (quæ in textu sexto incipit) cōtinet tres proprietates qualitatis. Prima est, quòd habet contrarium. Et quia cōtraria sunt qualitates, quæ sub eodem genere maxime distant: & mutuo se sc ab eodem subiecto expellūt: vt calor & frigus: humiditas, & siccitas, necessario si vnum contrariorum est qualitas, & alterum. Contingit autem opponi multipliciter vt in sumulis insinuauimus, & in post prædicamentis illico tractabimus. s. contradictoriè, contrariè, relatiuè & priuatiuè. Quæ per prædicamenta vagantur: sed contrarietas est in isto, non in substantia, quantitate, vel ad aliquid. Sed non est adæquata proprietas, cum nec competat omni qualitati, nec soli. Primo potentia, & figura (quæ sunt qualitates) nullum cōtrarium habēt, nec se se quo quo pacto expellunt. Motus etiā: nō qualitas suscipit contraritatem, vt calefactio, & frigefactio, augmentatio & diminutio. Secunda proprietas est, quòd suscipit magis & minus. Hoc est intenditur & remittitur. V. g calor à principia in lignum introductus est remissus (& vt ita loquar tepidus) sed paullatim radicatur, magis magisq; subiectū penetrat: quod est ipsum intendi. s. tendere intra. Genus sane quoddam augmenti qualitatis. Sic enim qualitater crescunt: dum intendūtur. Ita dicimus intensior est nunc dolor ad significādum creuisse iam, esseq, maiorem. Remitti vero est debilitari, & decrescere. Vt cum aqua feruens ab igne se mota pedetentim tepescit, & calor extenuatur. Quæ quidem ambo scilicet intensio, & remissio plerūq; (ex quo habent contrarium) procedit, vnum quodq; enim expellitur à suo contraria. Quod quia in momento agens non perficit paullatim suam qualitatem, intendit qua operatur, & remittit contrarium. Vt ignis nitens lignum in sibi simile conuertere, auget calorem principio susceptum: & remittit frigus, & quascumq; impedientes qualitater. Quo circa & hæc proprietas est in adæquata, non conueniens omni qualitati: sed habitibus, & tertiæ speciei. Adæquata vero proprietas est vt secundum qualitatem res similes, & dissimiles dicantur. Nempe vt qualitas sit fundamentum similitudinis, & dissimilitudinis: sicut quantitas est æqualitatis, vel inæqualitatis: vt in præcedenti prædicamento nō paucis explicauimus.

Vtrum textus qualitatis sit verus.



PRO PARTE NEGAtiua arguitur primo: vnaquæq; species est vna natura atq, essentia: ergo male in singulis harum partium duplex species assignatur: quasi duæ vna esse possint. In prima habitus, & dispositio, in secunda potentia,

tia, & in potentia, in tertia passio, & passibilis, qualitas. Secundo omnes hæ tres species videtur esse vna, eademq; non modo realiter, verum & formaliter primo.

¶ PRIMO *habitus non tantū practici, qui de se ordinantur ad opus: vt ars medici, & argentarii, qui patenter sunt potestates) verum & speculatiui sunt potentia vt physica, vel metaphysica: quibus & vere intelligimus & recte iudicamus. Maxime quòd Arist. loquens de potentijs actiuis subnectit exempla in habitibus. Deinde & calor passibilis qualitas est habitus: vt pote dispositio conueniens igni, & alijs rebus naturalibus, quo bene sibi est. Et etiam est potentia actiua, qua ignis cōburit. Quemadmodum enim auditus est virtus data animalibus, qua audiāt, ita rebus à natura inditæ sunt virtutes, quibus & suas operationes efficiant, & suos fines consequantur. Tertio difficile, & facile mobilis sunt conditiones qualitatum secundum quod sunt in subiecto: ergo per se sumtæ (vt hic definiūtur) nō distingunt habitum, & dispositionem. Antecedens patet. Qualitas est difficile mobilis, quādo nimirū radicata est & firmiter hærens: facile cum tener est, ac debilis. Quarto potentia actiua, & passiua coincidunt. Nam sensus, & intellectus ponuntur per Arist. passiuæ. Quia passiua est principium transmutandi ab alio: & hijs potentijs mutamur ab obiectis: quas tamen nos actiuas nominauimus. Quinto potentia habet plures partes istis: nam saltem est resistiua. Sexto contra secundam proprietatem. Qualitas suscipit magis, quia crescit, & minus, quia decrescit: sed quātitas etiam augetur, & diminuitur: ergo, vel in quantitate inueniuntur hij gradus, vel non competunt qualitati. Confirmatur. Primo curuum dicitur secūdum magis, & minus: ergo non est proprietas disconueniens quātitati. Secundo calor vt duo dicitur intendi: quoniam adduntur denuo alij duo, vel tres gradus: ergo prior non est intensior, sed tantum maior. In contrarium auctoritas Arist.*

¶ HVIC *quæstioni (vt fas est) affirmatiue responde. Primum argumentum petit, vtrum eadem qualitas sit habitus, & dispositio? disceptatio antiqua & hunc vsq; sub lite manens, nō dū satis discussa. Quidam tam ex veteribus, quam iunioribus arbitrantur esse eandem formā, differreq; tanquam perfectum, & imperfectum (vt sæpe solet) intra eandem speciem. Vt febris ephimerica dispositio est: si vero diu permanet: vel interupta aut certis interualis periodica fit iam habitus. Quinimo ipse habitus physicæ, alteriusve facultatis cum primum gignitur, ita tenuis est, & debilis, vt sit dispositio: donec vsu, & exercitatione coalescat, firmeturq;. Sed (meo arbitratu) altera res dispositio est, altera habitus. Tametsi (quod est plurimum in hoc prædicamento aduertendum. Licet species hæ sint suis quidditatibus impermistæ, in modis tamen earum plurima est priorum trium cōmunicatio. Habitus (inquam) species seiuncta est ab potentia: sed perplures sunt habitus modum potentiæ habentes, & tales frequēter appellātur. Passio etiam, & passibilis qualitas cum sint diuersa penitus natura, induunt non raro modum dispositionis. Quod multos in hac re turbat, vel fallit. V.g. (vt incipiamus ab prima) habitus est qualitas de se sibi vendicans, vt cum fuerit in subiecto, constans sit pænèq; immobilis. Quoniā eius est conditionis vt secum suum contrarium non patiatur nisi via corruptionis, & (cum vnū quodq; ab suo contrario expellatur) est habitus vbi est, omni pæne expulsione securus, vix exilium timens. Vnde solent philosophi dare signa generati iam habitus si diu, & cum delectatione operationes exequimur. Nimirum quòd sit proprium habitus pacatum esse atq, permanentem. Dispositio autem (dummodo intelligatur non esse actionis nomen sed qualitatis) est velut via ad formam principalem introducendam: & ita habet, de se vt in ea non persistatur, sed sit transiens, ac temporanea. Hac differentia distinguit inter se habitum, & dispositionem. Quia ab alijs speciebus per hoc seiungitur, q bene vel male naturam subiecti moderatur. Igitur cū talis sit essentia habitus & dispositionis contingit, vt ratione subiecti habeat statum dispositionis, dispositio vero habitus conditionem. Vt metaphysica de se firmus: quia in tali subiecto est nondum omnes veritates cognoscente, vel habente omnes demonstrationes, est admodum tener, facillime amißibilis: ita extremis fimbrijs tenetur. Vt puer qui & si verißimus homo est, impotēs tn̄ ad omnes actiones, officiaq, hominis p̄standa. Sic habitus natura sua grauis, fixus, ratione subiecti nō nunquam titubat, vacillat, & quasi nutans ruinam minatur. Dispositio è contrario quandoq;*

præter

prater ordinem adeo altas radices subiectum in mittit, vt firmentur, & fiat propemodum in separabilis. Itaq; contra se habet veritas, quam tertium argumentum contendebat. Scilicet q̄ ratione subiecti non de se habitui stabilitas, dispositioni mobilitas conuenirent. Nam præter quam quòd suapte natura talia sunt, frequẽter mutantur vices: & fit habitus instabilis, qui sui ratione diuturnior est: & dispositio imobilis: quæ velut pennata moueri solet. Ad quod proinde argumentum patet negãdã esse probationẽ antecedentis. De se enim antea quam sit in subiecto habitus est difficile mobilis. Ad secundum, quòd attinet ad primam speciem, constat quòd est dispositio natura & conditione distincta ab dispositione, secunda. Nec dispositio hæc de se vnquam est habitus, tametsi modum illius nonunquam adipiscatur. Quantum ad aliud mẽbrũ de potentia. Quidam nullo fere argumento sua si cancedunt non formalem, sed materialẽ harũ specierum identitatẽ. Aiunt enim quòd habitus ea ratione qua bene, vel male disponit, est prima species: qua vero principium est operandi, potentia. At quanquam vna eademq, res nõnunquã possit diuersis rationibus in duabus speciebus esse, imo in duobus prædicamentis: non tot sunt hæc tamen, quot isti admittũt. Et primo (vt Aristotiles in nono methaphisica procedit) duplex est potentia logica & naturalis: quæ æquiuoce in nomine conueniunt. Nam logica est negatio: naturalis, est entitas positiua. Rursus naturalis alia substantialis, vt materia prima, alia accidẽtalis. Hæc autem est io hac specie reposita. Circa quam quod ad præsens spectat (vt cætera omittamus) consideranda est harum specierum quidditas. vt pote recta huius examinis libra. Et primo potentia, & impotentia huius speciei debet esse accidens (vt ego arbitror) à natura congenitum. Nec vnquam quis apud philosophos censetur suo labore potentiam aliquam realem comparare. sed has vocant consequentes naturam. Habitus aũt & si aliqui naturales sint, vt pulchritudo, vt plurimum sunt adquisiti: saltẽ omnes operatiui. Haud enim virtus, ars, vel scientia à natura nobis donantur: sed omnis doctrina, omnisq; disciplina ex præexsistenti fit cognitione. Operatiui ergo nõ possunt potentiæ esse. Ad hæc radicalis differentia harum, atq, vniuersalis est: quòd potentia est principium operationis, vel actionis, vel passionis absolutè: nõ quẽpiam modum præscribens rectitudinis, vel prauitatis. Habitus vero primo in genere non sunt omnes operatiui: qui vero sunt: semper superadduntur potentijs, eas quoad benè, vel malè determinantes: earumq; indifferentiam restringẽtes. Bonus habitus trahit ad bonum, & malus ad malum tam in speculabilibus: quã moralibus. Bonum intellectus est veritas, malum falsitas, & error. Ad veritatem ergo inducunt ars, sciencia, fides, & opinio: ad malum error. Quod quidem etiam patet inductione, nempe habitus hos operantes superadditos esse potentijs. Nam omnis habitus similis collocatur, vel in voluntate, vel in intellectu, aut io parte sensitiua. s. appetitu: dicere vero quod vna potentia huius speciei est in alia, mihi asperè dareq; sonat: aut quòd quis ad aliquam actionem duas potẽtias habere realesdicatur. Si ergo habitus operatiuus est dispositio adiecta potẽtiæ (quod palã denuo cõuincitur) cere ere potentias sufficienter à natura ĩn vnum determinatas non egere vllatenus habitibus) nõ potest profecto potentia pariter huius speciei habitus censeri. Quia vna potẽtia accidentalis subiectaretur in alia, & duæ petentiæ dirigerentur de se ad eandem operationem. Prætereahi male fecerunt in habitibus operatiuis disponere bene subiectum, & principium esse operandi, quoniam vtrumq; est vna, eademq; ratio in illis. Siquidem tales habitus quatenus operatiui sunt, disponunt benè, vel malè subiectum quo adesse vt habitus iustitiæ ideo est bona qualitas mentis, quia ad bonas operationes inclinat. Præterea Aristotiles hic distinguit cursores, & pugillatores. Quidam pugnant fortiter lacertis, aut vibrant gladios ex arte & tales dicit non esse in hac specie potentiæ: alij ex viribus, & robore naturæ: & hi verè sunt in hac specie. Ars ergo secũdum Aristotilem non ponitur in specie potẽtiæ. igitur adiudicandum de potentia non est respiciendum an sit principium operandi. Hoc enim habet & essentia rei, & forma substãtialis, sed vtrum sit tantũ principium proximum operationis indifferens quoad bonum vel malum. Nã forma est principale principium, sed non proximum: habitus autem est quidem proximũ (quoniam est dispositio ipsius potentiæ) sed non indifferens. Hactenus concluditur mea sententia patentur quod habitus actiuus non est potentia

huius

huius speciei, sed quid dicemus quòd philosophus in nono agens de potentia prope semper ponit exempla in habitibus adquisitis, eas potentias actiuas appellitans. Nimirũ quòd illic longe aliter de potẽtia quã hîc loquatur, vt facile legẽti patet. Sed ad illud de calore: an sit potẽtia iudicanda? notato quòd in illo vtroq; nempe quod sit principium proximum & indifferens includitur, vt totaliter de per se, ad operationem ordinetur, non ad conseruationem potius, & ad esse ipsius subiecti. Quare calor, & similes virtutes rerum naturalium strictè loquendo non sunt potẽtiæ, sed dispositiones subiectorum: vt pote non datæ principaliter ad operationes, sed ad conseruationem, & fomentum ipsarum. Calor enim est dispositio cõuenientissima ordinata ad bene esse ignis, & secundario qua comburere alia, & sibi similia facere possit. Quod manifestè ostendit non fore ociosum calorem, qui nihil comburit. Sicut non est ociosus in sphæra ignis, sed in sua maxima perfectione (vt pote principalem sui finem assequtus) vbi tamen nihil vrit. Et foret ociosus vtiq; oculus si nil vnquam videret, aut voluntas: si nihil amaret. Nimirum quia hæ vt potentiæ, ordinantur principaliter ad operationes: illæ vero vt dispositiones subiectum cõseruantes. Sed replicatur saltem secundario erunt potentiæ sicut secundario ad actionem destinantur. Respondeto, quòd vt sit quo quo pacto potentia huius speciei opus est primo, & principaliter ad operationẽ ordinetur. Sed obijcies adhuc ignis potest comburere, & aqua frigefacere: ergo habent potentias. Negetur hæc illatio. Sed posse contingit dupliciter, vno modo per potẽtiã (quæ est secũda species qualitatis, alio modo per virtutem operatiuam: sicut dixit Arist. de pugillatore, & cursore. Et calor quidem habet hunc modum potentiæ: quòd est proximum operationis principium: sed ab ratione potentiæ proprie dictæ (quæ in hac specie collocatur) deficit in duobus. Primo ꝙ nõ ordinatur primario ad agendũ in aliud: secundo ꝙ non actuatur operatione, vel passione. Et existimo de his potentijs hic nos pertractare: q̃ suis actionib9, aut passionibus actuãtur, vt oculus visione, aures auditu, intellectus cognitione, volũtas volitione. Et cum ignis comburit, duplex calor consideratur, primus ipsius ignis comburentis (qui manet in illo: & introductus in passo. Et is est finis, & terminus propinquus passionis scilicet cõbustionis, & ita nullus illorum actuatur. Vnde calor, & similes qualitates sunt quidẽ passibiles, quatenus efficiũt passionem in sensibus: & habitus vel dispositio, vt subiectum bene in sui esse disponunt. Pótentia vero huius speciei ob rationes inductas (meo iudicio) non sunt. Sed quia principia proxima vidẽtur operationis vulgariter, & communiter vocantur etiam apud doctores potentiæ. Quod si Aristotiles loquens de potẽtijs actiuis posuit exẽplum artis, scimus quòd exemplis vtimur non quòd ita sint, sed caussa exponendi. Ad primum (posterioribus argumentis, quæ ad substantiam rei pertinebant iam solutis) respondeto, non esse in conueniens, vnum genus qualitatis duas species habere, vel duas inferiores, alteram subalternam (cum vna adæquata passio numeri sit par, & impar, & quantitatis finitum, vel infinitum) & tamen par distinguitur realiter ab impari.

¶ *AD QVARTVM aduerte quod nomẽ potentiæ primo impositum fuit ad significandum potestates, vt ego arbitror, ciuiles: vt pote manifestiores nobis, & deinde ad omnes potentias actiuas, vt pote similes potestatibus. Et nihil propinquius est, & similem huic. Quod est posse facere, quam posse non pati, propulsare a se iniurias, atq; violentiam. Vnde proxime significat potentiam resistiuam. Et ita absolute quodpiam dicitur potens, etiam si nihil agere queat: dummodo resistat: vt durities ferri (quæ nullius actiua est) nuncupatur potentia. Imo adeo est simillima potentiæ actiuæ, vt sub nomine vno cõprehendatur. Ideo in diuisione potentiæ sub primo membro potentia actiua explicatur. Secundo notandum quòd sunt quædam potentiæ meræ passiuæ. s. cum passio infertur passo vim non conferente. Vt cum aqua calefit, vel lapis sursum ascendit, nihil actiuitatis his motibus subiecta tribuunt: aliæ vero sunt merè actiuæ, vt intellectus agens, & vis diggestiua: aliæ sunt mixtæ quæ ita faciunt, vt patiantur, & ita patiuntur, vt agant. Huius conditionis sunt sensus, & intellectus. Qui vt mouentur ab obiectis, & illorum species suscipiunt, passiue potentiæ habentur, sed motæ eliciunt sensationem, vt oculus visionem, aures auditum: respectu quarum actionem necessario sunt actiuæ. Primo quia sensatio, & intellectio est actio, permanens, quæ manet videli*

cet

cet in agente:ergo potentia in qua manet, est agens illius. Nam subiectum (si agēs appellatur) est ratione potentiæ. Secundo sunt actiones vitales: quæ non possunt. s. procedere nisi ab principio coniuncto. In his mixtis est gradus. Quædam magis actiuæ quam passiuæ, aliæ è contrario. Imo in ipsis sensibus tactus, & gustus, sunt maxime omnium passiuæ, sane qui cum sentiunt: plus alterātur, & patiuntur. Visus habet passionis minimum, & adhuc interiores sensus minus. Igitur par est ab eo quod maius in singulis, & plus est, denominatio sumatur. Sentire autem ab omnibus secundum quid pati vocatur. Et multo diminutius intelligere est quodam pati, simpliciter autem sunt actiones. Præterea sensus, & intellectio iudicantur metbaphoricè pati, absolute agere. Ergo optimo iure appellabūtur potentiæ actiuæ, secundum quid passiuæ. Nam sciendum est: quòd passio propriè est motus præternaturam, saltem, inquam, non naturalis sed minime congruens. Sentire vero, & intelligere maxime conueniunt. Tunc solum aliqua sensatio vera passio erit, cum læserit sensum: quod rarissimè contingit. Intellectio vero lædere non potest: quia est potentia spiritalis, sic argumentum diluitur.

¶ QVINTVM argumentum exigit discutiamus, quid sit magis, & minus suscipere Sed eria oportet antea præcognosci. 1. augmentum, & decrementum, secundum extensio & coarctatio tertio intensio, & remissio. Augmentatio est ad maiorem quantitatem superaditam. Diminutio ad minorem per maioris detractionem. Quæ fit dupliciter. s. per intus susceptionem & conuersionem vt in viuentibus (quæ cibum diggerunt, & in sui substantiam conuertunt) & per iuxta positionem vt rupes, quæ accessu pulueris, & aspersione calore solis adusta ad summum, idest, ad ignis vsq; regionem crescit. Et quidem quod augetur, crescit: sane fit maius: sed proprie extendi est quādo eadem quantitas rarefactione protenditur, vel densatione conspissatur absq; noua alicuius entitatis additione aut diminutione. Vt cum cera liquescit, vel corium dentibus protrahitur, vel aqua congelascit. Augmētatio vero propria semper fit alicuius susceptione. Intentio, & remissio est modus augendi qualitatum. De qua inter graues philosophos lis contestatur. Vtrum fiat per additionem qualitatis, vel per maiorem in subiecto radicationem? Et vt plane loquar, nemo negat: quin cum ignis calefacere incipit lignum, calor primo introductus versus omnem triuam eius dimensionem extendatur. s. in longum, latum & profundum per nouū gradum caloris ab præcedenti productum. Sed dubium est de quolibet horum graduum, quomodo perficiatur in frustulo ligni sibi adæquato. Et primo quòd alius calor aduenire, vel adyci illi non possit, palam est. Quoniam duo accidentia eiusdem speciei in eodem subiecto adæquato esse non possunt: calores vero illi eiusdem speciei forent: ergo. Ad hac qualitates eiusdem speciei nō differunt numero nisi per subiectum: sicut individua eiusdem naturæ substantiæ differunt tantum ex parte materiæ: ita accidentia per subiectum, vt pote illarum materia. Ergo in subiecto adæquato huius gradus alius esse nequit. Quia non est per quod sinc duo, vel differant. Et cum constet, primum gradum perfici, & augeri: constat vná absq; qualitatis additione crescere. Sed notandum tamen quòd perfici accideas, est secundum illud perfici subiectum. Motus siquidē accidentium potius ipsorum suppositorū sunt: non modo hi accidentales, intentio, & remissio: verum & mutationes ipsorum essentiales: qualis est generatio illorū, & corruptio. Cū enim albedo producitur, non dicitur tam fieri albedo, quam subiectum album. Nam eius productio est alteratio, & tamen non alteratur accidens sed subiectum accidentis mediante illo. Intendi ergo formam est perfici melius subiectum: perficitur autem quatenus plus per eam actuatur, & ipsa materiæ prædominatur. Vnde profecto id erit accidens intendi: scilicet subiectū magis actuari, & melius ab accidenti informari. Sed quod ab principio non plene actuaretur, ex multis caussis prouenit. Primo ex caussa efficiēti, & si non est quantæ virtutis ista actio requirit. V.g. aer eodem modo dispositus intensius illuminatur ab sole, quam ab lucerna, & melius ab maiori lumine lucernæ: quia agens maioris virtutis maiori efficatia formam introducit: & sic plenius radicatur. Aliquando ex dispositione subiecti: vnde idem ignis prius comburit lignū siccum, quam viride: & per consequens intēsiorem calorem facit in vno, quam in alio. Quoniam erat dispositus combustioni. Quod vero nō sit dispositum, prouenit, vel ex contrario, vt in

ligno

ligno ex frigiditate, vel ex aliqua qualitate vtcumq; impediente. Vt aer eum primum sol ascẽdit nostrum hemisphærium, licet instanti illuminetur, multo intentior est lux prope meridiem quam mane: & tamen lux non habet contrariũ: sed aliquorum vaporum noctis, vel roris crassitie aër manet affectus, quæ obstant ne cito lux penetret, vel eã subiectum recipiat, vel suscepta nobis appareat. Quas qualitates pedetentim phœbus suis radijs extenuat. Vnde accidens perficitur in expulsione contrarij, & immixtione, & ex virtute quoq; agentis, vel ex dispositione subiecti His enim modis forma magis radicatur & melius actuat subiectum. Est & alius modus nempe, quòd magis termino appropinquat; vt in beatis nullum habentibus gratiæ obstaculum, nec indispositionem, gratia est intentior in vno quam in altero. Sed de hoc alias. Igitur suscipere magis, & minus est perfectius, vel imperfectius formam subiectum actuare, & informare. Quod ex multis capitibus euenit. Quocirca cum hoc accidẽtibus quatenus sunt in subiecto competit: sequitur quod nullum accidens in abstracto sumtum magis, vel minus habet. Vbi enim ista sunt aliqua, latitudo est. Quælibet autem essentia secundum se sumta indiuisibilis est in genere, & differentia consistens: radicatio vero vt pote motus quidam latitudinem, & partes habet. Illa differentia inuenta intra eandem formam imperfectam, & perfectam est velut spacium, quod radicatio transit. Vnde in abstracto capta nulla est ratio magis vel minus natura suscipiat. Ad illud de curuo superius respondimus.

De sex vltimus prædicamentis. Tex. I.



CTIO est motus secundum quem in subiectam materiam agere dicimur. Vt sectio est, quia dicimur lignum secare, & combustio qua ignis lignum cõburere. Quæ quidem actio, & contrarietatem suscipit, & magis, & minus dicitur, vt calefacere, & frigefacere contrariæ actiones sunt, & magis calefacere vnum quã alterum. Ponuntur autem in hoc prædicamento generatio, actio, & corruptio, augmentatio, diminutio, alteratio, et motus localis. Atq; pro proprium est actioni ex se in consequentia inferre passionem. Vt valet est actio: ergo & passio. Nec tam proprium est illi passionem efficere: non quòd non efficiat: sed quod nõ tam vniuersaliter agenti efficientia passionis iure tribuatur.



Tex.2. Vnde passio est motus *illatus ab agente, secundum quem subiectũ patitur, habetq; easdem conditiones. Nempe vt contrarietatem subeat: & magis, & minus suscipiat. Quinimo eadem sunt, & species huius prædicamenti eisdemq, nominibus appellatæ. Vnde semper in his motibus distinguimus generationem actiuè, vel passiuè, itidem & alterationem: & sic de singulis. Et ratio est esse eũdem omnino motum actionem, & passionem, vt ex phisicis supponimus.*

Tex.3. Quando est, quod ex *adiacentia temporis in re temporali resultat. Hoc autem est me esse hodie, & in hoc anno. Te esse heri. Patrem in alia ætate, auum in alio sæculo. Quot sunt enim temporis*

differentiæ:tot sunt & species huius prædicamēti. Quia in omnibus illis partibus temporis sunt ea, quæ tempori subiacent. Vnde quando est quædam mensuratio paßiua rei temporalis. Quod proinde contrarium non habebit, ab quantitate enim contrarietas prouenire non potest:neq; magis, aut minus.

Text. 4. Sicut quando ab tēpore,

ita vbi est quædam circumscriptiu paßiua locati ab loco proueniens. Vt esse in gymnasio, in Lycæo, in platea, in domo, in templo. Quæ quidem, & adæquata esse contingit, & in adæquata. Aula enim inadæquata est mihi:sed quē repleo, & occupo locum adæquatus est.

Text. 5. Situs autem est posi

tio partium in ordine ad locum vt sedere, stare, cubare. Aliam enim positionem, aliūq; situm tenent partes quoad locum quando quispiam Sedet, quam eum iacet. Inter se mutuo eundem ordinem semper retinent. Vt cumq; enim res se habent, caput est pars suprema collo cum stomacho vnita, & brachia humeris appendent, & sic de alijs. At in ordine ad locum aliam penitus situm, cum pronus, vel obliquus, aut supinus iacet.

Tex. 6. Habitus demum est

adiacentia vestium, & omnino indumētorum, vt vestitum esse, calciatum, ornatum, armatam & similia quæ suat species prædicamenti. De quibus hactenus dixisse sufficiat.

¶ *COMMENTVM.*

QVATVOR PRAE dicamentis extense, appositèq; disertis reliqua oportet paucis perstringamus: vt pote quæ, & valde extrinseca sunt, & rara eorum cæteris in disciplinis mentio habetur. Nam de vestito esse atq; loeato haud multa vsquam verba funduntur. Nisi de actione forsan, atq; paßione, quarum frequens est apud philosophos memoria, & sermo:vt pote quæ magnis difficultatibus ob sui forte tenuitatem implicantur. At sex hæc suma breuitate Aristoteles his rationibus (vt opinor) adductus percurrit:quam Gilbertus Porrectanus nimiam merito iudicans paullulum extendit. Ne non tam breuis doctrina videretur, quam nulla. Nam velut fastiditus iam vel aliò properans philosophus hæc scribens omnibus vbiq, gentium visus semper fuit:adeo nec definitiones saltem supremorum generum inducere dignatur: sed exemplis subiunctis in post prædicamenta se se velocißime recepit. Igitur quem nos vniuersos hactenus interpretes sequatos inuenimus, par est, saltem quadam mensura seu censura imitemur adhibita.

¶ *HAEC PRAEDICAMENTA DIFferant à prioribus:quod hæc sunt prædicationes ab intrinseco prouenientes, atq; desumtæ. Nam, vt de substantia ob sui euidentiam sileamus, quantitas, qualitas, & relatio ipsi substantiæ insunt:& à rebus ipsi adhærentibus hæ prædicationes emanant. At posteriora competunt quidem substantiæ, eiq; adiacent (aliàs accidentia realia non forent) omne enim accidens reale est in subiecto. Sed de sumuntur ab eo, quod est subiecto, de quo dicuntur extrinsecum. V. g. Petrus agit, cum secat, aut dolat lignum:dicitur tamen agere ab motu, quem in lignū exterius impraßit. Et dicitur vestitus ob vestem circundatam sibi. Et quandu (vt me esse hodie) ab tempore quod à me longe satis distat. Albus tamen dicor, & quantus, & minor à rebus mihi adhærētibus. Vnde habitudinem, & respectum ad aliud semper hæc prædicamenta dicunt, suntq, relatiua secundum dici. Vt pote quæ nō poßimus vllatenus nisi per habitudinem ad aliquid extrinsecum explicare. Haud tamen secūdum esse: cum me esse vestitum, non sit esse ad aliud, sed habere in me vestem. Sicut esse album. Discrimen est, quòd albedo (à qua albus) inhæret homini:vestis vero circūstat. Idem in reliquis intuitor. Sed hoc exposito, quo cuncta conueniūt, singula deinceps perlustremus.*

¶ *ACTIO EST MOTVS: SED DVplex est actio, manens, scilicet ac transiens. Illa quæ manet in agente:vt actiones sensuum, & appetitus, quæ sunt intra potentias, nec vllibi vnquam egrediuntur. Nam quando audio, sentio, video, intelligo:visio est intra pupillā,*

pupillam, auditas in auribus, cognitio in intellectu, volitio in voluntate. Transiens vero ab agente egreditur in passum. Vt cum ignis lignum comburit, combustio ab igne profecta in lignum transmeat. Inter has actiones inuenitur duplex discrimen. Primo quòd manens non est motus, nec res successiua: sed indiuisibilis qualitas, tota simul integráq;. Visio enim partes nõ habet, sed instanti video. Transiens vero res successiua est, habens partem post partem. Secundo mediante actione permanente nulla materia obiecta attingitur, aut mutatur, quippe intro manens. Vt me cernente parietem: nihil omnino paries ex visione suscipit, nec realiter ab actione attingitur. Sed cum scindo calamum: scisura mutat subiectum materiam. Sed argues: sæpe idem agere in se ipsum actione transeunte, atq; mutante. Vt cum medicus ægrotans sibi ipsi medetur, vel siquis vsq; ad sanguinis effusionem seipsum flagellet. Dicendum, non intelligi quasi exterior materia actionis susceptiua distinguatur supposito ab agente: sat est partialiter, vel virtute distingui. Vt cum manus faciem colaphis percutit, vel virtus diggestiua cibum intectum transmutat. Ars autem medici, & corpus, quo passio suscipitur, multum diuersa sunt. Maxime quòd medicus mediate medetur, scilicet mediantibus medicinis virtuteq; naturæ. Vnde medella est actio realissimè transiens. Ex quibus primo sequitur actionem permanentẽ non esse huius prædicamẽti, quia non est motus, sed qualitates primæ speciei. Vt pote dispositiones conuenientes, vel disconuenientes subiecto, & facile amobibiles. Secũdo in plus est agere, quã actio prædicamentalis. Quoniam dum sensibus obiecta percipimus, dicimur agere, & tamen non est actio motus. Quæ solummodo inuenitur, cum quodpiam realiter immutamus. Quam dũ taxat aduertisse videor mihi Aristotelem cum potentiam actiuam, & passiuam definiuit, dicens: actiua est principium transmutandi aliud: passiua transmutandi ab alio. Vbi immanentes sub nomine passionis potius includuntur. Et ita censuit consequenter huiusce potentias cognoscentes, & appetentes, earumq; operationes passiuas, atq; passiones: de quo alias. Quod vero actio debeat esse motus ostendit philoso. 3. phisico: nos vero illud hoc argumento suadamus. Siquis alium de albat, cũ res alba diu maneat, non censetur tamen, vel ille tamdiu de albare, aut it semper albus fieri: aut dealbescere, sed quã diu tantum alteratio, mutatioq;, actualis perseuerat. Idem apparet in calefactione ferri: in domus constructione. Domus constructa multa tẽpora durat: & tamen architectus non iudicatur construere, nisi quam diu ipsa erectio, vel ædificatio est in fieri. Et quia idẽ motus est actio, & passio: eademq;, res, idem philosophandum est quantum adhoc pariter de passione. Nempe esse essentialiter motus. Sed obijcies ergo solis illuminatio non est actio, vt pote quæ non est motus. Illuminatio enim fit in instanti: motus in instanti fieri non potest. Ad hæc generatio, & corruptio sunt quoq; mutationes momentaneæ: non motus. Primæ obiectioni respondere quis forsan posset: quòd & si fiat instanti, habet partes in subiecto, quibus extendatur, respectu quarum posset dici motus. Sed respondetur quòd illuminatio est actio transiens reductiuè huius prædicamenti. Generatio vero, & corruptio non distinguntur realiter ab alteratione: quæ verè motus est, sed sunt termini intrinseci ipsius alterationis. Vnde realiter sunt motus, intellectu vero mutationes. Quia alteratio incomuni tendit ad qualitatem: generatio ad esse geniti. Sed cum alteratio sit ab generante, vltimatè alteratio tendit ad generationem, & esse producti. Sed hac de re in physica tractabimus.

¶ ACTIONI AVTEM tribuit habere contrarium: vt calefactio contrariatur frigefationi, nec compatitur simul quemlibet sorbere aut flare. Quod etiam veteri scommate iactatur, sorbere, & flare simul, difficile est. Sed contrarietas quidem est primario in qualitatibus, & ratione ipsarum in actione. Illæ enim actiones contrariantur quæ ad qualitates contrarias tendunt. Vnde (vt exponemus) potius opponuntur vt motus, quam vt actiones. Secundo suscipit magis, & minus eadem ex caussa: quia si qualitas intenditur ab agente, & actio videtur intensior.

¶ PASSIO AVTEM EST MOTVS secundum quem subiecta materia patitur. Vnde cum passio multipliciter accipiatur (vt ex præcedentibus constat) sane pro proprietate quarto modo vt risibilitas. Et pro qualitate tertie speciei, & pro passionibus animæ. Hic non accipitur nisi pro

motu producto ab agente in passum. Sed de passione possumus loqui dupliciter, strictè, & largè. Hoc pacto quicũq; motus illatus ab alio dicitur passio: sed si eo mediante subiectum perficiatur, largè dicetur passio. Vt cum aer illuminatur: perfectio eius est illustratio hac atq; clarificatio. Passio propriè est motus præter naturã, & multo melius si est contra subiecti naturam. Vt cum aqua calefit, vel lignum ferrum ve incenditur. Subiectum enim hoc mediante motu trahitur extra suam naturam. Actio, & passio sunt idem motus: ac per consequens actio subiectatur in passo. Quod facili atq; efficaci argumento conuincitur. Si quid ignis cõburentis eius actio esse posset maxime calor illi adhærens, quo calidꝰ est, quẽ cũ semper habeat, semper ageret: si is ipsius actio est: quod tñ nemo sanæ mẽtis iudicat. Secundo cum comburere ignis præexistẽs incipit omnino se habet in se ac antea. Non mutatur, vel quicquam adquirit. Ergo non est formaliter denuo agens ab aliquo sui, sed de nouo tantum est alteratio, seu mutatio ligni. Ergo ab ea, quæ nunc cœpit, de nouoq; surrexit, agens denominatur. Ac proinde actio, & passio est idem motus. Qua in re cernere licet: quam ab extrinseco hæ prædicationes sumantur. Agens enim dicitur ab motu in alio existenti: & patiens ab sibi quidem inhærente, sed quatenus illud inhærens ab exteriori prouenit. Non enim lignũ patitur dumtaxat, quia calefit, sed quia ab alio calefit. Vnde si calefactio nõ inferretur, esset quidem calefactio: sed non passio. Vt stomachus, cũ naturali calore calescit, est quidem calefactio, & non passio. Hæ tamen habitudines actione, et passione importatæ non sunt relationes prædicamentales, sed transcedentales: nec sunt relatiua secundum esse, sed secundum dici. Agens enim esse, seu agere, non est ad aliud esse: sed aliquid agere. Cætera omnino sunt paria in passione, quæ de actione adnotauimus: hoc dumtaxat excepto, quòd passio est illatio actionis (vt habetur in textu.)

¶ *QVANDO VERO MVLTIPLICIter, sane interrogãter: vt quando aduenisti: & relatiue, vt quando sedebas comestum: ego introiui. Sed proat septimum prædicamentum est quod ex commensuratione tempris in re illi subiecta resultat: nempe existere in aliqua parte illius. Res enim mensurantur tempore, non modo quoad operationes, sed quoad subsistentiam & vitam, ex quo prouenit me esse hodie, illum alio in tempore vixisse. Quo circa quando non est tempus, vt pote quantitas continua secundi prædicamenti, sed existentia rerum in tempore, sicut me sedere non est sedes, sed me esse forsan in sede. Species huius entis tot sunt quot partes temporis, seu differentiæ, vt pote ab quarum singulis singulæ colliguntur: vt te esse cras, hodie, hoc mense, isto anno. Et quia tempus res est rebus temporalibus admodum extrinseca patet, & hoc prædicamentum ab extrinseco competere. Et sicut quando denominatio realis est conueniens rebus ex tempore cui subiacent, & metiuntur, ita vbi est quod rebus competit ex quo sunt in loco, vel locus eas circundat, atq; continet, scilicet me esse in loco, in gymnasio, in platea, in Lyceo. Vnde hæc duo prædicamenta sumuntur ex quantitate. Sed argumentaberis: quantitas (vt pote alterum ex primis quatuor) est accidens intrinsecum: ergo hæc prædicamenta illinc extracta, ab intrinseco proueniunt. Respondetur, quòd quantitas est quidem suo intrinseca subiecto: sed potest quibusdam ex quantitate aliena quid reale prouenire, vt tempus accidens est cœli: sed ex hoc cœli accidenti prouenit nobis in temporis partibus, differentijsq; viuere. Et locus est superficies intrinseca aëris continentis: tametsi superficies non dicatur locus nisi respectu locati. Species ergo vbi sumũtur ex multiplici distinctione loci. Nam præter distinctionem textui insertam, vt alius sit locus adæquatus, alius inadæquatus: sunt alia quam plurima, vt esse hîc, vel illic, ĩ mari, in terra (quibus, quia quinto phisicorum exactè tractantur) super sedendum nobis est. Sed omnes in hoc conueniunt quòd contrarium non habent: nam sursum, & deorsum relatiuè potius, quam contrarie opponuntur. De reliquis præter documenta textualia nihil scribendum in præsentia se offert.*

Post prædicamenta. Caput. 10. de Oppositis. Textus. I.



OPPOSITA sunt quadruplicia: relatiua, contraria, priuatiua, contradictoria: relatiue opponūtur quæcumq; sunt ad aliud: vt duplum, & subduplum, ipsum enim esse ad aliud est, in illis opponi. Vnumquodq; enim opponitur suo correlatiuo. In tantū enim dūtaxat inter se pugnāt, oppositio autem repugnātia est, vel repugnantiam claudit. Quo circa hanc relatiua repugnantiam claudunt, vt eidem respectu eiusdem, competere nō possint.

Contraria sunt qualitates sub eodem genere maxime distātes, & mutuo se se expellentes: vt albedo, & nigredo. Sanitas, & infirmitas. Bonū, & malum. Sed sunt in dupli ci differentia quædam sine medio, quæ vocant immediata, alia cū medio. Illa sunt quorum alterum necesse est in sit proprio subiecto: vt sanitas, & morbus, quorum subiectum est corpus animalis (metaphorice enim res aliæ vti arbores infirmari di cuntur) & necesse est corpus nostrū aut valere, vel ægrotare, similia sunt par, & impar. Omnis enim numerus proprium subiectum horum necessario est par, vel impar. At quorum alterum non est necesse insit, medium habent, vt albedo, & nigredo. Corpus enim mistū quod est subiectum coloris, nullo istarū, sed alio affectum sæpe reperitur, vt pallidū, viride, puniceū. Tametsi aliquod particulare intra propriū, & adæquatū subiectum, alterum nō nunquam cōtrariorū sibi vēdicet. Nihilominus absolute medium habent vt calor, & frigus mediant in tepido, & tamen aqua semper est frigida, ignis semper calidus. Hoc autem medium contrariorum quandoq; habet nomen, vt in coloribus, quādoq; caremus illo. Nullū est enim quo eum, qui nec studiosus est, nec vitiosus: quales tñ sunt quam plurimi. Hæc autem contraria quantum ab oppositis relatiue distent: adeo euidens est, vt nulla

persuaſione indigeat. Nullum enim eſt ad aliud, nec propter aliud, vel ad illud referfertur, vt albũ eſſe non eſt nigrum habere, vel efficere, vel quid huiuſmodi.

Tex. 2. Priuatiue opponuntur *habitus & priuatio: quæ eſt negatio in ſubiecto apto ſecundum omnes circunſtantias ſpeciei, & temporis. Vt viſus, & cæcitas: mors & vita: auditus, & ſurditas. Habitus eſt vt vita, viſus: reliqua ſunt horum priuationes ſeu negationes, ſcilicet quando quod debebat videre, nõ videt. Vnde puer, & ſi oculos quam primum in lucem prodit, non apperiat: nec cenſetur cæcus, dunec tempus adueniat, quo proſpicere ſolent. quo circa hæc oppoſita neceſſario verſantur circa idem. Sane vt cæcus non dicatur, niſi quod videns eſſe poteſt, & debuit. Quod incontrarijs minime obſeruatur. Non enim eſt par, quod impar potuit eſſe. Imo numerus par impoßibiliter eſt impar. Sed nec priuatio eſt negatio abſolute, ſicut in contradictione, vt homo, non homo, quæ de omni re ſiue ſit, ſiue non ſit, verificatur: ſed eſt negatio coarctata ad certum ſubiectum: ita vt non ſit pura negatio. Vt mors non dicetur niſi de viuenti. Differunt ergo priuatiue oppoſita ab contrarijs quidem, quòd ambo extrema non ſunt qualitates poſitiuæ, ſicut illæ: ab contradictorijs, quòd non eſt negatio mera, & vniuerſalis ſicut illa: ſed ponit primo ſubiectum aptum, & illi reuincitur.*

Tex. 3. Contradictorie opponuntur *affirmatio, & negatio formalis eiuſdem. Quæ proinde oppoſitio formaliter eſt in ſignis: cæteræ in rebus. Quòd ſi fuerit eiuſdem de eodem, erunt propoſitiones, quarum altera ſit vera, altera falſa. Habent autem hoc contradictoria: vt nullatenus medium habeant. Sed de his aliàs ſufficienter locuti ſumus.*

¶ *COMMENTVM.*



RACTATV PRAEDICAmentorum expleto ſequuntur poſt prædicamenta: quædam. ſ. prædicationes nullam certam ſibi ſedẽ in prædicamentis vendicantes: ſed eorũ pleraq; commitantes. Quarum prima eſt oppoſitio: de qua in ſummulis multa reſoluimus: nunc vero perfectius. Tunc enim de oppoſitione vocũ verba faciebamus: hic rerum. Vbi eſt conſiderandũ quòd oppoſitio eſt quædam repugnantia, & cõſtat, quòd primo res pugnant: & propter illas illarum ſigna. Pugnantia enim vocum ex rerũ oppoſitione manat. Rei autem primo repugnat alia res poſitiua: quæ ideo eſt pugnantia poſitiua. Vt albedo nigredini, calor frigori, ſanitas ægritudini. Repugnat etiam rei frequẽtius & magis nõ eſſe, quod eſt, vel non habere, quod habet. Pugnãtia omnino intrinſica. Nam prior extrinſeca eſt, & ad hãc tendẽs. Calor enim repugnat frigiditati: ſed hæc eius pugnãtia eo tẽdit, ne. ſ. frigiditas ſit. Huic ergo. ſ. frigiditati magis aduerſatur frigiditatẽ nõ eſſe, quã calor: quippe cui propter primũ reſiſtitur. Sed quãquã hæc pugnãtia maxima eſt, haud eſt poſitiua, & realis: ſed negatiua & rationis. Cõſideramus enim quid aut ei, quod eſt, aut ei, quod non eſt, plus repugnet: et inuenimus nihil magis aduerſari, quam enti nõ ens: vel exiſtenti non eſſe, vel non exiſtenti, eſſe. Qua in re ſi de oppoſitione reali ſermo habeatur duplex eſt tãtũ oppoſitio, relatiua. ſ. & cõtraria. In his enim ſolummodo ambo extrema ſunt realia. Tametſi large loquẽdo quæcũq; ſpecies diſparata, & incompoßibiles, etiã prædicamenti ſubſtantiæ, imo & earum differentiæ opponi dicantur, & ad contrarietatẽ reducantur. Vnde omnis diuiſio generis (inquit Ariſtotiles) formaliter datur per contraria. At ſi de oppoſitione abſolute, ideſt, formali ab reali, & ab quacumq; alia abſtrahente loquamur: in tantum vnaquæque oppoſitio eſt, quatenus affirmatio, & negatio eſt. Quoniam nil cuicuiq; magis pugnat, quam affirmationi negatio, aut negationi affirmatio. Quod proinde in omnibus oppoſitionis ſpeciebus inuenitur: licet in contradictorijs, & priuatiue oppoſitis patentius appareat. Sed nihilominus & vtrunq; contrarium negationem claudit alterius. Ipſum enim adeo ſibi mutuo aduerſari oſtendit alterum negationem alterius ſecum habere.

Quam

Quãquam solum, quod imperfectius ipsorum est alterius quasi negatio inter philosophos iudicetur. Praeterea, & in relatiuis praesertim disquiparantiae splendet huiusmodi actualis negatio. Nam herus ex quo habitudinem dicit dominũ, infert saltem respectu sui correlatiui, negationẽ seruitutis. Vnde manat impossibile fore eidem respectu eiusdẽ competere. Harum oppositionum Aristotiles realem aspexisse mihi visus est, dum ab relatiua exorsus est: quae licet realis est: formaliter tñ minima est, & oppositionis formalis minus particeps. Igitur relatiue opponuntur quaecũq; sunt ad aliquid. In quibus oppositio nihil aliud est: quam vnum esse ad aliud, & hoc esse terminum illius. Itaq; idem est esse ad aliud (quod est ipsorum natura) quod opponi. Vnde oppositio non ponit in numero cum relatione. Sed idem est paternitas in patre, & respectus oppositionis, quo formaliter opponitur filio. Et sub eodem nomine significatur in quantum tale relatiuum: & in quantum tale oppositum. Quod in nulla specie alia oppositionis inuenitur. Albedo enim, & nigredo sicut sunt species tertij praedicamenti: ita neutra vt sic, respectum ad alteram dicit, sed in albo aliud est albedo, aliud contrarietas albedinis ad nigredinem. Vnde sub hoc nomine contrarium significatur album, prout opponitur nigro: non sub hoc, album. Quod etiã manifestius lucet in contradictorijs, & priuatiuis. Quem nexum homo habet cum nõ homine, nullum penitus?

¶ SED REPLICABIS. *Relatiua aequiparantiae sunt ad aliud, & tamen non opponuntur relatiue: vt amicus, vicinus, simile, aequale: sed potius cõtrarie, inimico, inaequali, dissimili. Respondetur: quod etiã aequiparantiae pugnant vnũquodq; scilicet suo correlatiuo. Vnum simile suo simili. Oppositio namq; relatiua nihil aliud est, quam esse extrema relationis. Quae si realis est, debent esse duo: & per consequens non possũt coincidere. Tametsi (quod minime inficias ibo) non sit tam euidentius in his, ac in disquiparantiae ob similem vtriusq; germanitatem. Ad argumentum iam inde ad aliquid aduertimus. Quod inimicitia, & dissimilitudo non eraat negationes relationum: sed odij potius positio, & respectus contrarij. Ignoto enim nõ sum amicus, sed nec inimicus. Vnde formaliter quidem disparate se habent: ratione autem fundamenti saepe numero contrariantur: vt amor & odium. Differt autem oppositio relatiua ab reliquis in duobus (vt dicit. S. Tho. 1. p. q. 40. 2. ad. 3. Et. 1. dist. 26. q. 2. art. 2.) primo quòd in caeteris vnum oppositorum tollit aliud, illudq; destruit, imo in tantũ illi opponitur, quatenus illud remouet: & ideo sunt incompossibilia: relatiuũ potius ponit suũ oppositum: tantum abest, vt auferat. Sunt enim simul natura, & dicuntur ad conuertentiam. Si est vnum & reliquum, & demum (vt diximus) posita se opponunt (vt est in dialecticorum prouerbio) & peremta se perimunt: nec patitur alterũ absq; altero permanere. Et nihilominus ob habitudinem ad illud opponitur illi. Secundo quoq; differunt: quod in caeteris speciebus semper alterum extremum est imperfectius altero. Siquidem incõtradictorijs negatio multo inferior, ac ignobilior est affirmatione: & in contrarijs (vt pote duae species eiusdem generis absolutae) non possunt esse aeque perfectae. In relatiuis vero non est opus extrema inaequalia exsistunt: vt patet in simili, in vicino, & amico.*

¶ CONTRARIA *sunt qualitates eiusdem generis maxime distantes, & mutuo sese expellẽtes: vt albedo, & nigredo: sanitas, & morbus. Cuius & definitionis probandae principium est natura generationis. Experimur enim, ex calido frequenter fieri frigidum, ex albo nigrum: ex sano infirmum. Vnũquodq; tãdem fieri ex suo cõtrario. Omnis enim alteratio, & mutatio est (vt habetur primo phisicorum) ab contrario in contrarium: ergo contraria debent esse qualitates eiusdem generis cum omnis transmutatio fiat intra idem genus. Non enim dicimus, vel musicum fieri album, aut album musicum extrema diuersorũ generum, sed album fieri nigrum: aut non musicum musicum. Praeterea ipso euentu cõperimus, quòd omnis mutatio tẽdit in extremã speciem sui generis vt cum albus nigrescit: non potest mutari nisi ad nigredinem vsq;. Vlterius non procedet. Ergo si ab contrario iens incõtrarium, tendit ad extremum: contraria profecto sunt qualitates extremae, & maxime distantes. Quantum. s. possunt intra idem genus distare. Absolute enim magis differunt: quae genere remoto, vel propinquo differunt vt albedini sapor absimilior est, quam nigredo. Enimuero conuenientia generis magna propinquitas est. Ideo contraria non absolute,*

sed restrictim maxime distare censentur. Vt puncta principium, & finis eiusdem lineæ maxime in ea distant: ab alijs tamen punctis aliarum linearum magis distare poterunt. At mutuo se se expellere (quod est tertia pars definitionis) intelligitur, quòd quantum est ex natura sua alterum ulteri positiue repugnat, illudq; propulsat. Nam quodlibet contrarium expellit suum contrariū quippe cum quo est incompatibile.

¶ *SED obycies primo: sæpe reperiri contraria simul in eodem subiecto. Vt animal simul est calidum & frigidum, locus quandoq; humidus & siccus. Secundo arguitur nonnunquam alterum contrariorum non potest ab altero expelli, nec inuicem sibi succedere. Vt ignis non potest esse frigidus: nec nigra nix, nec coruus albus. Tertio albedo & nigredo nusquam se se mutuo expugnant: cum non sint qualitates actiuæ. Ad primum respondetur: necesse fore contraria reperiri eodem in subiecto: tantum abest inconuenientes fore, inueniantur. Nam si mutuo se eyciunt, opus est (dum ineunt certamē) coëant: quippe quæ se ipsis, & non mediantibus alijs pugnant. Ideo se complectantur necesse est: imo contraria sunt arma, enses, & gladij: quibus vna substantia alteram corrumpit, & ibi similem reddit. Vnde se concutiant: vt se tangendo depellant, necesse est. Quomodo calor aquam calefaceret nisi introductus frigiditatem sui tactu, & actiuitate propelleret. De hac re vide Capreo. 1. d. 17. quæst. 2. argum. e. 2. conclu. et Grego. eadem dist. q. 3. ar. 2. Itaq; contraria mutuo se expellere non est, vt eidem inesse parumper non queant: sed nec quiete atq; pacate in gradibus (quod aiunt) perfectis: via tñ corruptionis nihil obstat. Præterea in viuentibus si qua pars carnis calore careret, mortua esset: & tamen frequenter plures frigescūt: igitur simul calorem & frigus habent. Pro secūdo notato aliquando subiectum à natura sibi alterum contrariorum vendicare: & tunc non inconuenit, non poßit illinc extrahi. Non quidē ratione contrarietatis: sed ratione subiecti. Vnde ab alio subiecto (si in alio esse poßunt) expellent se. Vt in his ipsis contrarijs patet: quæ alibi se expugnāt. Pro tertio notato inter contraria, quædam esse qualitates actiuas, quædam paßiuas: calor omnium maxime est actiu9, deinde frigus tertius humiditas: siccitas nihil prope: albedo & nigredo, par & impar sunt paßiuæ: sanitas, & infirmitas videntur actiuæ. Vnde expulsio cōtrariorum est duplex actiua. s. & formalis. Contraria actiua depellent se actiue: cætera formaliter. expulsio autem formalis est ipsamet repugnantia simul coëxistendi.*

¶ *CONTRARIA autē sunt in duplici differentia mediata sane, & immediata.*

¶ *SED DE medio contrarietatis ac contradictionis magna est philosophia. Multifarie siquidem contingit extrema habere medium. Primo ex se mutuo compositum: vt medij coloris viredo, palledo ex extremis cōmista (de quibus prouerbium extat, medium sapit extrema) & hoc pacto virificatur distinctio. s. quòd quædam sortiuntur medium: alia carent illo. Multa enim cōtraria nullum tale componūt, nec in illo coëunt: vt par, impar. Alio modo intelligitur habere mediū verificationis, seu prædicationis: de quo scilicet alterum, vel neutrum contrariorum verificetur. Et in hoc sensu intelligitur propriißime distinctio: cum sit logicalis (nam de priori medio phisicorum est ugere.) Vnde sensus est, quædam cōtraria eße immediata: sic vt necessario alterū debeat subiecto competere, dummodo de subiecto proprio, atq; adæquato intelligatur. Nam cōtraria licet sint circa idem, non tamen indifferēter circa quodlibet. Albedo enim, & nigredo nō cuiuis corpori, sed mixto dumtaxat copetunt. Egritudo etiam, & valetudo nec cuilibet mixto: sed tātum animali. Et ita inuenimus, quodlibet animal aut valere, aut egrotare: nullum datur vtroq; carens. Omnis numerus est par, aut impar. Alia vero esse contraria sortita medium verificationis de quo (etiam cum sit proprium subiectum) neutrū verificatur. Vt albedo, & nigredo: quarū subiectū corp9 mistū: haud tñ omne corp9 huiusce albū est, aut nigrum. Vnde si obycias nulla esse contraria: quæ sic medium nō habeāt. negatur si de proprio intelligatur, vt par, & impar in numero. Extraneum vero conceditur. Lapis nec valet, nec egrotat.*

¶ *CONTRADICTIO est affirmatio, & negatio formalis eiusdem de eodem: ex quo emanat maximā esse opositionem. Etenim illa maior est: quæ maior est repugnantia: et tamen nulla maior est, sed nec æqualis: quam affirmatio & negatio. s. ens, & non ens. Cætera enim penè eiusdem generis sunt. s. entis: contraria, & relatiua sed & priuatiue opposita ad idē quodāmodo*

modo genus attinet. Priuatio enim non tollit radicitus habitum: cum subiectum aptum non relinquat modo, sed sua significatione claudat. Non ens vero nullatenus pars entis realis esse potest. Omnis autem contradictio est ens, & non ens. Quia licet dicas homo non homo: non homo verificatur de non ente. Nam si infinitanter, docet Arist. dici tam de eo, quod est: quam quod non est: quanto melius neganter. Propterea hæc oppositio cæteras constituit, & mensurat. Vnde est prima atq; perfectissima. Reliquæ in tantum opponuntur: quatenus affirmationem negationemq; participant. Ad hæc illa est maior oppositio: quæ absolutius medium non habet. Quæ enim medio conueniunt: haud valde distant. Hæc vero nullitas medij in sola contradictione reperitur. Inter hominem enim ac non hominem nullum prorsus medium, nec abse compositum, nec verificationis impinges: non modo intra idem genus: sed nec in omnibus simul generibus sumtis. Quodlibet enim cuiuscumq; generis, vel est homo, vel non est homo. Vnde aristo. de quolibet (inquit) idem affirmari, vel negari verum est: & adeo verum: vt sit primum omnium principiorum. Eiusdem generis esse: aut circa idem, restrictiones, ac modificationes sunt cæterarum oppositionum, extra quos limites (inquam) vel sine quibus restrictionibus non opponuntur.

¶ SED OBTICIES *quòd eisdem verbis definiunt summulistæ oppositionẽ contrariam, & subcontrariam. Imo oppositio in genere definitur his: nempe vt sit affirmatio, vel negatio eius dem de eodem: et cætera, vt loco præfato fecimus. Ad notandum: quòd reliquæ species oppositionis proprie, & primario sunt in rebus: vt pote res pene reales: secundario in terminis simplicibus qualitates ipsas significantibus: in propositionibus vero imperfectius. Vt album currit, nigrũ non currit: nullam habitudinem habent: cum album, & nigrum sint contraria. Contradictio cõtra propriè est in propositionibus, vbi est exacta affirmatio, & negatio: secundario in terminis: in rebus, nisi fundamentaliter, non est. Quia vnum extremum est non ens, quod esse non potest. Vnde Arist. cæteras species oppositionis constituit in rebus: contradictionem in propositionibus. De qua proinde asseruit semper alterã partem cõtradictionis esse verã alteram falsam. Cũ impossibile sit idem simul esse, & non esse. Ad argumentum autem respondetur. Quòd in summulis & ratio, & locus exigebat: omnis doctrina in terminorum, & propositionum habitudinem exponendam expenderetur: hic vero de rebus quantum fieri potest, quatenus propositiones fundant. Vnde nulla hic penitus memoria subcontrarietatis, aut propositionum contrariarum habetur. A quibus contradictio, nõ in affirmatione, & ñegatione differt, sed in hoc potius (quemadmodum explicuimus) quòd ille habet medium, nõn quidem subiectum, sicut (hæc huius capitis oppositio) sed quoad veritatem, vel falsitatem. Quædam enim sunt ambæ veræ, aut ambæ falsæ. At contradictio tam exacta omni quaq; oppositio est, quòd nec illic summulisticæ, nec hic logicæ mediũ habeat. Itaq; summulisticæ oppositio est in genere affirmatio & negatio eiusdem. Quoniam solum oppositionem contemplantur in propositionibus. Vnde relatiua apud illos non opponuntur, vt pote non affirmatio & negatio: hic vero contraria non sunt affirmatio, & negatio sed ambo sunt affirmationes. Sed replicas, quod nec relatiua habent medium saltẽ realia: sed profecto cõueniunt speciali quodãmodo relatiua: scilicet: quòd depẽdẽt ab se mutuo, & in esse, & in cognitione. Ponunt se simul atq; interimunt: quod in contradictione non inuenitur. Præterea dantur innumera subiecta vtriusq; extremi expertia: vt lapis nec est herus, nec seruus, nec pater, nec filius, nec magister, neq; discipulus, & inter homines ipsos nõ paucos: quibus nullum istorum competit.*

Cap. II. de prio. poste. & simul. Tex. I.

SECVNDVM post prædicamẽtum est prius, posterius, & simul: vt pote quasi incunctis prædicamentis proprietates repertæ. Et quidẽ prius multipliciter dicitur. Sed clarior prioritas est temporis.

Tametsi diuersi mode in hac parte loquimur. Si enim de præteritis famur: prius tempore est, quod à præsenti nũc distãtius est. Sic prius est Æneas romulo, & Alexãder Hanibale. Si de futuris agimus, prius erit quod nobis propinquius. Et secundũ hãc distinctionem: prius tẽpore est, cuius generatio est prior.

Secũda & manifestior prioritas est in dignitate. Quæ enim maxima est in singulis generibus prima vocatur: cæteræ vero, quanto illi propinquiores, vel remotiores sunt, tanto priores, vel posteriores habentur. Vt regia dignitas est prima in politicis, deinde princeps, archidux, marchio comes, & ita in alijs generibus. Hæc autem prioritas primo in potestatibus reipublicæ: per quandam vero analogiam, & in naturalibus. Forma enim dicitur dignior materia, & actus potentia. Sicut enim in illis quanto propinquior primæ, tanto prior dignitas habetur: ita in entibus quanto propinquius primo, qui est deus, aut sane quanto remotius a pura potẽtia, tãto dignius. Purus enim actus, et pura potentia extrema vidẽtur in ente.

Tertio est prius ordine. Nã vbilibet aliqua ordinantur, seu ordo est: aliquid est prius aliquid posterius. Quoniam non possunt se cũcta ex æquo habere. Est autem ordinatio & in toto naturali, & artificiali, & politico. Vnde in omnibus his est prius, & posterius in ordine. Priũs est fundamẽtũ parietibus, prius in syllogismo præmissa cõclusione, prius terminus propositione.

Quarto est prius, à quo non conuertitur subsistens consequentia. Vt prius est animal homine, & esse vniuersale suo particulari. Valet enim est animal: ergo homo: non contra.

Quinto est quid prius natura altero. Nimirum quæ cũ conuertantur subsistendi cõsequentia, vnum est quouis modo causa alterius: vt homo & risibile, & demum species, & eius proprietas. Quæ cum sint cõuertibilia: species

aliquo

aliquo modo caussa est risibilitatis. Nã quia Petrus est homo, Petrus est risibilis. Et cum manifeste eadem generatione vtraq; producatur: quod prius natura est: nō est aliquo in tempore vel in instanti sine posteriori: sed sunt semper simul: & nihilominus vnum est caussa alterius.

Textus. 2.

SImul vero quæ sint, *& quot modis facile ex his prospicitur. Nam in primis: simul tē pore sunt hæc, quorum alterum diximus esse altero prius natura. Et demum simul tempore sunt, quorum generatio est vna eademq;. Simul vero natura, quorũ est mutua subsistendi consequentia, & neutrum est caussa alterius: vt duplum & subduplum. Differentiæ etiam positiuæ diuidentes idem genus, vt rationale, hinnibile, volaptile, aquabile merito censentur simul natura: quia æqualiter idem genus respiciunt: & nulla est inter eas ratio prioritatis.*

Textus. 3.

MOtus etiam certã *sedem in prædicamentis nō habet, sed in multis inuenitur. Ad substantiam, enim generatio, & corruptio est: ad quantitatem, augmentatio, & diminutio: ad qualitatem, alteratio, ad vbi, motus locales. Enimuero generatio est via ad esse: corruptio ad non esse: augmentatio ad maiorem quantitatem: diminutio ad minorem.*

¶ QVOD vero omnes hi motus & mutationes diuersa sint, constat: quum quòd termini sunt distincti: tum quòd vnum sine alio reperitur. Etenim generatur quid, & post modum corrumpitur. Et quandoquis crescit, non decrescit: nec ecõuerso. De alteratione hæsitabant antiqui: an sola reperiretur (& experientia comprobatur) frequenter sola alteratione homines moueri. Vt cũ impense amant, vel odio habent: cum calefiunt: sæpius alterationem tantummodo tunc patiuntur. Itaq; sunt sex species motus: quemadmodum computauimus.

¶ MOTVS vero contrarium, et duplex habet. Nam priuatiue opponitur ei quies finis vel termini: & contrarie motus oppositus. Vt generationi, & iam genitum esse. Palam enim non potest gigni quod genitum est. Et cum via & terminus manifeste opponantur, vt incompatibilia: merito isthæc opponi asseueramus. Et contrarie corruptio. Augmentationi vero, & augmentatum esse, & decretio. Motui locali, iam esse in loco quo quis tendebat: & tendentia incontrariũ locum. Sic ascensus, & descensus opponuntur. Et dealbationi iam album esse, & nigrescere. Per hunc modum non est valde dificile reliqua percipere.

Textus. 4.

HAbere etiã est quædam *denominatio ad nullum peculiare prædicamentum pertinens: adeo plura, & pluribus modis habemus. Primo quidem habemus omnes partes nostras tam essentiales, quam integrales: Deinde omnia accidentia inhærentia: tertio extrinseca, quæ vel possidemus, vel gubernamus: quamquam non omnia æquali iure, vel gradu. Quod manifestius est: quam vt clariorem doctrinam postulet. Maxime cum hæc post prædicamenta fusius, in. 5. metaphisicæ explicentur.*

EXPLICIT LIBER prædicamentorum.

COMMENTARII FRATRIS THOMÆ de Mercado ordinis prædicatorum artium, ad sacræ Theologiæ professoris in libros posteriorum Aristotelis.



PVS HOC POsteriorum inter alios libros dialecticales primas, & eruditione, & dignitate semper obtinuit, quippe quo suprema rationis operatio dirigitur. Nam cum dialectica sit (vt sæpe astruximus) intellectum in suis actibus dirigere: merito libri isti extolluntur, in quibus excellentissimus rationis actus ordinatur: qui est cognitio scientifica. Triplex siquidem operatio assignatur, simpliciũ apprahensio, compositio, & ratiocinatio: quibus singula, & principales partes huius artis correspondent. Priori scilicet, prædicabilia atq; prædicamenta: secundæ peribermenias: & tertiæ reliquæ. Inter quas operationes vltima cæteris mirum in modum præstat. Sed rursus multiplex est ratiocinatio: omnes tamen illa iure præcellit, qua scientia comparatur. Quia ad cognitiones acquirendas omnes pariter tendũt quarum omnium optima est scientifica. Nã triplex mediãte ratiocinatione cognitio comparatur: sane scientia, oppinio, & fides: sed prima est certior, & omnino infalibilis. Quod statim ratione efficaci probabimus. In topicis agitur de syllogismis secundam, & tertiam cognitiones præstãtibus: hic vero de scientiam conferente. Qui proprio nomine demonstratio nũcupatur: quasi conclusionem demonstrans admodum hominis digito quidpiam demonstrantis. Demonstratio namq; ita efficaciter atq; euidenter, conclusionem ostendit: vt intellectui eam demõstret sicuti obtutibus res quæpiam indice signatur. Hæc autem disparilis syllogismorum efficatia, potentiaq; non ex parte formæ (quæ in omnibus parilis est) prouenit (omnis enim sylogismus siue dialecticus, siue demonstratiuus est consequẽtia formalis atq; instabilis) sed ex parte materiæ vt pote valde inæqualis. Materia sunt propositiones, præsertim præmissæ, ex quibus compago syllogismi formatur. Et (vt in summulis insinuauimus) quædam sunt propositiones certissimæ quarum contradictoria nusquam vera cõperientur: vt hominẽ esse animal rationale, tria, & quatuor esse septem. Aliæ, vt in plurimum veræ: rarissime deficientes. Vt hominem decem digitos, manus habere. Aliæ demum contingentes, atq; probabiles. Vniuersæ hæ disciplinis subseruiunt, ex talibusq;, & dialecticus, & demõstrator procedit. Nam quæ sunt dumtaxat apparentes: potius ad decipiendum iuuant, quam ad ueritatem mente capessẽdam cõferant. Et quia propositio signum est rei, & ab eo quod res est, vel non est, dicitur veru, vel falsa: præclare S. Tho, in hoc prologo hanc propositionum varietatem in rerum signatarum differentiam fundauit. Quædam enim sunt omnino regulares: aliæ plerunq;: aliæ contingentes, ac demum quædã aparentes, & sui specie decipienter. Syllogismus ergo constans ex probabilibus generat oppinionem: aut fidẽ. Qui & vocatur dialecticus: quòd dialectici munus sit (vt in probemiali quæstione pandimus) de cunctis probabiliter differere. Sed constans ex necessariis cum reliquis conditionibus producit cognitionem euidentem, quæ sciencia nominatar. Etenim scientia nomine notitiã certam, atq; patentem omnes vbiq; gentium intellexêre. Scopus igitur operis est, docere ex quibus qualibusq, propositionibus demõstratio cõponatur: ac per cõsequẽs de singulis fere partibꝫ etiam minoribus demonstrationis, vt de medio, & maiori, & minori extremitate: cum multis aliis huc spectãtibus, nempe de fine ipso demonstrationis, scilicet scientia. Cuius ocatione, & de opinione, & fide, & eius contraria iguorãtia disputatur. Vt affinium, vel contrariorum collatione melius ipsa demõstratio cognoscatur. Quæ fusius hic pluribus verbis propalare multum olei inutiliter profunderetur.

¶ QVIA vero omnis doctrina ſpeculatiua reſolutoria eſt. In hoc enim ſcientia practica, & ſpeculatiua differũt. Quòd practica, vt pote operatiua ex principijs, & cauſis maxime ex materialibus producit effect9: & quaſi cauſis effectus aggregat. Vnde & compoſitiua appellatur. Vt argentarius auro rudi ſuperponit figuram: in quo quidem naturam imitatur, quæ ex principijs vt ex ſemine generat animal, & ex materia educit formã. Speculatiua vero neceſſarios effectus (quos nunc concluſiones nominemus) iã eductos in cauſſas, & ſua principia reducit, atq; retrahit. Vt cum homo primo ſit rationalis, poſt diſciplinabilis, admiratiuus, atq; riſiuus: has paſſiones per quaſdam conſequentias in ſuum primum principiũ reſſoluit. Hac de cauſſa omnis doctrina ſpeculatiua dicitur reſſolutoria. Inquiſitiua ſcilicet cauſarum, & principiorum: vnde omnes effectus emanarunt: in quibus detegendis omnis ſcientia conſiſtit. Tunc enim ſcire arbitramur cum cauſſas rei vſq; ad primam cognoſcimus. Et quia duo in ſyllogiſmo præſertim in demonſtratione continentur: nempe illatio (quæ eſt forma) & qualitas præmiſſarum (quæ ſunt materia) quorum vtrumq; hac ſcientia reſſolutorie edocetur. Duplex, neceſſe eſt, reſſolutio fiat, altera de forma, quæ quia prior eſt, prioriſtica nominatur, quam nos quinto libro, & Ariſt. in prioribus exercuimus: altera, quæ perpendimus quales ſunt propoſitiones, poſterioriſtica nuncupata. Reſſolutio autem hæc quadã (vt diximus) deductio eſt concluſionis in ſuum principium, ac demum quadam examinatio veritatis ipſius. Si enim recto calle in principium trahitur, veriſſima eſt. Quoniam principia (vt videbimus) ſunt adeo vera: vt falſa ex ſe nulla egredi poſſint. Sicut in loco præfacto ſecundæ figuræ modos in primam reduximus: rurſus hæc in dici de omni, et dici de nullo. Vbi tãquã in principia quieuimus. Ita etiam qualitates propoſitionum. ſ. neceſſitatis, & veritatis illarũ ſunt quædam principia & regulæ in iſto libro tradita: quibus neceſſitas, veritas, ac demum omnis fere qualitas et conditio propoſitionum mẽſuratur. Et quia propoſitiones poſteriores ſunt conſideratione in ſyllogiſmo: ab obiecto poſteriores ipſi libri nuncupãtur: ſicuti illi eadem ex cauſſa priores nuncupati ſunt. Obiectum ſiquidem eſt demonſtratio: cuius natura quo uã pacto per reſſolutionem cognoſcenda ſit, aperitur: cuius reſſolutio cum reſſolutionem illationis præſupponat, poſterioriſtica appellatur. In primo capitulo materiam totius operis inſinuat agens de præcognitis (quæ ſunt præmiſſæ) in quibus præcognitis exponendis omnis ſermo fere futurus expenditur.

Cap. 1. De præcognitis.
Textus. I.

OMNIS DOctrina, omniſq; diſciplina intellectiua ex præexiſtenti fit cognitione. Omnis enim ſcientia eſt de concluſionibus: quarum iudicia ex antecedenti producũtur. Siue enim per propoſitiones vniuerſales procedatur, ſiue per inductionem, expræmiſsis antea cognitis generaliter concluſionis notitia firmatur. Vniuerſalis enim modus quoduis probandi qualibet in diſciplina eſt, aducere aliquot notiora, ex quibus ignotum inferatur. Ea ergo quæ antecedunt præcognita iure nuncupantur.

Text. 2. Sed in demonſtratione: *duo de tribus præcognoſcimus. Tria ſunt principium, vt quodlibet eſt, vel non eſt, homo eſt animal rationale: ſubiectum, vt ens in metaphiſica, & numerus in arithmetica: propria paſſio, vt par, & impar, in numerum: vnum & bonũ in ente. Hæc enim tria neceſſario ſunt in antecedenti. Duo vero illa, quæ de his tribus præcognoſci-*

cognoscimus, sunt an sit res, & quid sit. De principio praecognoscitur esse, id est, praesupponimus verum esse. De subiecto an sit, & quid sit: vt an sit homo, & quid, id est, definitionem, sicut habe ri potest. De propria vero passione quid sit: non tamen an sit, hoc enim conclusione ostenditur.

Text.3. Hæc autem & si præ

cognoscantur haud tamen omnia prius tempore quam conclusio: sed maior propositio cognoscitur prius tempore. At vero quam primum maiorem, & minorem cognoscimus simul, & conclusionē capimus. Quinimo ipsammet conclusionem ante quam in seipsam cognoscamus, quodam modo in ipsis praemissis cognoscimus. Dupliciter enim scire contingit. Vno modo in vniuersali, quae est imperfecta cognitio vt cognoscens in communi animal, illic vtcumq; singula animalia noscit. Alio modo in specie: vt cognoscens hominem esse animal rationale, risibile: quae est perfecta rei cognitio. Quia ergo antea principia cognoscimus, in quibus omnia continētur, quodam modo cognoscimus conclusiones priusquam deduxerimus. Per quod respondetur satis illis, qui hoc argumento tenent nihil nos de nuo scire. Rogant enim an quaerant homines, cū discere aggrediūtur, scire quae sciunt, an quae penitus nesciunt? Et respondendum, quia nec quaerunt scire, quae omnino nesciunt: nec quae penitus sciunt, sed quaerunt scire perfecte, quae ob fuscate cognoscunt: & quae in vniuersali sciunt, quaerunt scire in specie, id est, in seipsis. In quo sciētia consistit. Scientia enim perfecta rei cognitio est.

¶ *COMMENTVM.*



N PRINCIPIO ARIST. *quo nam modo scientia per demō strationem producatur edisserit dicens, omnis doctrina, omnisq; disciplina ex praexistenti cognitione fit. Acturus de demonstratione ab scientia exsistentia, & productione inchoat. Nimirū quòd exsistentia & necessitas mediorum ex fine eiusq; necessitate colligitur. Finis autem demonstrationis est scientiae adquisitio: vt pote ex qua vnica in mentibus nostris infigitur. Sicut enim virtute seminis generatur animal, ita demonstratione scientia. Vt ergo facillime simul, & euidēter demonstrationem esse clarescat, sapienti vsus ingenio scientiam fieri praesupposuit. Non dixit scientiam esse. Quoniam demonstrationis necessitas non tam patenter ex disciplinarum exsistentia in nobis, quam ex ipsarum productione constat. Vnde (vt mox videbimus) plurimi negabant demonstrationem esse, asserentes ab initio natiuitatis ex vtero disciplinas nobiscum educere. Et inde angeli non egent demonstratione, quoniam concreata est illis omnium rerum sciētia. Omnis itaq; doctrina, & omnis disciplina ex praexsistenti fit cognitione. Idem vtroq; nomine explicatur. Nempe iudicium certum alicuius conclusionis: quod quatenus procedit ab magistro nuncupatur doctrina: vt vero in discipulo suscipitur, disciplina. Pro intelligentia huius loci notandum: quòd cum duplex sit pars demonstrationis antecedens, scilicet & consequens: prima plerūq; cognoscitur de se lumine ipsius intellectus absq; vlteriori probatione ob sui euidētiam simul, & claritatem: conclusio vero cognoscitur per antecedēs Dicit ergo quòd omnis sciētia conclusionis fit ex cognitione antecedentis: quod solet esse principium. Non asserit quòd omnis cognitio fit ex alia cognitione (fieret enim processus sine limite) sed quòd notitia conclusionis fit ex cognitione praemissarum. Quo certe nihil euidentius est. Cum (vt textus arguit) tam vniuersale sit apud omnes gentes, imo tam naturale omnem conclusionem suo antecedēti probari, atq; corroborari. Haec enim est natura, & substantia discursus: adducere scilicet aliquot rationes, quibus intentum inferimus. Omnis ergo scientia illati ex antecedentis notitia generatur. Vnde merito antecedēs cognitio praexsistēs saltem respectu suae conclusionis iudicatur.*

¶ SED OBIICIES: *si omne iudicium certum conclusionis fit ex praexsistenti praemissarum: cum antecedēs, licet non illo in syllogismo, sed in alio: probari, possit, iudicium atq; notitia illius fiet ex praexsistenti cognitione, & sic in infinitum abiemus. Respondetur saepe quidem euenire, vt antecedens huius demonstrationis sit alterius conclusio. Vt maior huius, omnis homo est risibilis, petrus est homo: ergo Petrus est risibilis, est conclusio huius: omne animal rationale est risibile, omnis homo est animal rationale: ergo omnis homo est risibilis. Sed tandem deuenitur in singulis, & in omnibus generibus ad aliqua ante-*

antecedentia prima: quæ non sunt conclusiones: & ita præcognita, vt non præcognoscantur ex alijs. Vt in scientia de homine hæc, homo est animal rationale non concluditur demonstratione, sed ipsa est prima huius generis cognitio, & ita in cæteris: quæ suapte natura intellectus intelligit. Sicut deus enim orbe condito rerum species creauit, quibus semina ad sui multiplicationem indidit (ex quo semine omnia post modum indiuidua in singulis speciebus procedunt) ita in vi ta intellectiua dedit quædam principia semen omnium conclusionum. Conclusio enim germē est atq; fætus principiorum, ad quæ cognoscēda intellectus de se est sufficiens. Quorum ideo cognitio quodam modo naturalis censetur: notitia vero conclusionis adquisita, & labore parta.

Adiecit intellectiua, cum non sit restrictio tamē dictionis præcedentis, disciplina. Quippe cū propriè non sit doctrina, si non est intellectiua: quoniam hæc intrinsece est cognitio intellectualis. Cognitio enim sensus doctrina esse non potest. Quia hæc est quædā notitia rei, per suas caussas: sensus vero non valent hunc efluxum effectus ex suo principio cernere: qui tantum sunt de accidentibus apparentibus. Vnde Arist. 1. metaphisicæ nullum (inquit) sensum putamus sapientem: quia de nullo dicunt propter quid. Vt propter quid calidus est ignis: sed quia calidus est. Deinde cum quantum ad sensus omnes fere simus æquales, & belluæ illos nobis subtiliores habeāt: aut illæ sapientes essent, aut nos æqualiter sciremus. Nec (vt alij arbitrantur) excluduntur illa particula angelorum scientiæ: licet reuera non fiant ex praexsistenti cognitione. Vt pote multo excellentius intellectiuæ. Si diceret, rationalis, forsan excludebantur: sed Aristotiles dixit intellectiua: vt illo circūmloquio explicaret sese de disciplinis, & artibus nostris loqui.

¶ IN TEXTV *sequenti panditur quæ, & quot sint isthæc præcognita. Et quidem sunt duo de tribus. Duo sunt, an sit, & quid sit. Tria vero principium complexum, subiectum, & propria passio. Vbi est considerandum, quòd etsi omne iudicium conclusionis procedat ex præexsistenti cognitione antecedentis, sicut non omnes conclusiones sciuntur (quædam enim opinantur, aliæ fide tenentur) ita oportet antecedens (ex quo cōclusio scientifica infertur) aliquot peculiares cōditiones habeat, & non indifferenter ex quibusvis partibus constet. Debet enim esse tale, vt sciētiam (quæ præstantissima notitia est omnium adquisitarum) efficere possit. Et quidem in antecedenti possumus considerare partes principales (quas præmissas appellamus) quæ sunt propositiones, & minores .s. terminos (ex quibus illæ præmissæ contexuntur) is enim ordo sæpissime in summulis insinuatus est. Præmissarum ergo altera debet esse in demonstratione principium (vt homo est animal rationale) in scientia de homine: numerus est multitudo vnitatum in arithmetica. De quo principio præcognoscitur esse, sicut esse propositionibus competere potest, formaliter sumtis. Sic enim demonstrationem ingrediuntur, sane esse verum: non autem præsupponitur quid sint, quoniam complexa definitionē non habent: & plerumq; istud principium est ipsa integra definitio. Extrema vero sunt subiectum, & propria passio, subiectum scilicet scientiæ (de hoc enim proprietates concluduntur) vt in phisica ens mobile, in geometria quantitas continua. Et de hoc præcognoscitur vtrumq; scilicet, esse & quid. Vt an sit ens mobile, & quæ sit eius essentia, & quidditas? Sed quomodo frequēter est vera scientia de obiecto re vera non exsistente, vt scientia de rosa in hieme? Notandum quòd ly esse in præsenti non significat debere rē in seipsa exsistere, sed in suis caussis, vel sicut esse possibile est in suis indiuiduis, & quando esse solet. Vt includamus pariter entia rationis (de quibus disciplinæ rationales tractant) & demum esse subiectum est, vt sit res possibilis in natura secundum suum genus. De propria autem passione ꝑcognoscitur quid, idest, definitio. Quæ quia frequenter est descriptiua: dixit Aristotiles præcognoscendum esse de illa quid significat nomē. Sed quia definitio rei est ratio significata, per nomen idem est vtrumq; dictum. Non præcognoscitur de illa esse. Quia hoc ipsum demonstratione ostenditur. Esse enim illius est inesse subiecto. Cum generaliter esse accidentis sit inesse: & in syllogismo demonstratur propriam passionem subiecto adhærere. V. g. in hac demonstratione omne animal rationale est disciplinabile: omnis homo est animal rationale. Ergo omnis homo est disciplinabilis: vtraq; præmissa est principium: quarum veritas sine probatione demonstratiua suscipitur. Homo subiectum: de quo præcognoscitur esse rem naturalē possibilem in suis caussis,*

non

non fictã vt chimera: disciplinabile proprietas de qua noscimus ante quid sit, vt sciamus quid de homine prædicatur. Ex his cognitionibus omnis scientia de homine procedit.

¶ SED EST valde considerãdum, quòd præcognosci in præsentiarum non est dumtaxat ante conclusionem ista noscantur: quod tamẽ ipsa ethimologia atq; cõpositio nominis præ se fert. Sed est ita præcognosci, vt absq; demonstratione, & ita esse, & verũ esse præsupponatur, quia demonstrari certe non possunt. Vt cognita natura demonstrationis illico patebit. Nam debebãt demonstrari per alia principia priora: & tamẽ hæc tria, & duo sunt prima in suo genere, & ideo sunt indemonstrabilia. Sunt enim velut semen vnde vniuersa soboles conclusionum procreatur. Itaq; in hoc, quod asserimus esse præcognita, dumtaxat excluditur, ne demonstrentur. Qualibet autem alia minor probatio minime respuitur. Scilicet vt exemplis explicentur à magistro, vel inductione muniantur, vel auctoritate magni alicuius philosophi, aut plurimorum iuuentur. Vnde Aristotiles dicit quòd cõtra negantes principia non est arguendum in illa sciẽtia: sed hoc pertinet ad metaphisicam, & ad dialecticam. Nempe vt probabilibus argumentis principia corroborent. Quod manifesta ratione ita opus fore probatur. Quid enim caussæ est: vt omnes etiam philosophi nõ omnia principia cuiusuis artis agnoscant, nec dum vulgares, vt arithmeticus nescit sæpe principia politici, & moralis etiam ignorat quandoq; principia musicæ: nisi quia non dũ illis exposita, vel persuassa fuère. Sed de hoc re agit ex professo Aristot. 3. c. Eodem temperamento, seu commento intelliguntur, et cætera præcognita: vt de subiecto an sit, & quid sit. Sane vt non demonstrentur: sed necesse est tamen, vnaquæque disciplina obiectum definiat. Nam definire illud est præcognosci quid sit. Etenim vnaquæq; res per suam definitionem intelligitur: imo potest, & debet (si opus fuerit) definitionem explicare, & persuadere: sicut vsus vniuersalis omnium disciplinarum confirmat. Quæ in prima sui parte, sua principia enucleât atq; inuestigât: & ex principijs expositis in secunda parte conclusiones demonstratiue deducit.

¶ IN TEXTV tertio philosophus aduertit sapienter, quòd & si totum antecedens præcognoscatur, haud tamen totum prius tempore quam cõclusio: sed is est ordo. Vt maior seu principium prius tempore cognosci possit. Vt possum nosse hominem esse animal rationale, priusquã sciam Petrum esse animal rationale: quod est conclusio: sed ambæ præmissæ non contingit simul cognoscantur, quin vná conclusio intelligatur. Quòd experientia comperimus. Constructa enim demonstratione, quam primum iudicamus de veritate præmissarum, easq; callemus: illic e vestigio veram esse conclusionem dignoscimus. Sed quia notitia antecedentis caussa est iudicij conclusionis: totum & integrum antecedens est prius natura cognitum quam conclusio. Quia omnis caussa prior est, saltem natura suo effectu in eo quod caussa est. Vnde si est caussa cognoscendi aliud, prius adminus natura cognoscẽda est. Vbi est considerandum, quòd omnia præcognita hic à nobis exposita: illa duo scilicet de tribus, prius etiam tempore possũt seorsum seu frustratim sumta esse præcognita, scilicet principium & subiectum, & propria passio, & esse & quid sit (vt manifestissime constat, & ratione confirmatur) quia simultas hæc tẽporis cognitionis antecedẽtis, & cõclusionis ratione minoris est: quæ non est alterum ex præcognitis. Vt pote quæ maiorem conclusioni consuit atq; adglutinat.

¶ IN TEXTV QVARTO quia præcognitorum meminerat, & quòd simul tempore antecedens, & conclusio percipitur, addit, quòd conclusio etiam priusquam inferatur, iam aliquo pacto cognoscitur. Sane in principio præcognito. Nam quemadmodum dicũt philosophi, quod antequam leo generetur aliquo modo erat, videlicet in potentia, et virtute seminis, seu materiæ: ita cum principia semina sint conclusionum: in principijs cognoscuntur. Et sicut effectus præexsistunt in suis caußis, ita conclusiones noscuntur in suis principijs. Sed hæc cognitio conclusionis in simili principio complexo est quidem perfecta ipsius principij: sed tamẽ imperfecta conclusionis. Et differt adeo cognosci in seipso vnumquodq;, vel in tali principio, quantum distat rosa ab se in se exsistens, vel in sua caussa: & quãtum refert omnibus esse quid iam in actu, vel in potentia. Et quantum distat diuitem esse quẽpiam aut sapientem, vel posse diuitias aut sapiẽtiam comparare. Sed nihilominus sicut perutile

est

est agricola semina habere, ita multum iam didiscit, qui principia recte callet. Rite enim ista callere est fruges feraci iam telluri seruisse. Et nō est seges intellectualis tot periculis & infortunys subiecta. Imo nō potest fieri quin principiis absq; errore susceptis intellectus modico study labore magnam conclusionum segetem producat.

¶ HOC DOCVMENTO *vult Arist. & opinionem Platonis refutari, & ipsius argumētis solutionem patere. Is enim (vt patet in Menone & Timeo) arbitrabatur in nobis scientiam nullatenus, vel ex præexistenti cognitione fieri; sed ab natura congenitam esse. Vt quemadmodum intellectus potentia atq; voluntas nobiscū congenerantur: ita & habitus disciplinarum. Quod duplici argumēto ostēdebat. Primum aduersarios rogabat (is enim mos arguendi fuit platoni perpetuus, & admodum gratus, nempe interrogationibus & responsionibus quæstiones ventilare, vnde coloquis semper suam philosophiam scripsit) rogat ergo quid scire quærat addiscens, vtrum quæ omnino nescit vel quæ iam scit. Primum dari non potest, quia nemo quærit quod penitus ignorat: hoc enim (vt dicit commentator) etiam si obuiet, nō cognoscet. Præsertim, quod quærens necesse est finem inquisitionis in mente secum statuat: cuius inuentionis seu consequtionis appetitu ad laborem operis, sese accingat. Omne enim agens agit propter finē, maxime homo, cui proprium est, finem ante quam assequatur, agnoscere. Igitur nemini vnquā cupido incidit sciendi quod penitus nescit, quia nihil est volitum quin præcognitum. Sed opus est, quilibet noscat quod inquirit. Iam ergo sciebamus, & per consequens nulla scientia de nouo producitur. Secundo in singulari eosdem rogabat, scis omnem dualitatem esse parem, respondebant, scimus. Tunc inclusis vola duobus lapidulis subsumebant: ista est dualitas: ergo scitis hanc dualitatem esse parem. Et sic omnia antea noscitur. Sed quia diutino magnoq; pueritiæ torpore rerū obliuiscimur, exercitatione post modū literarum reminiscimur. Vnde prouerbio apud eos, ferebatur, nostrum discere est quodam reminisci. Horum error ex alio priori errore oriebatur. Nam sicut omnis doctrina, omnisq; disciplina ex præexistenti fit cognitione, ita falsitas ex alia præcedenti falsitate dimanat. Et sicut maxima veritas est principiorum, ita perniciosior deceptio est error circa principia. Est autē principium in phisica, quòd inter nihil & ens absolute, seu ens actu est medium: s. ens in potētia, ex quo fiunt entia in actu. Sicut inter statuā & omnino nihil est medium videlicet lignum rude, quod est in potentia statua, licet modo nulla ei figura inducta est. Isti aut arbitrabātur, quod ens actu nō erat: nihil erat. Præterea quòd inter nihil, & perfectum nil mediu hbet: ideo rogabant an quæreret quisq; quæ omnino ignorabat, vel quæ penitus sciebat, quasi non daretur medium inter perfectam cognitionem, & purā ignorantiam. Nos vero putamus intellectum in disciplinarum productione imitari naturam. s. vt ad perfectam notitiam per imperfectam accedat. Et ita dupliciter scire contingit. s. perfecte & imperfecte. Omnia quodā modo nostrapte virtute cognoscimus quatenus semina, idest, principia à natura docētur, vnde possint innumeræ conclusiones prosilire. Scire has in suis principys imperfecta scientia ipsarum est. Quærimus ergo cum discimus, scire absolute, atq; diserte, quæ in confuso cognoscimus. Scire actu, quæ in potētia. Et quemadmodum aqua calida conatur sese de potentia in actum frigiditatis sibi naturalis reducere, ita qui student cognitis principys conantur omnes conclusiones callere. Quærimus ergo vt dicit textus scire perfecte, idest, in seipsis, quæ in alio cognoscebamus. Ad horum argumentum respondetur sufficere finē sibi quisq; in confuso proponat. Vt qui denuo arithmeticam addit, apprehendat confuse se se artem aggredi de numeris, eorumq; proportionibus agentem, scilicet quotuplex sit numerus, ipsorumq; comparatio. Quæ cum ignoret, omnibus neruis nosse laborat. Secundo dicimus, quòd maior quidem de se nota est, & in ea vtcumq; conclusio, sed vt hæc de se quoq; pateret, necessū erat minor respondenti constaret: quid scilicet pugillo concluderetur. Consequentia ergo nulla est, & variatur appellatio.*

VTRVM TEXTVS habeat verum.



RIMO SI FVNDAmētum foret verum, quòd omnis doctrina &c. procederetur in cognitionum serie in infinitum. Quòd si ditae: statur in principijs. Contra. Proprius modus cognoscendi principia est expirentia, & inductio (vt habetur primo methaphisicæ) dum ex multis singularibus expertis vniuersale colligitur. Vt hoc principium, ignis est calidus repertum fuit: quia experti sunt sensu hunc & illum calefacere. Iudicium ergo principiorum ex praexsistenti fit cognitione, nec finiunt ipsa cognitionis progressum. Secundo in idē iam quòd in sciētijs propter principiorum euidentiam processus intercidatur, in oppinionibus & fide (quæ tamen etiam fiunt ex praexsistenti cognitione, vt pote doctrina, & disciplina) nō videtur quomodo possit intercidi. Quia præmissæ, ex quibus emanant, non possunt esse de se notæ: aliâs nō possent oppinionem & fidem, cognitiones scilicet inenidentes, parturire. Et tamen si de se notæ non sunt, necessario inotescent per alia: & sic absq; limite, aut meta gradiemur. Tertio nomine doctrinæ alterum trium potest intelligi scilicet notitia apprahensiua, iudicatiua, vel habitus: quorum nullum fit ex praexsistenti cognitione: vt pote qualitates simplices ex nullis alijs cōpositæ. Quarto in id quòd cognitis ambabus præmissis simul tempore cognoscitur conclusio. Ipse processus ex antecedenti in consequens, est quiddam discursus, & motus intellectualis. Cū ergo discursus sit successiuus, non poterit eodem tēpore totus simul esse. Maxime docente S. Tho. 1. p. quæst. 85. quòd non potest intellectus simul multa intelligere. In contrarium est auctoritas philosophi.

¶ PRINCEPS QVAESTIO HVIVS loci est de doctrinæ disciplinæq; generatione. Quæ hoc tempore tam de se ratione & experiētia magistra iam cunctis palam est, quam eno Aristotilis, abdita atq; dubia. Et quidem nomine scientiæ proprie intelligitur habitus. Nā quatuor sunt in scienti (tametsi alterum dumtaxat illorum scientia esse queat) primum species obiecti, deinde cognitio actualis, noticia scilicet apprahensiua, mox iudicium, quo, de re apprahensa iudicamus, & quarto habitus. Ex quibus secūdum nec tertium scientia esse possunt. Prima: quia nomine sciētiæ omnes intelligunt quid permanens etiam in dormiente, & actu non considerāti. Vt homines scientes sint, & appellentur alijs rebus dum vacant: si virtutē habeant: qua cum vellint repente philosophari possint. Vnde potestas potius & quiddam status nomine sciētiæ significatur, quam actio. Secundo scientia secundum omnes est optima dispositio subiecti: nulla autem dispositio est finis: cum intrinsice ordinetur ad aliud. Ex quo enim quicpiam dicitur disponi, intelligitur ad aliud assequendum disponi. Cognitio autem & iudicium rei non ordinātur ad aliud: sed sunt studij, & laboris finis. Vnumquodq; enim est propter suam operationem. Quod maxime conuincit scientiam esse habitum, de quo fantur omnes, ordinari, exigiq; propter operationem. Præsertim de notitia apprahensiua arguitur. Apprahensia non est doctrina, nec disciplina. Quis enim non passim apprahendit, etiam sermones vniuersales, qui tamen minime ob id doctus censetur. Sed doctum vocant homines ab ipsa natura instructi, potētē de re qua piā perfecte iudicare. Et secunda: quia palam notitia apprahensiua non competit fieri ex praexsistēti cognitione: sed tantū opus est speciebus obiecti. Species autem scientia esse nō possunt. Primo quia eodem modo philosophamus de sciētia, ac de virtute (amba sunt dispositiones subiecti ad optimas operationes) scientia ad actus vitæ contēplatiuæ: virtus ad actiones vitæ actiuæ. Sciētia est thesaurus intellectus. Vnde ad sui alimentum diuitias extrahat: virtus autem voluntatis. Quo circa Arist. de habitibus loquēs pariter de ambobus exemplificat, & tamen virtus non est species obiecti, Quot enim similibus speciebus referti sunt omnis virtutis ex partes! Igitur nec scientia est species. Præterea scientia adquiritur post multum temporis atq; sudoris: species vero etiam ordinatæ atq; dispositæ rationem habent prioris, atq; principij. Primo enim acquiruntur, ac ordinantur, deinde est apprahensio, & iudicium. Superest ergo scientia sit habitus. Cui omnes patrocinātur. Primo Arist. in cap. sequenti dicit. Quòd per demōstrationem comparatur scientia: & tamen non producuntur demostratione species, sed habitus: ergo. Et in prædicamento qualitatis, & septimo phisicorum loquēs de habitibus dicit, vt sciētia, virtus,

virtus, pulchritudo, sanitas, idem tenet doctor sanctus.12.q 49.

❡ SED QVAMQVAM *proprie loquendo scientia sit habitus: in præsenti tamen doctrina & disciplina sumuntur etiam pro iudicio cōclusionis. Quod eo manifeste conuincitur, quòd extēdit axioma philosophus vsq; ad rationes suadentes, & inductionem: per quas nullus certe habitus producitur: sed quodam indicium oppinatiuum vel fidei Haud enim quoties quid credim9, vel oppinamus: habitus gignitur, sed actus iudicij. Vnde degeneratione habitus in præsentiarū non multa verba faciemus: ob id, quòd vniuersalior materia est & ad altiores facultates spectās. Quam tractat Arist.4. & .5. ethicorum. S.Tho. 12.q.51. & doctores in.3. Sed contractim quatenus est scientiæ productio, nomine scientiæ iudicium, & consequentem habitum etiam intelligentes. Quod multipliciter probatur. Primo cū verum, & ens sint idem, eadem sunt penitus caussa entitatis in singulis, & veritatis: & cum res eodem modo se habeat ad cognosci sicut ad esse: sit, vt sicut esse rei caussam habet, ita, & eius cognitio, & quam optime ex cognitione caussarū cognitio conclusionis procedat. Confirmatur, nō melius quisq; nosse potest hominem. V.g. esse risibilem, quam per hoc, quòd est admiratiuus: cognitio autem scientifica rerū (quæ sciri possūt) est optima: ergo omnis scientia ex præexsistenti cognitione fit præmissarum. Hæc ratio colligitur ex re scita. Ex qua percipies quòd cognitio seu iudicium rei caussam & principia sui non habentis non est proprie atq; exacte doctrina, nec disciplina, si tamen vt est, intelligitur. Quoniam non fiet ex præexsistenti cognitione. Et quia multæ sunt tales (vt tertio capite videbimus) apparet haud omnium esse scientiam, seu demonstrationē. Secundo ex parte intellectus. Constat enim quòd solus ipse non esset sufficiens caussa scientiarum (aliâs omnes essent philosophi: cum vniuersi intellectum discursiuum participent) vnde opportet, addantur aliqua principia intellectui, quibus coniunctus possit. Principium vero complectiuum ipsius intellectus (cum quo adunatus scientias producere potest) est principium ipsius rei. Vnde S.Tho.12.q.50. dicit: quòd vis intellectiua, secundum quod ratiocinatur de conclusionibus, habet sicut principium actiuum sui actus propositionem per se notam: quod rationi maxime constat. Singula enim genera operationum necesse est, propria habeāt principia, vnde fluāt. Haud enim eadem integra, adæquataq; caussa est diuersarum operationum genere. Nam ipsæ actiones specificantur ab agente, & principio. Impossibiliter ergo ab eadem adæquata caussa specificabuntur plures species actionum, ideo opus est diuersa sint in similibus principia. Intellectus autem possibilis & agens idem incunctis permanent. Præter quæ ideo alia exigūtur. Quæ certe nulla alia sunt, quam ipsius rei cognitæ principia. Et ita omnis doctrina, omnisq; disciplina ex præexsistenti cognitione fit. Sed rogas in quo genere principia concurrant? proculdubio in genere caussæ efficientis, vt Arist. expresse asserit secundo phisicorum, & S.Tho. loco præallegato. Vbi est considerandū li: EX, dicere omne genus caussæ, maxime materialem & formalem, & efficientem. Ex materia & forma cōponitur res naturalis, ex forma emanat esse, ex his parentibus genitus est plato, & ex fine colligitur necessitas mediorum. Vnde cum dicimus fieri ex præexsistenti cognitione, non opus est, materialiter intelligatur. Præsertim cū sint qualitates simplices quarum neutra potest esse alterius materia, Deinde distinguntur genere. Alterius generis est cognitio principiorum ab cognitione conclusionum. Et ita sunt principia, & caussæ æquiuocæ (vt post modum patebit) sed tamen est aduertendum. Quòd præmissæ seu earum iudicium est caussa efficiens iudicij conclusionis: & tota demonstratio flatim, idest, antecedens, & consequens est caussa habitus. Nā ipsum conuinci intellectum efficatia demonstrationis producit habitum. Quia habitus nihil aliud est quam determinatio ipsius potentiæ, atq; dispositio: quæ deinceps bene hanc operationem, & hocmet iudicium elliciat, exerceatq;. Et quod vnico actu demonstratio propter sui virtutem, ac vehementiam facit: inclinare scilicet, & totaliter determinare potentiam: faciunt multi actus morales studiosi, vel vitiosi. Quoniam singuli non sunt ita fortes, atq; efficaces. De quibus proinde intelligitur prouerbium: ex multis actibus generatur habitus.*

❡ IGITVR *ad primum argumentum est notandum: quòd sicut principia carent principiis per quod cognoscantur: sed ipsa sunt prima, &*

per se nota:ita ipsorum cognitio non est doctrina disciplina ve, nec fit ex praexsistēti cognitione sed ex se ipsis. Et deinde natura dedit nobis principium cognoscendi principia, quod vocatur intellectus principiorum. Quod est velut semen vnde cæteri exercitio & cultura adhibita profluant. Sicut habitus productus conclusionū est principium easdem cognoscendi & habens habitum similem idoneus, & aptus conclusionū philosophator est, ita prope à natura cum inditum principiorem habitū habeamus, possumus principia suapte ingenio percipere. Sed quia quo ad nos nonnunquam obscura sunt, de per accidens probantur, vel experientia, vel inductione. Sed nec in his proprie fit assensus ex præexsistenti cognitione. Quia cognitio antecedētis atq; iudicium idem est cum indicio cōclusionis: vt pote eiusdem penitus rei, tātum sicut vniversale, & particulare differentes. Nam quòd iste ignis calefaciat, idem est quod ignem calefacere. Vnde merito asserimus: quòd statur in principijs. De secundo. s. degeneratione opinionis, & fidei (cum inferius sit aptus locus) breuiter nunc insinuandum est. Et quidem tam fides quam oppinio procedunt vltimate ex principijs euidentibus. Sed cum ad scientiæ productionem duo concurrant, bonitas illationis & necessitas principiorum: quodlibet defficiat, scientia nō efficitur. Ergo siue quia consequentia non est bona licet principia sint certa, seu quia præmissæ sunt probabiles tammetsi illatio sit legitima, non scientia, sed oppinio producitur, vel fides. V. g. hic prædicamenta sunt partes entis realis: ergo omnia inter se distingūtur realiter: antecedens est principium, & producitur oppinio. Quoniam consequentia claudicat. Sed hic: optima potentiæ operatio optima est felicitas in homine, sed intellectus est potentia præstantior: ergo in actu intellectus consistit. Consequentia est bona, sed minor in certa. Ideo concluditur oppinatiue. Idem dicito de fide. Vnde nullibi in habitibus, disciplinis ve in infinitum proceditur.

¶ IN QVARTO nouelli dialectici se se cruciant ac affligunt quærentes solicite quo modo simul tempore præmissæ, & conclusio noscantur? Sed notandum: quòd simul vtramq; percipi non est, quòd notitiæ appræhensiuæ simul formentur (vt pote cum successiue prius formetur antecedens, deinde consequens) imo ante sæpe subiectum, quam prædicatum. Quoniam sicut audimus, ita concipimus. Sed sensus est de iudicio. Sane quòd formata integra demonstratione & illationis bonitate cognita: quam primum antecedens quis indicat assentiendo verum esse. percipiet, idest, assentiet pariter conclusioni quantum est saltem ex parte ipsius actus & obiecti nullam moram postulantium: sed ex parte hæbetudinis, tarditatis, erroris aut ignorantiæ hominis poterit, vel impediri iudicium, vel cūctatio aliqua interesse. At si ingeniosus, & attentus est, ex templo absq; mora consentiet. Secundo potest quis, & hoc temperare dicens, non intelligi eodem instanti: sed quam citissime: ita vt nulla sit mora, ac protractio tēporis perceptibilis. Nihilominus etiam stricte loquendo nihil obstat, quim eodem nunc conclusioni assentiat. Quia actiones intellectus sunt instantaneæ. In quibus licet altera sit caussa alterius eodem instanti, vtraq; peragitur. Ea enim caussa necesse est solummodo effectum præcedat, quæ egerit motu: aliæ vero minime. Nec mirum cuiq; videri debuit: duo indicia intellectus eodem tempore sibi fabricet, etiam si alterum caussa alterius exsistat, cum videat eodem instanti & phebum nostrum hemisferium accendere & totum etiā quam vastissimum illuminare, eodemq; nunc & expelli formam ligni, & introduci formam ignis, & tamen vnum est prius natura altero, & forsan vtcunq; ratio vel caussa saltem sine qua non.

Cap. 2. De modis sciendi, & demonstratione.

Textus. 4.



CIRE TVNC arbitramur vnamquāq; rem simpliciter non sophistice per accidens, cum caussam ob quam res est, illius esse caussam, & fieri non

posse

posse, vt aliter se se habeat, cognoscimus. Quod ex cōmuni omnium existimatione probatur. Non enim putant homines se se quicpiā scire, donec hæc duo de re scita cognoscant. Demonstratio autem (vt omnes pariter iudicant) est syllogismus faciens scire. Vnde si scire est rem per propriam caussam cognoscere: demonstratio debet procedere ex veris, primis, medioq; vacātibus, ex notioribus, & prioribus, & caussis eiusdem. Quoniam si hæc habuerit: non poterit, non ex proprijs caussis quoq; procedere: quod tamen est maxime requisitum.

Tex. 5. Ex veris opportet *procedat: quando conclusio debet esse vera: falsitas autem caussa veritatis esse non potest. Ex veris ergo (si ex caussis) opus est demonstratio inferat. Maior vero prob. Quod non est, non scitur: vt diametrum esse commensurabile costæ. Falsum autem non est. Maior constat. Quoniam quod scitur est perpetuum, cum aliter se se habere non possit. Quod ergo nusquam est, vt huiusmodi falsa, tantum abest, vt sint perpetua, non scietur. Ex primis medioq; vacantibus, idest, ex primis principijs, & caussis, ac per consequens ex indemonstrabilibus. Primum enim & principium idem sunt: principia vero indemonstrabilia sunt. Ex his debet procedere: quia tunc scimus, cum caussas rei cognoscimus: ac proinde ex prioribus & notioribus: cum caussæ sint priores ac notiores suis effectibus.*

Tex. 6. Sed est notandum: *quòd notius esse contingit dupliciter: sane secundum naturam, & quoad nos. Idest, notiora simpliciter, vel quoad nos: & secundum se, & quoad nos. Haud enim eadem sunt nota nobis & natura. Notiora secundum se sunt remotissima a sensu, magis vniuersalia: nobis vero singularia, vt pote sensui propinqua. Demonstratio vero potissime dicta ex prioribus secūdum se debet procedere. Tota igitur vis demonstrationis penè eo consistit, vt ex principijs proprijs procedat. Est autem principium propositio medio vacans: ea vero medio vacat, qua non est altera prior. Propositionum vero alia est Dialectica, alia demonstratiua. Dialectica est probabilis, cuius contradictoria potest esse vera. Demonstratiua, quæ ita est vera, vt contradictoria eius vera esse non queat. Similes arti demonstrandi subseruiunt: quædam, vt principia, aliæ vt conclusiones. Sed inter principia aliud est positio, sane propositio indemonstrabilis (quia est principium) sed quā non est necesse eum habere, quid discere quid instituit. Aliud est dignitas. Nempe quæ non modo indemonstrabilis est: sed tam euidens cūctis: vt omnes praenoscant, qui discere, quid instituūt. Alia est suppositio. Nimirum dum principium non est propositio verum vel falsum significās: vt definitio. Ex his cum conclusio demonstrationis procedat: necesse est, priora sint & notiora: vt pote propter quorum veritatem, & certitudinem conclusio, & vera est, & certa, & talis habetur. Propter quod enim vnumquodq; tale est, & illud magis. Vt si propter amicum diligo eius facultatem: multo magis amicum. Quinimo debent esse adeo nota, & certa habenti scientiam: vt sciat, nullum oppositum illis possibile fore.*

¶ COMMENTVM.



EFINITVRVS ARIS. demonstrationem prius aperit quid scientia. Quia demonstrationis natura est medium esse ad scientias comparandas: media vero ex fine cognoscuntur.

Talis enim demonstratio esse debet, vt mediante ea, scientia comparetur. Sciri vero vnũ quodq; tripharie contingit. Primo cum in seipso noscitur. Vt si hominis naturam secundũ se, & proprietates cognoscam. Alio modo non in se, sed in vniuersali. Vt ego cognosco põtificem ac regẽ: quos nusquam vidi. Quia scio debere ipsos esse homines, & poteates. Cognosco itaq; regem non secundum se, sed in homine: & eius potestatem in ratione, & quidditatem potestatis mihi antea nota. Hoc est cognoscere sophistice, & de per accidens. Vt cum coutingit petrum venire quẽ venire quidem intelligo, quis sit, tamen ignorãs. Tertio modo de quo postea loquturi sumus cum rem ab effectu cognosco. Vt hominem esse risibilẽ, quia riddet: non quia admiratiuus est. Primo modus sciẽdi est optimus: & quo res simpliciter, & absolute scitur. Tale scire definitur hîc: ideoq, dicitur. Scire autem vnam quamq, rem simpliciter & non sophistice, idest, in se, & non in alio. Et forsan simpliciter excludit scientiam in alio, vel ab effecta: li autem sophistice scientiam apparentem: qua multi arbitrãtur rem penitus callere qui forte ne primoribus labrijs illã pertingunt aut degustant. Scire igitur exacte tunc arbitramur, cum caussam rei. Ideo autem scientia est cognitio per caussam: quia debet esse perfecta obiecti notitia. Et vnum quodq; tunc perfecte cognoscitur, quãdo caussa eius attingitur. Completa atq; exacta est tunc rei cognitio.

Qaoniam non plura sunt de singulis de per se cognoscibilia, quam ipsum cum suis caussis. Caetera habent se erga rem de per accidens. Tria in definitione exigũtur primo cognoscere caussã secũdo, & quod illius sit caussa. Nimirũ, quoniã plerũq; cognoscimus rem, qua est caussa, nescientes huius caussam esse. Quod ad scientiam nihil penitus proficit. Vt vulgo cognoscit bene homines, & admiratiuos esse, & risibiles. Vnde cognoscunt materialiter (vt ita dixerim) caussam risibilitatis: & tamen non sunt philosophi. Quia ignorant admiratiuum caussam illius esse. Et noscunt plurimi, quòd terra saepe iacet inter solem & lunam: non colligunt, tamen lunam inde eclypsari. Opus ergo est, nosse caussam, & quòd illius est caussa. Tertium quòd vtrunq; aliter euenire non potest. Illustris admodum proprietas rei scita. Cuius sensus est, & quòd res aliter esse non possit: & quod caussa adducta est adeo propria & singularis illius, vt alia esse non possit. Primo res scito debet esse perpetua. Aliàs certa esse non potest. Ab eo enim quod res est, vel non est propositio dicitur vera, vel falsa. Vnde opportet res perpetua sit: vt scientia vera, & nusquã falsa esse possit. Nihil enim aeque scientiae quam falsitas aduersatur. Apud omnes vbiq; gentiũ, compertum fuit scientiam debere esse cognitionem stabilem: & ideo de contingentibus nõ posse dari: vt pote ob sui mutabilitatem incepta, vt scientia capiantur. Ideo prouerbio semper philosophi celebrarant, scientiam esse de perpetuis, de incorruptibilibus, & necessarijs. Qualia quia singularia rerum corruptibilium non sunt, consequenter iudicant esse de vniuersalibus. Praeterea non modo conclusio scita perpetua, verum illatio etiã ex principio scilicet, vt ex tali principio fluat: & non possit aut principium sine cõclusione, vel conclusio ubsq; principo inueniri.

Vt si species probatur pdicabilis, qaoniã vniuersalis, opportet & semper sit praedicabilis, & semper, quoniam est vniuersalis. Ita vt inter principium, & conclusionem sit quidam indissolubilis nexus, atq; vinculum. Et non debet esse illatio conditionalis scilicet, vt si homo volat, habet alas: sed absoluta: & hominem volare, & quia habet alas, id facere. Quae quidem ambo ita cõperta, euidentiaq; scienti esse debent: vt certo sciat nihil esse impossibilius (vt ita dixerim) quã oppositum accidere. Qao circa si caussam conclusionis, vel aliqua ratione probabili dumtaxat, vel alicuius magni philosophi assertione cognoscit, atq, percepit. Nullo modo scientiam sibi vendicauit. Quia ex ineuidenti principio nihil euidens cognoscenti inferri potest. Sed necesse est, habitu principiorum (qui euidentissimus est) principia, caussasq; percipiat. Ex quo apparet, quam solida, quam constãs, quam grauis est cognitio scientifica. Cuius definitio communi iudicio, & aprobatione hominum stabilitur. Nempe cum non aliter, nec antea putent homines se se scire, quam ista tria de re agnoscant. Error quidem contigi potest. dum existimant aliqui se se iam ista tria de re quapiam consequtos esse: cum non dum assequti fuerint. Is tamen ipsemet error definitionem confirmat. Quandoquidem, & qui falluntur non aliter sese arbitrantur scientes. Ex qua facile textu sequenti colligitur qualis

debeat

debeat esse demonstratio. Vt pote qua vnica mediante tam præstrans, perfectaq; rei notitia cōparatur. Demōstratio enim est syllogismus faciens scire. Quæ est prima demōstrationis descripsio penes finē. Demōstratio ergo est syllogismus procedēs ex veris, primis, medioq; vacantibus, prioribus & notioribus, & caussis eiusdem. Vbi etsi multæ particulæ inserātur: claritatis pæne caussa pleræq; insertæ sunt. Nam si breui definire velis, his paucis demonstrationis quidditatem expcuisses. Demonstratio procedit ex primis caussis conclusionis. Tota enim eius substantia consistit, vt propria, et prima caussa illati reddatur. Quia si sufficienter arbitramur scire definisse, dicentes, esse remper caussam cognoscere: sufficiens quoq; definitio demonstrationis est, procedat ex caussis, per quas res quaslibet scimus. Ad hæc cæteræ particulæ sunt (vt videbimus) huius expositiones, & per eam probantur. Notiores enim, & priores ideo præmissæ sunt: quia principia sunt. Et idē est ex principio procedere, quòd ex primis, medioq; vacantibus. Et nihilominus quia deceuit nouellæ rei incognitæ lucidam, facilemq; definitionem afferre, merito adeo explicata apponitur.

¶ PROBAT singulas, & primo ex veris. Quod præter rationem textualem (quæ est & efficax, & germana) potest multifariam probari. Primo quia verū est perfectio intellectus. Totus enim eius labor, atq; opera est inquisitio veritatis. Quoniam verum est ipsius obiectum, sicut bonum voluntatis. Scientia autem est perfecta inquisitio, perfectaq; operatio intellectus: ergo tota erga uerum versatur. Secundo procedit ex principijs: ergo ex verissimis, nedum ex veris, vt pote cum principia sint verissima. Sunt enim de se, & per se vera, ac proinde maxime vera: quia sunt primo & per se ens: & sicut vnumquodq; se habet ad ens, ita se habet ad verū: ergo si primo sunt entia: primo sunt vera. Quod autem singula de per se sunt & primo: multo magis sunt, quam quæ sunt per aliud talia. Multo enim calidior ignis est, qui per se calidus est: quàm quæcumq; alia res non ignis. Conclusio autem est vera ex principijs: ergo ex verioribus procedit sicut ex notioribus & prioribus. Tertio non melius singula scibilia noscuntur, quam cum per demonstrationem percipiuntur: etenim cognitio per demonstrationem rei habentis illā, apud omnes semper habita est clarior, certior omnibus: & tamen res non cognoscitur perfectè nisi sicut reuera est, percipiatur. Cum ergo res vera dependeat ex principijs veris, non potest melius cognosci: quam ex veris. Nec vlla falsitas scientiæ admisceri potest: nec quicpiam scientiæ magis substantiale est: quam de veris agere, ex verisq; procedere. Deinde ex primis, medioq; vacantibus, idest, ex principijs. Primū enim, & principium in singulis generibus identificantur. Primum est ante quod nullū est prius, & post quod reliqua eiusdem generis sequūtur. Quod autem ita primum est: necesse est reliquorum esse principium. Ergo ex primis idem est, ac ex principijs, idemq; æquipollet (vt mox exponemus) medioq; vacantibus.

¶ VLTERIVS ex prioribus, & notioribus. Omnis siquidem caussa est prior, atq; notior suo effectu. Atq; notius esse contingit dupliciter quoad nos, & quoad naturam. Etenim non sunt eadem nota nobis, & natura: quinimo caussa est notior, secundum se: nobis autem frequenter effectus. Necessarium duxit Aristot. & hanc distinctionem inserere, & eam intento adnectere. Ait ergo notiora esse secundum se, quæ à sensibus remotissima sunt, idest, vniuersaliora: & tamen talia sunt principia, idest, vniuersaliora, ex quibus demonstratio procedit. Nobis autē (quorum cognitio ortum habet absensu) notiora sunt sensibus propinquiora, idest, singularia. Id enim melius cognoscimus, quod sui præsentia excitat sensum. Dicit ergo demonstrationem procedere ex notioribus, ex vniuersalioribus, & prioribus: quia vniuersalia sunt priora. Sunt enim perpetua, ingenerabilia: singularia, temporalia, & interitu obnoxia. Hæc omnia plurimum considerandæ sunt: quippe ex quibus mox redarguturi sumus antiquos circulum in demonstrationibus concedentes. Igitur quia harum conditionum exigentia, atq; necessitas principijs, caussisq; innititur: reuertitur Aristot. ad principia exactius patefacienda: vt pote in quibus cognoscendis omnis ars posterioristica versatur. Principium est propositio medio vocās, & quod idem est, indemonstrabilis. Principiū autem accipitur dupliciter secūdū rē incōplexe, & cōplexe. Vt principium admirationis est discursus & significatur incomplexe. Sed quia loquimur de principijs quatenus demōstrationē integrāt:

hæc ipsamet principia significamus complexe: hominem esse admiratiuum. Præsertim quod non redditur in demonstratione absolute causa proprietatis (quæ prædicatur vt risibilitas) sed connexionis extremorum: cur. s. homo sit risibilis. Cuius non est quomodolibet admiratio, sed hominem esse admiratiuum. Ob id principium demonstrationis definitur esse propositionem, sed medio vacantem, quo ab conclusionibus secernitur. Omnis enim conclusio demõstrationis prob. per medium: quia omnis etiam syllogismus medium habet. Vnde omnis propositio demonstrabilis dicitur habere medium: indemonstrabilis vero carere illo. Ideo enim dumtaxat indemonstrabilis est: quoniam caret medio. Nihil enim amplius ad propositionem demõstrandam opus est, quam medium aptum habere: vt pote quo reperto nullo negotio protinus demonstratio construitur.

¶ *IGITVR cum principium non sit cõclusio, recte definitur, quòd sit propositio medio vacãs. Sed vacare medio contingit dupliciter. Primo vt prædicatum competat immediate subiecto: ita vt nullum inueniatur medium. Siquidem sæpissime inter aliquot extrema inuenitur mediũ: vt inter extrema huius homo est substantia iacent animal, viuens, & corpus. Quorum proinde singulis velut mediũ sumtis, potest illa propositio demonstrari. Vt omnis homo est corpus, & omne corpus substãtia: ergo omnis homo est substantia. Aliquando vero competit immediatè prædicatum subiecto: vt homo est animal. Et possunt similes propositiones cẽseri medio vacare. Alio modo est medium extra, & ante extrema licet ipsa immediate cohæreant. Vt extra extrema huius admiratiuum est risibile (quamquam ea immediate coniungantur) est definitio hominis, per quam illa est demonstrabilis. Vt omne animal rationale est risibile: & omne admiratiuum est animal rationale: ergo omne admiratiuum est risibile. Et in hoc sensu intelligitur principium vacare medio: vt ante. s. non sit vllam, per quod demonstretur. Vnde subiungit statim philosophus: illa vacat medio, antequam nulla est alia prior. Et ratio efficax est: quòd ita debet interpretari medio carere: vt sit apta descriptio principij: & tamen in hoc dumtaxat sensu cõpetit principio. Nã priori modo etiã multis propositionibus demõstrabilibus, vt exẽplo patefecimus.*

¶ *QVIA VERO principium per propositionem definitur: huius occasione propositionem multipliciter diuidit. Quorum & si nonnulla in libris perihermenias exarata sunt, non inutiliter, nec intempestiue repetuntur. Prætermissa vero distinctione in negatiuam & affirmatiuã: duplex est propositio disserẽdi, idest, apta ad syllogizandum: altera dialectica, altera demõstratiua. Prior amplectitur vtranque partem contradictionis, idest, dialecticaliter seu probabiliter disputanti licet ad conclusionem inferendam vtranis contradictoria vti: & modo ex vna, modo ex altera procedere. At sicut demonstrator ex certis, & determinatis procedit: ita demonstratiua propositio ea est tantum: quæ semper est vera. Ratio est quia procedit necessario ex principijs, quæ sunt, & determinata, certa, & pauca: deinde ita vera: vt falsificari non queant. Dialecticus vero minime: sed ex quibuscumque; dummodo probet, siue à priori, siue à posteriori. Propterea dialecticus non tractat necessario de necessarijs: quin plerumque; in probabilibus versatur: quæ possunt & falsa, & vera esse: demonstrator vera de necessarijs. Vnde non modo non potest vtraque; contradictoriarum vti, verum nec altera solum, nisi fuerit necessaria: hæc autem semper est vera. Igitur aptè & opportunè propositio demonstratiua hac methodo, hisque; verbis definita est.*

¶ *SED principia demonstrationis (vt paullisper de conclusionibus sileamus) quædam sunt positiones, quædam dignitates, quædam suppositiones, idest, definitiones. Pro cuius dilucidatione summopere aduerte. Quòd quamquam omnia principia de se nota sunt, quantum ad hoc quòd non demonstrantur: haud tamen omnia absque; vlla penitus expositione, vel suasione illico ab omnibus intelliguntur. Quin sunt quã plurima, quæ (vt intelligamus) exponantur à doctore, & exemplis probentur, experientia, inductione ve ostẽdãtur, opus habẽt. Quod est in causa: ne & si principia naturaliter innotescant, omnes omnia cognoscãt. Vt pote quæ aliquo studio, & doctrina egent, quam multi non assequũtur, aut præstare nolunt. Hoc autem ratione manifesta mostratur. Primo, quia circa principia cõtingit error, & adeo perniciosus, vt minimus in principijs pedetentim in immensum crescens fiat maximus, & tamen si absque; doctoris opera*

nostro

nostro Marte, omnia principia caperemus, nulla deceptio posset contingere, adeo cuncta splendescerent. Secundo primæ, & non mediocris pars cuiusuis disciplinæ, & scientiæ in expositione & probatione principiorum expenditur: nec modo ad ea cognoscenda instructore opus habemus: verum in ipsa ex eis conclusionũ illatione nõ parum ingenij, & laboris exigitur. Ex quo prouenit, vt nec cognitis quidem principijs, quiuis sufficiat omnes illic conclusiones latentes extrahere: sed progressu temporis ab diuersis diuersæ deductæ sunt: doneciam omnes sunt eductæ. Nullæ enim, aut sane per paucæ creduntur adhuc principijs delitescere. Hoc prouenit ex eo, quòd in textu habetur: nempe non eadem semper nota esse nobis, & naturæ. Principia omnia de se nota sunt (vt pote in demonstrabilia) nobis vero quandoq, obscura. Vndelicet ipsa de se euidentia sint: nos ad ea percipienda aliqua probatione in digemus. Verumtamen aliqua sunt simul, & de se & nobis quoq; cognita.

¶ PENES hanc euidentiam respectu nostri principia textus partitur, in positiones, & dignitates. Hæc sunt quæ de se & nobis patēt. Vt quod libet est, vel non est, totum est maius sua parte. Si ab aliqualibus æqualia demas: quæ remanent æquiparantur, cum plerisq, mathematicarum principijs: quæ statim (si noto idiomate, proferantur) vniuersi non multo præuio discursu, ē uestigio cognoscunt. Et hoc est dictu, quam necesse est habeat, qui discere quid instituit, id est, quæ nota sunt omnibus. Quamquam & in hoc etiam gradus quidam inuenitur, sane vt quædã omnibus pateant: vt præfata, alia solum sapientibus, vt spiritalia non esse in loco, motus nõ fieri instanti. Positiones vero sunt peculiaria principia singularium disciplinarũ: de se quidem patentia, vt pote principia, sed propter nos exigentia verbo, vel scripto hominibus exponantur. Ob quod positiones appellatæ sunt, sane quæ in exordio, ingressuq; disciplinæ ponuntur ab docto re: vt in phisica principia rerũ naturalium esse duo scilicet materiam, & formam. In Rhetorica quinq; esse orationis partes exordium, s, seu, insinuatio: partitio, narratio, confirmatio, per oratio. In dialectica positio est, quinq; esse prædicabilia, decem prædicamenta, quæ nemo nisi post quam ingressus fuerit dialecticã, callebit. Simi militia ergo principia non necesse est, præbabeat: qui discere quid instituit. Potest etiam sensus huius distinctionis esse. Quòd (vt videbimus) principia sunt in duplici differentia, quædam propria singulis artibus, alia communia omnibus: & ra tioni cõsonat, vt cõmunia præsciantur, antequã vllam quis artem profiteatur, quandoquidem ad omnes præsupponuntur. Ideo enim communia vocantur. Forsan ergo principia communia nuncupauit philosophus dignitates, & propria positiones: sed de hoc inferius.

¶ TERTIVM membrum principiorum est suppositio, scilicet definitiones, quæ in hoc dumtaxat à positionibus differunt: quòd non sunt propositiones verum, vel falsum significantes. Sed complexæ, vt animal rationale. Sed obycies: ergo nõ sunt principia, cum principium sit propositio medio vacans. Respondemus, quòd licet principium in genere non sit propositio: apte tamen illo in loco per propositionem desinitur: tũ q plerūq; est propositio, quum quod principium quod est immediata pars demonstrationis, sicut illic definiebatur, semper est propositio. Quia omnis demonstratio immediate constat ex propositionibus. Secundo, & desinitio est pene propositio, imo (vt videbimus) fere tota demonstratio. Ex his similibus principijs, siue dignitatibus siue positionibus, aut suppositionibus demonstrationes componuntur. Debis sermo habitus est, cũ assertum, demonstrationẽ procedere ex primis, medioq; vacantibus, prioribus, & notioribus. Nam si conclusionibus assentimus: quoniã principijs consentimus: necesse est clarius, & efficatius principijs adhæreamus. Propter quod enim vnumquodq; tale, & illud magis.

VTRVM TEXTVS habeat verum.



CONTRA DEFINITIONEM scientiæ. Hæc est (vt sæpe diximus) quid permanens non actio, sed habitus: ergo male definitur per actionem scilicet cum caussam rei cognoscimus. Secundo cum multiplex sit caussa: dicendum est, quæ caussa, & arguitur. Si quis rei caussam materialem dumtaxat agnoscat, non ideo scit: & tamen rem per

ſuam cauſſam percipit:ergo definitio eſt nulla. Maior patet. Quia ignorans eſſentiam, & cauſſam formalem immerito dicitur ſciens. Tertio contra primam demonſtrationis definitionem. Subſtantiæ abſtractæ ſciunt optimè abſq; demõſtratione. Nam non ſunt rationales, quæ poßint ex antecedenti in conſequens diſcurrere, nec cõponere propoſitiones: ſed ſunt intellectuales: quæ ſimplici notitia rem cum omnibus ſuis caußis apprehendunt. Contra ſecundam definitionem quarto. Multæ ſunt diſciplinæ vno tantum genere cauſarum vtẽtes, vt mathematicæ: quæ ſola cauſa formali vtãtur. Quæ nihilominus exactiſſime ſcientiæ rationem participant. Non ergo opus eſt demonſtratio ex caußis pluraliter procedat. Confirmatur frequenter optimæ demonſtrationes procedunt aptius ex concluſionibus, & demonſtrabilibus, quam ex primis, medioq; vacantibus: ergo id nocet, tantum abeſt, requiratur. Antecedens patet inductiuè. Tunc apud euclidem oſtendentem decimam concluſionem immediate ex octaua, & nona. Tum apud phiſicos: qui riſibilitatem concludunt de homine, melius per admirationem eſſe, quam per animal rationale. Confirmatur ſecundo. Theologia eſt ſciẽtia, imo ſapientia, & non procedit ex caußis: vtpote quæ eſt ſcientia primi principij efficientis omnia. Cum ergo ſui principium habere nõ poſſit: hæc ſcientia non procedit ex caußis. Imo metaphiſica demonſtrat proprietates entis de ente, & non ex caußis, nullæ enim ſunt taliũ proprietatum. Enimuero ipſa, & ens idẽ penitus ſunt. Sicut ergo impoßibile detur cauſſa entis, ita & ipſius proprietatum. Quinto in diuiſionem propoſitionis in dialecticam, & demonſtratiuã. In ſummulis partiti ſumus propoſitionem, & ſecundum naturam, & accidentia: vbi tamẽ hæc diuiſio non eſt explicata, ergo abundat. Sexto in definitionem principij. Pleraq; principiorũ habent medium, cum definitiones ſæpißime demõſtreatur de definitis: definitio materialis per finalem (vt in ipſo textu exercuimus, ſecundam. ſ. definitionem ex priori venantes) iſto pacto: demonſtratio eſt ſyllogiſmus faciẽs ſcire: ſcire autẽ tunc arbitramur, cũ cauſſam rei cognoſcimus: ergo demonſtratio eſt ſyllogiſmus procedens ex veris. Confirmatur. Inter ipſa principia vnum eſt prius altero, notiuſq;: vt prius eſt hoc: quodlibet eſt, vel non eſt, quam omnis numerus eſt par & impar: & hoc, quam iſtud, homo eſt diſciplinabilis: ergo male dictum eſt illa medio vacat: quæ non eſt altera prior. Antecedens fatetur ipſe Ariſtotiles aſſerens, illud eſſe primum omniũ principiorum. Sexto contra maximam propter quod vnum quodq; tale: cui huius capitis machina inititur, eſt argumentum propter formas. Subiecta ſunt talia, ſ. hoc album, illud nigrum: ergo ipſa formæ ſunt magis tales albæ ſcilicet vel nigræ, conſequens eſt falſum ergo, & ſic in omni genere inſtatur. Confirmatur principia ſunt notiora ſecundum naturam non nobis: ergo non aſſentiemus clarius, atq; efficatius præmißis, quam concluſioni. Quippe cum nobis, qui aſſentimus, non ſint euidentiora, ſed ſecundum naturam: ergo male dicitur debere nos multo meliꝰ cognoſcere antecedẽs, quam concluſionem. Confirmatur ſecundo, certitudo & euidentia conſiſtunt indiuiſibili. Non habent (inquam) gradus. Si res calet, et certa mihi eſt: illa eſt euidens: ſicut veritas non ſuſcipit magis & minus: ergo non ſunt præmiſſæ euidentiores.

❡ CVM TRIA hoc capite definiantur, quæ fundamenta ſunt, non tantum huius operis, verum omnium ferè diſciplinarum, nempe quid ſcientia ſit, quid demonſtratio, quid demũ principium. Ex quibus omnis eruditio, ſapientiaq; humana oritur: paullo fuſius iſta perluſtremus, opportet, tantam abeſt à vitio, ſi doctrinarum vela huic quæſtioni pandamus. Circa definitionem ſcientiæ aduertendum eſt, quod S. Tho. 22. q. 4. art. 1. dicit circa definitionem fidei ab apoſto. nobis traditam. Fides eſt ſubſtantia ſperandarum rerum argumentum non apparentium. Si quis cõſideret (inquit) omnia ex quibus fides poteſt definiri, in prædicta definitione tanguntur, licet verba non ordinentur ſecundum formam definitionis: ſicut etiam apud philoſophos præter miſſa forma ſyllogiſtica ſyllogiſmorum principia tanguntur. Ad cuius euidentiam conſiderandum eſt: quòd cum habitus cognoſcantur per actus, & actus per obiecta: fides vero cum ſit habitus: debuit definiri per proprium actum in ordine ad proprium obiectum. Ex quo duo colligũtur, primum frequẽter graues doctores ſpeciem definitionis contẽuentes ſubſtantiam rei verbis communibus tradidiſſe. Quod fuit Ariſtoteli admodum familiare, præſertim in dialecticæ: vbi negocium ſibi cum tironibus erat. Vt rerum na

turas

turas non tam exacte definiret, & quid eſſent exponeret: quam quod eſſent, et quo modo eſſent cognoſcendæ, exemplis conuinceret. Tametſi hic, vbi minus rem definiſſe videtur, definiuit mea ſententia, & probè, & ſufficienter, licet formā definitionis (vt dicit doctor ſanctus) prætermiſſerit. Siquidem ſcientia eſt habitus certus, ac euidens. Habitus tamē nec an ſit, nec quid ſit, profecto cognoſcimus, niſi per actus. Eſt enim occultus, inuiſibilis: quem proinde niſi ab effectu non percipimus. Quoniam etſi effectus pariter ſpiritualis eſt, actus ſcilicet intellectus, optime is reflexione quadam deprehenditur (& vt ita dicā) ſentitur. Facile enim ſolemus aduertere nos intelligere, cum actualiter contemplationi vacamus. Vnde optimo conſilio Ariſt. patefecit naturam actus ab ſcientia habitu fluentis: ex quo facile quid nam eſſet ipſa ſcientia, colligeremus. Nihil enim de ipſo habitu amplius nobis diſcendum eſt, quam quòd cauſſa eſt ſimilis actus. Tota ergo notitia ſcientiæ nobis haurienda pendet ab actu. Ait ergo ſcire eſt rem per cauſſam cognoſcere. Scire quidem actus eſt, & pariter cognoſcere. Per quod facile eſt, noſſe quid ſcientia: habitus. ſ. inclinans ad huiuſmodi actionem. Et in hoc, quod dicitur cauſſam rei, & quod illius eſt cauſſa, quodq; aliter euenire non poteſt: includitur euidentem, atq; certum eſſe debere, radixq; ipſius euidentiæ detegitur. Ideo enim euidens eſt & cognitio, & habitus: quia iſta de re callet. Dicimus etiam quòd ſcire accipitur dupliciter habitualiter, & actualiter. Habet in Ariſt. fundamētum diſtinctio dicentè, quòd intelligere non contingit niſi vnum: ſcire autem multa, id eſt, habere habitum ſcientiæ plurima amplectentis: & quòd in præſenti definitur ſcire habitualiter. Sed præſtat certè prima reſponſio, atq; ſolutio: tum quòd eſt, & ad mentem S. Tho. docentis debere habitum definiri, vel per actum fore cognoſcendum, quum quòd ſi intelligere nō contingit niſi vnum. Quoniam intelligere (inquiunt) dicit actionem. Cognoſcere quoq; poſitum in definitione ſcire dicit actionem, & ſic non definiet habitum, ſed alterum actum. Quāquam dicet quiſpiam, quòd verba in definitionem non dicunt actum, ſed aptitudinem. Ex omnibus his colligitur ſi ſcientiæ definitionem formalem hinc haurire, velimus: hanc eſſe. Scientia eſt habitus euidens inclinans intellectum ac dirigens ad rectè iudicandum de re per ſuas cauſſas.

¶ PRO SECVNDO notandum, quòd aliud eſt loqui de demonſtratione, & eius perfectione aliud de ſcientia. Demonſtratio ſatis habet, ſi ex aliquo genere cauſſarum procedat: ſiue ſi cauſsā neceſſariam concluſionis afferat. Quod probatur tum quòd demonſtrationes mathematicæ nō reddunt niſi cauſſam formalem: tum quòd vna demonſtratio non poteſt aptè omnes cauſſas rei exprimere: nec ex omnibus procedere. Eſt enim vna demonſtratio vnus diſcurſus: quo tot amplecti non poſſumus. Quòd ſi in definitione habetur pluraliter ex cauſsis, poſitum eſt indefinite. Ideo ſufficit ſi ex vna, vel pluribus procedat: & non nunquam procedit ex duabus. ſ. ex materiali, et formali. Vt omne conſtans ex corpore, & anima rationali eſt admiratiuum, homo eſt huiuſmodi: ergo eſt admiratiuus. Omne ædificium conſtructum ex parietibus, & tecto cum conuenienti figura eſt aptum ad habitandum: domus eſt huiuſmodi: ergo eſt apta ad habitandum. Sed eſt notandum ꝙ demonſtratio habet gradus (vt inferius multis agemus) & in perfectione, & in eſſe quoq; demonſtrationis. Haud enim omnes ſunt æquales. Perfecta autem eſt, quæ procedit ex primis principijs cum alijs loco prædicto exponendis. Quòd ſi hoc non habuerit, ſaltem debet reſolui in prima. Neſcit rem etiam rei demoſtratiōnem aſſequtus, ſi conſimilem reductionem ignorauerit. Vnde Ariſt. dicit, demonſtrationem procedere ex principijs, vel ex procedentibus ab principijs, dummodo ſciuerit concluſionem in ſuum fontem reducere. Vnde manarit. Fatendū eſt tamen, ꝙ proprietatum (cū ſunt plures) frequenter vna ſit cauſſa alterius, & per eam demonſtretur. Vt diſcurſus eſt cauſſa admirationis: admiratio vero riſibilitatis. Accidit (vt in mathematicis) quòd decima concluſio ſequitur ex octaua, & nona. Quæ licet ſunt demonſtrabiles: ſunt cauſſæ proximæ concluſionis. Et cū vna demonſtratio nō poſsit omnes illas nouem explicare, ſæpe demonſtratio procedit formalius, & immediatius ex demōſtrabilibus, quàm ex principijs primis. Cum ſi ex principio inferretur, omnes proximæ cauſſæ mediæ relinquerentur. Sed nihilominus vt perfecta ſit, neceſſe eſt, poſtquam illata fuerit, per conſequentias immediatas in ſuum principium trahatur. Et quia potiſsimus effectus demonſtrationis, & finis vltimus eſt ſcientia

scientiæ productio, non producit demonstratio scientiam in intellectu, nisi hæc perfecta demonstratio. s. quæ procedit ex omnibus suis caussis secundum illud genus.

¶ *AD PERFECTAM autem scientiam omnium caussarum cognitio exigitur, saltem earum, quæ secundum illam disciplinam haberi possunt. Nam si scire est rem per caussam cognoscere, & intelligere illam per caussam efficit euidentem cognitionem, multo perfectior erit, & scientia, & cognitio si per omnem sui caussam cognoscatur. Sæpe tamen vna scientia nequit omnes rei caussas complecti, vt pote ab aliquibus ipsarum generibus abstrahēs. Vt mathematicæ abstrahunt à materia sensibili. Considerant enim numerum non hominum, aut leonũ, aut siderum. Sed absolute geometria figuram non auream, vel argenteam, vel ligneam, sed figuram prout secũdum suam speciem tot, vel tot lineis continetur. Quæ vero abstrahit à materia in his rebus materialibus abstrahit consequēter ab agente, & ab fine. Nam agens dicitur, quia vel præparat materiam, vel inducit formam in illa: & finis est, qui monet agentem, & cuius gratia cætera fiunt, ab vtroq; igitur abstrahit, quæ in sua consideratione præscindit materiã. Quo circa si perfectè mathematica dari possũt (quod non est negãdum) necesse est dicere ad perfectam scientiam sufficere, si omnes caussas obiecti cognoscat secundum illam abstractionem cognoscibiles. Hanc solam doctrinam in hac re distinctionemq;, spectat ad dialecticos cognoscere: discutere vero in singulari, ex quibus generibus vnaquæq; disciplinarum procedat. Vtrum scilicet methaphisicus per omnes caussas demõstret, vel abstrologia: certe dialecticorum non interest: sed singulorum philosophantium, cum in suis disciplinis versantur. Ad argumentum ergo respondetur: quòd scientia non est cognoscere caussam rei dumtaxat: sed rem per caussam. Et in hoc quod dicitur, rem, intelligitur eius natura. Nam nulla res cognoscitur perfectè; qualis est cognitio scientifica, nisi per suam definitionem.*

¶ *AD TERTIVM procul dubio. Aristoteles nõ hic de scientijs angelorum, sed de disciplinis, & artibus hominum loquitur. Ad quas scilicet cõparandas dialectica, & modus, & medium est. Sed quæstio est post habita intentione philosophi, de ipsis definitionibus, & scientiæ, & demonstrationis: vtrum scientijs angelorum competãt: scilicet an rem per caussam cognoscant, sciantq; per demonstrationem. Primo asserimus ipsos & rem, & eius caussas formalissimè, ac perfectissimè cognoscere. Quia si nobis in genere intelligentium infimis creaturis concessum est (vti suprema perfectio, & simpliciter perfectio) vt res, & rerum caussas cognoscamus: quãto magis intellectualibus illis substantijs: quæ nobis intellectu in tantum præstant. Secundo asserimus q simplici intelligentia cognoscunt principia, & in eis omnes introclusas conclusiones. Ita vt eadem notitia cognoscunt humanitatem, & in ea aptitudinē admirandi, ridendiq;. Quod est conclusionem in suo principio contemplari. Nos vero distincta notitia percipimus hominem & singulas quasq; eius proprietates. Quod quidem vnica ratione prob. Nobis differentia essentialis est rationale: illis ergo non competit. Ratiocinatio vero, seu discursus exigit duo. Primo multas notitias, secundo vt vna sit caussa alterius. Non ergo multis notitijs speciem aliquam illæ percipiunt: quarum vna sit caussa alterius, & per consequens simplici notitia principium, & conclusionem capiunt. Tertio dicimus q ista loqutio, rē per caussam cognoscere, dicit discursum, sane vt ex principijs procedamus ad conclusiones. Principiorũq; notitia ad cognitionē conclusionis conferat: ita vt altera cognitio caussa alterius exsistat. Nam secundũ omnes hæ per aliquod genus caussæ explicat. Et deinde aliud est cognoscere quicpiam in alio, aliud cognoscere per aliud. Ad quæsitum ergo respondetur negatiuè. Neutra definitio competit scientijs angelorum nec scientiæ, nec demonstrationis, & hoc prob. Quia illorum scientiæ sicut & illorum natura, & intellectus alterius generis sunt: ergo nõ debent eadem definitione comprehendi. Et nihilominus cum propter nostram imperfectionem & illorum sublimitatem hac definitione eorum disciplinæ non comprahendantur, fuat illæ nostris longe excellentiores eminētioresq;. Et quod in nostris optimum est, & medulla, illæ multo excellentius, atq; perfectius habent. Sane vt res & rerum caussas perspicacissime intueantur, & agnoscant. Ad hæc illæ intelligentiæ nõ sciũt per demonstrationem. Hæc enim essentialiter est discursus, & formaliter est compositio: illa vero*

nec

nec discurrunt, nec componunt. Itaq; nec formaliter illic est demonstratio, nec effectus demonstrationis, nempe vt scientia generetur: & conclusio per caussas cognoscatur, ad eum sensum, quo philosophus superius dixit, omnis doctrina omnisq; disciplina ex præexistenti fit cognitione. Vnde duplici de caussa non sciunt per demõstrationem, videlicet & quia scientia concreata est illis, non adquisita, ad quod dumtaxat demõstratio subseruit, & quia licet acquirerent eas, non procederent ex præexistenti cognitione.

¶ QVARTO argumento, & primæ confirmationi iam respondimus, dicentes ex quot caußis, & ad esse demonstrationis, & ad ipsius perfectionis exigeremus procedere. Sed nũc operosius agamus, nec actum agemus, sed pandemus, quã tum nam singula genera caussarũ nos scire faciant. Et primo cum quatuor sint earum genera non se habent eodem modo, & ad esse caußã & ad caußandam scientiam. Nam in ratione caussæ efficiens est præstantior caussa. Etenim explicat id, quod rem facit. Facere aut seu actionem habere nulli tam formaliter, nec tam realiter competit. Finis enim tantum intentionaliter operatur, materia patiendo, forma in formando, quæ non sunt tam perfectæ actiones: & tamen minus perfecta scientia habetur per caussas extrinsecas. Nam illæ (vt nomen præsefert) extrinsecæ sunt rei. Cognitio vero per extrinseca minus est intima, atq; adeo imperfectior. Sed argues potius quod sit nulla: tum quia sunt extra essentiam rei: quum quòd scientia est de vniuersalibus, quæ quidem sunt perpetua, & ingenerabilia: & non possunt caussam efficientem habere. Cum omnis actio agentis circa singularia versetur. Sed dicendum: quòd vt scientia habeatur per quamcunq; caussam, notitia subiecti, essentiæq; illius (vt dudum diximus) habeatur opus est: sicut haberi à nobis poßibile est. Nã hoc inter præcognita hic anumeratur. s. quid sit subiectum. Habita vero hac notitia qualibet caussa scientiam efficit. Dummodo demonstratio procedat ex primis, vel in prima resoluatur. Et de efficienti: respõdendum: quòd dupliciter accipitur sane in actu exercito, qualiter semper: & singularis est in essendo, & circa singularia occupatur. Sed in actu signato est, & vniuersalis, & circa vniuersalia. Quia licet quoties generatur homo, generetur hic, vel ille (quod est capere in exercitio) hoc tamen percepto intellectus generalem conceptionem sibi format: quòd homo generat hominem, & animal animalia. Et ita scimus q aedificator ædificat, doctor docet, scriba scribit, & sic de alijs. Vnde bene potest demonstratio procedere ex caußis, & efficienti & finali in caußis de per se, & subordinatis, de quibus in secundo phisicorum agitur.

¶ DE THEOLOGIA multa disceptatio est inter graues doctores, an sit scientia? cui definitio hic tradita competat: an potius alterius generis disciplina exsistit. Et dificultas consistit in duobus: primo quòd non videtur ex caußis obiecti posse procedere: quoniam est deus omnium principium, & finis. Sed huic facile erat satisfacere: Tantum nanq; concludit nõ habere caussam efficientem: quod minime scientiam habere impedit. Cum per formalem haberi: queat. Secundo propter ineuidentiam principiorum, qui sunt articuli fidei nobis prorsus hic obscuri, atq; ænigmatici. Quos proinde non habitu principiorũ, sed fide mentibus nostris diuinitus infusa percipimus. Sed quoniam huic quæstioni oportunus est locus prologus primi, non decet de naturæ theologiæ nos hic dialecticis sermonem apponamus. Sed de methaphisica videtur eadem difficultas. Quippe quæ agat de ente, primum etiã omnium principium, ex quo illud etiam primũ complexum constituitur. Quodlibet est, vel non est: de eodem idem affirmari, vel negari verum est: de eodem idem affirmari, & negari impoßibile est. Et quia primum principium omnia continet, & duplex est hoc primum in diuerso genere. s. deus, & ens: ambo omnia claudunt. Deus est primum principium efficiens in se omnium perfectiones virtualiter, & eminentiori modo præhabens. Sicut effectus nobiliori modo solent in caußis æquiuocis habere esse. Ens autem est primum principium (vt ita dicam) formale per vniuersalem prædicationem. De omnibus enim prædicatur, de quo cum methaphisica tractet: querunt vtrum per caussas proprias eius passiones vnum, verum, bonum, & reliquas demõstret. Respondent: quòd methaphisica, & theologia sunt sapientia: altior quiddam habitus quã scientia. Siquidem quinq; habitus veritatis cognoscendæ ponuntur ab Arist. lib. hethicorũ: ars, scilicet scientia, prudentia, sapientia intellectus principiorum. Is est omniũ, & primus, & præstantißi

stantissimus. Mox sapientia disciplina agens de altissimis caussis, seu nobilissimis entibus. Theologia fidelium est sapientia diuina, vt pote tractans de deo, eius attributis, & sacramentis: per medium diuinum doctrina scilicet nobis a deo reuelata. Methaphisica sapientia humana. Quia tractat de primo principio formali, & per rationes humanitus inuentas. Dicunt secundo: q neutra sapientia reddit caussas conclusionum: cum nullæ sint talium caussæ: sed rationes. V.g. theologia ostendit, q deus est incommutabilis: quia est æternus, & æternus: quia purus actus. Et palam est quòd æternitas dei non habet caussam: cum sit ipsemet deus. Eodem pacto vnum, & verũ, proprietates entis, sunt ipsummet ens. Vnde tam caussa horum potest adduci, sicut ipsius entis Sed rogas quid discriminis inter caussam afferre, & rationem. Dissidẽt: sane (vt aiũt) quòd ratio non opportet distinguatur realiter ab eo, cuius ratio est. Vt esse ens, est ratio vnius. Caussa vero non erit nisi realiter distinguatur.

¶ OPERAE precium est tamen exactius ista præmere, frangereq; hanc nucem: vt quid nuclei hauriamus. In primis non est huius loci, vel temporis de methaphisica inquiramus: an? habeat proprias passiones demonstrabiles. Inuestigent ipsi: qui de alienis solent etiam velut ex officio solerter, atq; ingeniosẽ disputare. Sed huius loci est reserare quid? scientia, quid? demonstratio postulet. Scientia primo requirit subiectum, de quo præcognoscatur, quid sit, & an sit, & proprietates, quæ de subiecto demonstrentur. Ita vt scientia non in tradenda definitione subiecti consistat (hoc enim est præcognitum) sed in tradenda notitia proprietatum ipsius eas de subiecto per caussas concludens, in hoc enim cognitio ipsius obiecti consumatur atq; præficitur. Vnde quiequid est natura, essentiaq; subiecti extra metas conclusionum est: & ad principia spectans. Ex quo primo colligitur, quòd, vt quicpiam cuiuspiam proprietas sit (quam propriam passionẽ nuncupamus) opus est maxime neutrum sit de essentia alterius. Nec habeant se (inquam) velut definitio, & definitum, nec vt species, & genus. Totum enim hoc ad primum ordinem (hoc est) principiorum pertinet. Sequitur secundo q de nullo attributo dei p[illegible]tiuo in ipso existenti, vt misericordia, iustitia, virtute, potest esse scientia vera, neq; hic, nec in patria. Quia reuera non sunt proprietates dei sed ipsemet deus per essentiam. Ens autem proprietates habet, vnum. s. verũ & cæteras. Quod à signo euidẽter ostenditur. Quia cognoscimus ens sine conceptu boni, nec bonũ est ratio contracta entis: sicut aliquod prædicamentum. Secundo opus habet scientia per caussas demonstret vt ex definitione colligitur. Sed trutinandum est, an necessario caussa distinguatur realiter ab eo, cuius caussa est. Et quidẽ cum hic agamus de caussis (ex quibus potissima demõstratio procedit) scilicet à priori, quæ sunt tales, & essendi, & cognoscendi (nam quæ dumtaxat sunt cognoscẽdi plerumq; reuera sunt effectus) videtur debeant distingui ab proprietate. Quia nihil impossibilius est, quam idem esse caussam sui ipsius, vel sibi ipsi vt existat. Pro parte negatiua agit quòd definitio ponitur caussa formalis: quæ tamen minime ab definito distinguitur. Non est par indicium ferendum in hac parte de omnibus caussis, nec eadem est necessitas vbiq; distinctionis. Vnde necessario de singulis agendum est. Prima caussa realiter efficiens est duplex, quædam producit effectum media actione: vt ignis producẽs calorem mediante calefactione. Alia non mediante actione: sed vel est caussa ipsius actionis tantum, vt animal progressiue se, vel localiter mouens, vel siquid permanens est, effluit quadam emanatione naturali, vt risibilitas emanat ex natura hominis. Prima necessario distinguitur realiter ab effectu. Ipsa enim media actio (quæ est motus) indicat patenter distinctionem realem. Et de hac intelligitur Augustinus asserẽs, nihil impossibilius quã idem sibi caussam essendi esse. Cæteras vero caussas non tam palam est, distingui realiter ab effectibus. Vnde quidam opinãtur, quòd motus progressiuus non distinguitur ab animali. Caussa finalis vero, & si quandoq; realiter distinguatur ab medio, haud semper. Nam motus non est præter res, ad quas est motus. Augmentatio non distinguitur realiter ab quantite, alteratio ab qualitate: quæ tamen accidentia sunt termini illorũ motuum. Materia vero quædam est pars compositi phisici, quædam est subiectum accidentis siue naturalis, siue artificialis. Illa distinguitur realiter à toto sicut includens, & inclusum: hæc autem non semper apud omnes. Sublite enim manet, au? multa prædicamenta accidentiũ corporalium distinguantur ab substãtia: cui insunt.

Forma

Forma vero eſt multiplex primo phiſica, vt forma ſubſtantialis ſuppoſiti, & accidentia inhærẽtia, quæ conferunt exſiſtentiam ſubiecto, & ſuppoſito in genere cauſſæ formalis. Quæ ſecundũ S. Tho. diſtinguitur realiter, alij vero negant. Alia eſt methaphiſica, vt tota definitio reſpectu definiti, tota natura reſpectu ſubiecti, vt humanitas, æquinitas. Igitur non ſemper omnis cauſſa diſtinguitur realiter ab eo, cuius eſt cauſſa.

¶ *SED NVNC videamus quo genere cauſſæ propria paſſio effluat ab ſpeciẽ, de qua demonſtratur, vt conſtet, an ſit euidens, debere realiter diſtingui. Primo apud omnes in confeſſo eſt, non emanare à natura media ipſius naturæ actione, ſed quodam fluxu, & reſultantia naturali, & ita ab generãte congenerari dicitur. Vnde etſi vtcumq; effectus naturæ putetur: ad hoc genus cauſſæ prioritas naturæ tantum ſufficit. Eſt etiam cauſſa ſubiectiua illius, vt pote ſuſcipiens illam. Quòd ſi obijcias materiam, & efficiẽtem nunquam ſecundum philoſophum coincidere poſſe. Intelligitur certè de materia parte compoſiti, quæ non poteſt eſſe agens ipſum compoſitũ. Non loquitur de ſubiecto accidẽtis: quodquidem non eſt de eſſentia illius accidentis. Talis namq; materia bene poteſt coincidere. Siquidem ſanitatem omnes in genere fatentur, effici ab natura ipſius ægroti, cuius ſanitatis ipſum animal eſt materia ſubiectiua. Deinde: quot proprietates, & accidentia oſtenduntur de figuris, & numeris in mathematicis, quæ nullatenus ab eis realiter diſtinguntur. Ego ſane non mihi videor, quo nam pacto paritas numeri ab numero ſeparatur: nec imparitas. Eſt etiam natura finis ipſarum proprietatum. Quia propter ipſam com producuntur. Hæc autem genera ſeu modi cauſandi certe non poſtulant neceſſario proprietas ſeu effectus diſtinguatur realiter à ſuis cauſſis. Nec tam vniuerſale eſt omnem cauſſam diſtingui realiter ab effectu. Quo ergo gradu opportet præmiſſæ diſtinguantur ab concluſione? nam opus eſt aliqua diſtinctione, ſi principia ſunt eſſẽdi, & cognoſcendi eam. Duo reſpondeo: primum neceſſario præmiſſæ demonſtrationis potiſſimæ, & proprietas concluſa debent diſtingui eſſentialiter, ita vt neutra ſit de natura alterius. Quoniã ſi eſſentialiter identificantur, vt homo, & omnia prædicata ſuperiora rectæ linea, & differentiæ laterales, nullo modo vnum propriè eſt cauſſa alterius: ſed tantum ſecundum modum intellectus abſtrahentis diuerſimodè naturas, & cognoſcentis alterum confuſe, & idem poſt modum diſtinctè. Differre autem eſſentialiter non eſt realiter differre, nec ratione. Vtramq; differentiam in diuerſis amplectitur. Subſtantia & quantitas realiter diſtinguntur: albedo & ſimilitudo ratione. Sed eſt (vt diximus) neutrum eſſe de eſſentia alterius. Ex quo infertur, quòd quoties quid ſuperius quidditatiue, ſiue eſſentiale concluditur de inferiori per medium eiuſdem generis, non eſt proprie demonſtratio. Vt viuens cum ſenſibile de homine per animal, cum corpus de leone per viuens, & ita in alijs generibus ſiue prædicamẽtis. Secunda concluſio non oportet medium diſtinguatur realiter ab proprietate. Quod probãt euidenter demonſtrationes mathematicæ. Quæ antonomaticè tales ſunt, & appellantur: in quibus medium non diſtinguitur à proprietate illata. Vt triangulus non diſtinguitur ab hoc, quod eſt habere tres angulos, æquales duobus rectis. Par & impar: pariter, par & impariter par, et alia ſimilia certè realiter non differunt: ſed ſufficit eſſentialiter differãt. Ita enim cauſſalitas ſaluabitur, quæ ſi non fuerit propria efficentia, erit cauſſalitas cauſſæ formalis, vel finalis: quæ tanta diſtinctione non indiget. Vnde proprietates entis bene poſſunt, demonſtrari, quantum ad hoc: ſi cætera habent. Quoniam eſſentialiter diſtinguũtur, & inter ſe, & ab illo.*

¶ *SED EST rurſus quæſtio, an ſicut oportet medium eſſentialiter diſtingui à proprietate: ita pariter à tota concluſione, id eſt, etiam ab ſubiecto ſcientiæ: quod eſt altera pars concluſionis. Pro parte affirmatiua facit, quòd non concluditur ſola proprietas, ſed ſubiectum eſſe illud: cuius cauſſa reddenda eſt: & ideo videtur eadem diſtinctione opus eſſe. Secundo aliâs ſola concluſio eſſet demonſtratio: vt homo eſt riſibilis. Quæ demonſtratur per animal rationale, medium diſtinctum realiter ab proprietate, ſed idem penitus quod homo. Vnde in ſola ipſa propoſitione includeretur cauſſa demonſtrationis, & ſic foret realiter tota demonſtratio. Pro parte negatiua militat: quòd in demonſtratione dumtaxat quæritur cauſſa, quare hoc eſt illud: nõ cauſſa ipſius ſubiecti, & tamen ſæpe cauſſa connexionis proprietatis eſt ipſa natura ſubiecti (vt dudum expoſuimus, atq; probauimus) ipſe enim homo eſt*

cauſſa

caussa tot illis generibus, quòd homo sit risibilis. S. Tho. putat debere caussam quoq; essentialiter distingui ab subiecto, & arbitratur ideo primam paßionem non esse vere demonstrabilem: quia non habet medium præter definitionē subiecti. Cuius sententia, quæstione sequenti patebit, quā vera sit. Posset aūt quis etiam probabiliter existimare non opus fore distingueretur essentialiter. Quia scire est rem per caussam cognoscere, & quicunq; sic rem intelligit: habet rei demonstrationem: sed animal rationale est vera caussa, cur homo sit risibilis, & disciplinabilis: ergo potest per hoc medium demonstrari.

¶ QVINTVM argumentū inquirit qualis, nam sit diuisio, & propositionis in dialecticam & demonstratiuam, & syllogismi in eadem: & quidem videtur ambæ esse generis in species quoniā tam propositio, quā syllogismus prædicatur quidditatiue de illis. Interrogati enim quid est demonstratio, respondemus, est syllogismus procedens: maxime cum in ipsa demonstrationis definitione formaliter in frontispicio collocetur. Ad hoc notandum, quòd tam syllogismus, quam demonstratio sunt concreta: sed syllogismus significat de materiali propositiones, & formaliter illationes. Demonstratio è contrario materialiter includit consequentiam, & formaliter addit qualitatem propositionum. Sane vt procedat ex veris, primis, medioq; vacantibus. Itaq; materiale importatum nomine syllogismi, est formale demonstrationis. Et idem dicendum de dialectico, & de propositione dialectica, & demōstratiua. Est enim dialecticus procedens ex probabilibus, & contingentibus. Hoc autem ita esse probatur. Primo non potest aßignari inter istos, differentia, nisi ex parte materiæ: differentia autē est formale signatum nominis, & forma rei secundum nomen illud: ergo. Secundo æqualiter ambo cōueniunt in esse syllogismi, neuter est perfectior altero. Si vterq; fiat in Barbara, æque sunt instabiles. Deinde duæ sunt resolutiones prioristica, & posterioristica: & in prima resoluitur syllogismus: non modo in genere, sed in omnibus suis speciebus distributus per figuras, & modos. Ergo quod posterioristica resolutione perpenditur extra naturam totam est syllogismi. Igitur diuisio syllogismi per modos, & figuras est illi formalis: hæc autem in dialecticum & demonstratiuum materialis: cōcreti. s. seu quodam modo connotatiui in connotatiua ex parte materiæ.

¶ IN SOLVTIONE ad sextū notandum, quòd omne principium est propositio indemonstrabilis, medioq; vacans. Quod maxime in definitione splendet. Vt pote quæ est alterum præcognitorum, & per consequens indemonstrabiles. Nihilominus propositio de se indemonstrabilis demonstratur, vel quoad nos arguendo ab effectu, vel quia quæ in vno genere medium non habet, in altero habet: non ideo tamen desinit esse principium. Quia sicut principium esse atq; primam ante quā nulla sit alia prior, intelligitur intra cancellos eiusdem generis, nō absolute in omnibus generibus. Ita indemonstrabilem esse medioq; vacare intelligitur in hoc genere: in alio vero nihil obstat demonstretur. Rursus in illo genere intelligitur contracto ratione materiæ. Qua in re aduertendum est magnopere, quatuor genera caussarum non esse adeo seiuncta, quin potius admodum propinqua, & velut concathenata. Vt pote inter quæ est ordo, & prioritas. Nā finis est caussa caussarum (vt prouerbio fertur) est enim prima omnium caussa. Quia mouet sui desiderio agentem ad formæ introductionē, aut præparationem materiæ. Sed de hoc caussarum ordine atq; in se mutuo efficientia, seu dependentia poßumus dupliciter loqui, sane, & in tentione dignitate ve, & in executione. Si de reali executione atq; exsistētia sermo habeatur: prima omnium est efficiens: secunda materia vt pote potentia ad formam. Vnde plerumq; tertia ipsa deducitur. s. forma, quarta est finis. Is enim vltimū est (vt ipsum nomen præsefert) intentione vero è contrario prima est finis (de quo solet dici esse primum in intētione, postremum in executione) deinde forma. Facile ergo his perceptis patet, quo nam pacto vnum genus demonstretur per aliud. Quotupliciter efficiens per formalem, & formalis per finalem, & rursus etiā finalis per efficientem, vt in capitulo subsequenti per tractabimus. Rursus in singulis generibus primum esse intelligitur de genere contracto ratione materiæ. V. g. primum principium in genere caussæ formalis in scientia de homine fit, hominem esse animal rationale: ac per consequens indemonstrabile, & medio vacans. Sed in genere caussæ formalis absolutè alia sunt priora, vt substātia est ens, corpus est substantia corporea,

quantitas

quantitas est diuisibilis in ea quæ insunt. Tamen in singulis suis generibus per materiam contractis vnumquodq; est primum. Vnde ex duplici capite prouenit, vt altera nonnunquam dicatur prior etiam primo. s. si est prima in maiori genere, etiam eiusdem generis. Vnde hoc quodlibet est, vel non est optimo iure appellatur in genere caussæ formalis omnium primum. Quia est primum in genere entis: quod vniuersalissimum genus rerum est atq; transcendens. Secundo dicetur prior, si est respectu nostri clarior & euidentior altera. Vt totum est maius sua parte, notior est nobis: quam duo esse principia rerum naturalium. Per quæ patet argumento solutio.

¶ *AD SEPTIMVM MAXIMA PROpter quod vnum quodq; tale, hunc sensum habet verissimum ac vniuersalissimum. Quando prædicatum competit formaliter duobus, & vni illorum propter alterum, magis competit huic altero. Vt si mistum est calidum propter ignem, magis calidus est ignis. Et si studium appetitur propter sapientiam, magis sapientia desideratur. Si vero prædicatum formaliter vtriq; non competat, non verificatur regula. Vt sanguis diminuitur propter salutem: ergo salus magis diminuitur, non valet. Quia diminui non competit saluti. Et Petrus est homo propter caussam primam: ergo caussa prima est magis homo, non valet. Quia hominem esse non competit illi. Loquimur enim de deo absolutè, & vt caussa prima est: non de verbo, quod caro factum est, & habitauit in nobis. Quia ergo principia, & conclusio cognoscuntur, & conclusio propter principia: magis cognoscentur principia, sed non magis scientur (vt videbimus capitulo subsequenti) quoniam principijs non conuenit sciri, saltem scientia proprie dicta. Et ideo licet propter principia conclusiones sciantur, non plus principia sciuntur.*

¶ *PRO OCTAVI SOLVTIONE agendum nobis est de certitudine, ac euidentia: primo quid sint, deinde quomodo inter se differant. Enimuero quamquam germanæ videantur, non tam idem quam propinqua, & à fines iudicari solent. Primo ambæ sunt qualitates formaliter intellectus, & ex parte conceptuum repertæ, vt pote conditiones intellectionis. Sicut earum oppositæ: vt incertitudo, obscuritas: opposita vero sunt circa idem. Quòd si res certæ ac euidentes appellantur: alterius generis est ipsarum certitudo. Quæ erit quidem earum veritas: & valde manifesta veritas sua euidentia. Et dicuntur etiam euidentes, ac certæ: quòd natæ sint certitudinem sui, ac euidentiam in intellectu facere. Sicut & veræ quoq; nuncupantur, quoniam aptæ sunt vera iudicia de se producere. Deniq; sicut verum conuertitur cum ente: formaliter tamen est in intellectu: ita existimandum: certitudinem, euidentiamq; in intellectu formaliter dumtaxat reperiri: tammetsi res certæ, euidentesq; dicantur, & certitudo formaliter nihil aliud est, quam firmus assensus, & non formidolosus, sed tam constans: quam opus est, vt dicamur de re quapiam nos iam certos esse. Quæ quidē habet gradus prouenientes, & ex parte rerum, & intellectus aliquam rem melius penetrantis. Ex rebus: quia sunt quædam, quorum veritas est firmior, & stabilior quorum opposita minus contingere possunt. Hæc necessario erunt certiores his, quæ passim mutantur, ipsa enim eorum immutabilitas maioris certitudinis euidens argumentum nobis est.*

¶ *DE VERITATE RERVM SOLET inquiri an vna sit maior altera? & quia veritas consistit in adæquatione perfecta: quæ in puncto consistit: ex parte naturæ veritas gradibus caret: sicut loquuti sumus de æqualitate, quæ strictim loquendo non suscipit magis & minus. Sed ex parte caussæ, quædam sunt veriores alijs: illa scilicet quæ plures, & maiores rationes habent essendi. Vnde Deus dicitur verissimus, & principia sunt veriora conclusionibus. Certitudo autem est ipsa veritas rerum quatenus veritas ex suis principijs, caussisq; procedit. Vnde postquam certitudo sequitur veritatem ea parte, qua veritas gradus habet: sequitur, quod habet magis, & minus. Ex parte autem intellectus, qui veritatem & entitatem melius intelligit de vna re quam de alia. Vnde certiores sumus frequenter de vno quam de alio. Et contigit duas res æqualis certitudinis in se esse: de quibus non æqualiter certus est intellectus. Cœlestia & inuisibilia certiora sunt*

de ſe illis inferioribus,vt pote perpetua, & regularia. Et tamen de illis pauca & oppinatiue potius quam certo percipimus.Itaq; certitudo intellectus habet ſine controuerſia latitudinem.

¶ DE EVIDENTIAE natura,in quo nã conſiſtat,non ita facile patet. Quiddam arbitrãtur eſſe intellectionem intuitiuam: quibus nominis ethimologia patrocinatur, vt pote ab ipſu deducta. Præterea quòd tunc euidens res quapiam habetur, cum obtutibus mentis conſpicitur. Sed cum vniuerſalia ſemper abſtractiua cognitione percipiantur: de quibus agunt demonſtrationes, non eſt ſcientia cognitio euidens: ſi intuitiua debet eſſe. Ego vero(vt plane loquar) videor mihi euidentiam eſſe maximam certitudinem: ita vt certitudo, cum magna fuerit, euidentia ſit. Vt nihil aliud quam quidam exceſſus certitudinis euidentia videatur. Nam in vno quoq; genere, quod maxime certum eſt cognoſcenti, id euidẽs illi reputatur, dummodo reueru ſit certam. V.g. in genere fidei ſunt quadam credentibus certiſſima, & ipſa ſant puriter euidentiu, udeo plures rationes credendi aggregantur. Vt ego certiſſime credo, euidensq; eſt mihi Romam eſſe, cum & epiſtolas ſcriptas ab commorantibus ibi, quotidie ſuſcipiam, & plurimos illinc ad nos aduentantes alloquar, totumq; orbem id aſſerentem audiam. Cum ergo non viderim Romam: ſed tantum credam (vt omnes fatentur) & nihilominus euidentiſſimum eſt mihi vrbem ſupereſſe: non poteſt euidentia ab certitudine ſeparari. Nam in fide ſola certitudo eſt(vt etiã aduerſarij fatentur) ſi ergo in ea quoq; euidentia inuenitur: conſtat certitudinem eſſe euidẽtiam. Quidam oppinantur has duas qualitates toto genere realiterq; diſtingui: eodem argumento adducti, quo nos perſuaſi. Nempe quòd datur maxima certitudo ſine vlla prorſus euidentia. Cum catholicis fidei, ac religionis articuli certiores ſint quibuſlibet concluſionibus demonſtratis: & tamen deum nemo vidit vnquam: nemini q; euidentes ſunt. Sed aduerte quòd ex duplici capite certitudo prouenit ſcilicet, vel ex intellectu cum ſuo ſubiecto (de qua hactenus loquebamur) vel ex partè voluntatis volentis pia affectione tracta id habere pro certo: quod intellectui certum non eſt. Talis eſt certitudo chriſtiana prouenit ens ab voluntate captiuante intellectum in obſequium Chriſti. Solus enim intellectus ſuo lumine illuſtratus: imo & lumine fidei adiutus: non certo miſterys abſconditis ab ſaculo, quæ nemo principum huiuſmũdi cognouit, inhæreret, niſi volantas fidelis adhurere voluiſſet. Huiuſmodi certitudo, atq; firmitas aſſenſus(vt ita loquãr) libera, ac voluntaria fatebor ego ingeaue toto genere ab euidentia diſtinguitur: ſed quæ ex virtute cognitionis rei, & connexionis extremorum prouenit(ſi magna eſt) euidentia eſt: nec vnquam huius oppoſitum dabitur. Itaq; in parua certitudine, etiam ſi renera certitudo ſit, nulla euidentia inuenitur. Hinc ſequitur: quòd principia ſunt notiora, certiora, euidentioraq; intellectui concluſionibus. Nam illa per ſe ubſq; medio intelligit ſine collactione ad alia, ſeu dependentia. Principium enim per ſe cognitis eius terminis cognoſcitur (vt ſtatim dicemus) concluſio vero intelligitur dum & ipſa, & dependentia atq; emanatio ab principio proſpicitur: qua non poſſunt ita perſpicua eſſe cognoſcenti: ac ſimplex principium. Et quanto magis propinquiores concluſiones principijs ſtiterint: tanto clariores erunt: vt pote ad quas cognoſcendas pauciora exiguntur: quanto remotiores alijs pluribus inter iacientibus obſcuriores. Quoniam ab pluribus eurum cognitio pendet: quæ non poſſunt abſq; caligine aliqua percipi. Quãquã id aduectendum eſt quòd claritas principiorũ, & certitudo eſt alterius generis ab euidentia concluſionis. Nam principia ſunt cauſſa æquiuocu concluſionis. Sed quando vna propoſitio eſt concluſio vnius, & præmiſſa alterius. Talis eſt cauſſa vniuoca concluſionis ſecundæ, & ideo umbæ poſſunt eſſe æque perſpicuæ. Vel ſi clarior, certiorq; fuerit præmiſſa, differet hæc certitudo ab certitudine, & euidentia concluſionis demonſtratæ tantum numero: ſicut pater, & filius, differentia prorſus numerica, non eſſentiali. His ſuppoſitis reſpondetur: quòd concluſiones ſunt etiam ex notioribus natura: vt pote, & vniuerſalium rerum, & vniuerſales. Vnde cum cõparamus principia illis in eſſe notum, de notis ſecundũ naturã loquimur. Et ideo propria eſt comparatio: quia eſt intra idem genus. Si concluſio foret ex notioribus nobis non

natura

natura argumẽtum procedebat. Modo dicimus, quòd ex duobus notis ſecundum naturam ſcilicet principijs, & concluſionibus principia nobis notiora ſunt. Nam quamquam non ſint eadẽ nota nobis & naturæ, nõ intelligitur non eſſe eadem ſemper. Haud tamen obſtat quim quandoq; eadem ſint: alias dignitas non foret bene definita: quæ de ſe nota eſt, & omnibus. Et præterea quando non eadem ſunt: non intelligitur vt notiora natura nullo modo nobis innoteſcant. Per hoc ſoluitur argumentum quamquam alia ſolutione. Primo phiſicorũ à nobis diſſoluendum eſt. Vbi hæc notiora adamuſſim nota faciemus. Ad cõfirmationes per ſuperiora quid reſpondendũ lucet.

Cap. 3. Textus. 7.

EX QVO autem demonſtratio eſt ſyllogiſmus faciens ſcire, & procedit ex primis, medioq; vacãtibus, vel neceſſario ad prima vſq; reducenda eſt: ad recto his hoc falſo fundamẽto quod non contingit ſcire, niſi per demonſtrationem: duo errores orti ſunt. Quidam inferunt non eſſe ſcientiam abſolutam in nobis, ſed cõditionalem. Quia vel itur in infinitum in redductione præmiſſarum: & ita nuſquã ad prima peruenietur. Fieri enim non poteſt, vt infinita quiſpiam pertrãſeat. Vel dãtur iſta prima, ſtaturq; in illis: quorũ proinde non erit demõſtratio: vt pote prima. Et per cõſequẽs non exacte, perfecteq; noſcuntur. Perfecte.n. noſſe non contingit (vt ſupponimus) niſi demonſtrationẽ ſcitorũ habeamus. Et cũ omnis certitudo ſciẽtiæ ex certitudine principiorũ prouenıat: nemo abſolute cõcluſionem ſciet, ſed cõditionaliter, ſi vera fuerint principia. Quæ vtrũ vera ſint ſcire abſolute nõ poſſumus. Vt pote quorũ nõ eſt poſsibilis demõſtratio. At ſcire conditionaliter quãtum ab ſciẽtia, de qua agimus, diſtet, palã eſt. Nam ſciẽtia debet eſſe de veris, de neceſſarijs: & tamẽ falſa, imo impoſsibilia conditionaliter optime inferuntur. Nimirũ, quòd conditio, & falſa, & impoſsibilia neceſſaria reddit. Vt hominẽ volare impoſsibile eſt abſolute: neceſſariũ tamen, ſi habet alas. Scientia ergo per demõſtrationẽ producta nõ poteſt eſſe conditionalis. Alij vero aſſerũt quidẽ ſcientiam eſſe, etiam ſi nihil, niſi demonſtratione ſciatur. Quia omniũ poteſt eſſe demõſtratio: nempe circularis.

NOS autem media via incedimus asserentes scientiam demonstrationemq; esse mediatorũ. At principiorum dari aliam meliorem cognitionem, certioremq; quam per demonstrationem partam. Vt pote quæ cognoscimus in quantum terminos eorum cognoscimus: non per demonstrationem. Necesse est enim prima, & optimè cognoscantur: vt pote origo, & fons totius certitudinis: & indemonstrabilia sint: quando quidem in his resolutio terminatur. Deinde cum & in caussis (vt videbimus) non procedatur in infinitum in vllo genere: sed in singulis detur prima caußa: cuius non sit alia caussa: congruit, vt si demonstratio procedit ex caußis: non omnium sit demonstratio: sed caussa & principia sine demonstratione cognoscantur. Vt enim quodpiã optime cognoscatur vti est, cognoscendum est: si ergo multa sunt absq; caussa essendi: sed ipsa sunt cæterorum caußa: hæc necessario sine demõstratione optime cognoscentur. Contingit ergo esse aliam scientiam non demonstratiuam.

¶ PRAETEREA circulus licet in syllogismo dialectico fieri posset: in demonstratione non potest: vt pote quæ procedit ex prioribus, & notioribus secundum naturam, & tamen eadem non possunt esse vnà priora, & posteriora respectu eiusdem. Quòd si ex principijs deducũtur cõclusiones illæ erunt certè his priora: si rursus ex conclusionibus principia: hæc erunt illis posteriora: sic respectu conclusionum principia erunt priora, & posteriora: & rursus conclusiones respectu eorundem principiorum pariter priores & posteriores. Quod & inconueniens sane & impoßibile esset: cum secundum esse conclusiones sequantur ex principijs. Et idem foret eiusdem rei caussa: & effectus: quod tamen repugnat: scilicet vt in eodem genere rationale sit caussa risibilis, & effectus eiusdem. Vt patet in tribus terminis. Quia homo est rationalis, homo est admiratiuus, & quia est admiratiuus: homo est risibilis ergo quia est rationalis: est risibilis. Vbi risibilis effectus est rationis. Rursus (si circulus fit) quia est risibilis, admiratiuus est, & quia admiratiuus: rationalis est, ergo quia risibilis est, rationalis est: vbi risibilis caussa est rationis. Imo idẽ esset caussa sui ipsius: quod adhuc impoßibilius est. Vt in duabus his propositionibus collectis splendet. Sane quia homo est rationalis: homo est risibilis, & quia homo est risibilis: homo est rationalis: ergo de primo ad vltimum, quia homo est rationalis: homo est rationalis. Propterea non est adhuc nec apparenter factibilis circulus, nisi vbi medium ac extremitates conuertibiles sunt: quomodo enim etsi quia aliquid est animal, est viuens: audebit quis ex aduerso dicere, quia est viuens, est animal. Cum tam frequẽter viuẽtia distinguãtur ab sensibilibus. Ad hæc (vt in prioribus dictum est) conuersio syllogismorum conuersionem postulat præmissarum simplicem: & tamen propositio affirmatiua vniuersalis non conuertitur simpliciter, nisi extrema fuerint æqualia: igitur demonstratio procedit ex principijs. Principia vero seipsis absq; demonstratione optimè cognoscuntur.

¶COMMENTVM.



ERAT PRACEDENS demonstrationis doctrina tam apud priscos philosophos suscepta vt in errorem nimia eius extensione laberentur. Nam quòd demonstratio scientes faceret, tanto aplausu suscipiebant: vtècontra nihil homines scire, nihil perfectè cognoscere, nisi demonstratione crederent: scientiamq; tam excelentem rei notitiam vt excelentiorem nullam iudicarent. Ex quo necessario alterum duorum infertur: nempe, vel quòd non est scientia, vel committitur circulus demonstrando. Et tamen si haud quicquam nisi demõstratione cognoscitur: principia quoq; per demonstrationem cognoscenda sunt. Cum tantopere requiratur ex actißimè cognoscantur: vt pote origo vniuersarum conclusionum, scientiæq; certitudinis. Demonstratio ergo principiorum procedet ex alijs principijs, quæ si perfecte (vt par est) cognoscuntur, illorũ quoq; dabitur demonstratio vnà ex alijs procedens. Aut ergo abitur in infinitum in principijs, aut in aliquot indemonstrabilibus statur. Si infinitus est progressus, erit inpertransibilis: & sic non producetur scientia: cum non dentur prima principia medio vacantia: ab quibus demonstratio initium sumat. In infinitum namq; non datur primum aut principium.

Si vero

Si vero alicubi sistitur, illa non exactè percipientur, vt pote non cognita per demonstrationem, & ita non absolutè conclusio, sed conditionaliter scietur. Hos philosophus rationibus refellit efficacibus: quos ego (vt mihi videor) patentius, atq; facilius suismet responsionibus redarguerem. Quærerem vnde illi tam perfectè cognoscerent: quòd demonstratio scientiam generat: cuius fundamenti nullam penitus demonstrationem habent. Deinde scire esse rem per caußam cognoscere, & quòd res scita aliter venire non potest. Hæc enim omnia sunt principia indemõstrabilia huius operis: quamquam bonis argumentis suadantur. Certè nullam horum demonstrationem afferrent: quibus tamẽ certißimè adhærebant.

¶ TEXTVS ostendit palam omnino scientiæ notitiam conditionalem repugnare. Scientia solum est de veris, & necessarijs: vt pote quæ dumtaxat inueniuntur apta, vt mente tanta certitudine capiantur. Est enim notitia scientifica perpetua: & cum conditione falsa, imo impoßibilia sunt necessaria, nedum vera. Vt hominem habere alas, chymeram ratiocinari est impoßibile: & tamen si homo volat: necessario habet alas: & si chymera est homo: necessario erit discursiua. Propositiones enim cõditionales, si bonæ illationes sunt: necessaria sunt. Sic nullum foret tam impudens mendacium, quod scientiæ subesse nõ posset. Præterea opus est sciens compertum habeat & noscat tã cõclusionem, quam principiũ (vt exposuimus) aliter euenire non posse: & tamen scientia conditionalis solum est de illatione non de re illata: nec antecedente. Veritas enim & similium neceßitas dũtaxat est bonitas illationis, non aliqua qualitas propositionis. Vnde omnis ista scientia conditionalis foret prioristica, non posterioristica: qualis per demonstrationem comparatur. Igitur scientiæ penitus repugnat esse conditionalem. Alij scientiam admittentes: circulum demonstrationibus fieri arbitrabantur. Estq; circulariter demonstrare ex præmißis conclusionem inferre, & è conuerso ex cõclusione alteram præmißarum: sumta Analogia à figura circulari, in qua extrema iunguntur, & reddit deductor ad id vnde proficiscebatur. Quod tamen si disciplinas exsistere opinabantur: & nihil nisi demonstratione perfectè cognosci, ponere cogebantur: cum nõ sit alius modus, nec via huiusmodi positionem tuendi. Nos autem asserimus scientiam, & demonstrationẽ esse mediatorum: esse autem quasdam propositiones, quæ non demonstratione sed simplici intelligentia perfectißimè cognoscantur: quæ scilicet cognoscuntur, in quatum eorum terminos cognoscimus. Nam duplex est propositio, alia nota de se, alia per aliud, sic differentes: quòd cum propositio sit extremorum compositio, assertio, seu negatio prædicati de subiecto: sunt quædam in quibus, vt penetremus vere extrema cõgruere, vel minime congruere, sufficit ipsa extrema cognosci: quia ipsa in se, & de se sui coniũctionem, vel segregationem claudunt: ita vt seipsis absq; medio cohæreant, vel separentur. Vt homo est animal, vt quis rectè iudicet animal homini competere sufficit hominem, & animal cognoscere: qui sunt termini illius propositionis: vt pote quibus cognitis èuestigio intellectui eius veritas splendet. Alia vero extrema vt cohærere cernantur, non sat est ipsa nosse: sed insuper rationem, caussamq; prospicere, quæ ea faciat cohærere quippe nõ seipsis coëuntia. Vt cognita quidditate hominis, & quidditate albedinis haud illico apparet, debere albedinem homini conuenire.

¶ QVAE doctrina rebus naturalibus innititur. Nam forma substantialis, & materia seipsis vniuntur: nec opus est inquirere (inquit philosophus) cur proprius actus, & propria potentia fiat vnum? sed is color non sine caußa media huic subiecto inhæret. Hinc est etiam, solere homines de quibusdam assertionibus inquirere propter quid sint veræ? De alijs vero minime. Rogamus enim quare homo est erecta figura? vel duos pedes, aut duas manus habeat? sed nusquã quærimus, cur homo est animal. Igitur propositio per se nota est, quam cognoscimus solum in quantum terminos cognoscimus: ad quã (inquã) cognoscendam sufficit ipsos terminos apprehendere. Per quod cætera excluduntur, ad quas percipiendas non sat est extrema nosse, nisi caußã cõiunctionis attingas. Est autem propositio per se nota, vbicumq; prædicatum est de essentia subiecti, vel primo ex essentia fluens. Vt cum prædicatur definitio, aut, pars definitionis, vel prima proprietas. Et quia in definitione continentur omnia superiora, vt in animali viuens, corpus, & substantia, &

ens, & horum omnium differentiæ: quodcumq; horum de speciebus prædicetur erit propositio per se nota. Igitur quia demonstratio procedit ex caußis, quæ sunt media conclusionum: de his per se notis non erit demonstratio: nusquam scilicet propositiones per se notæ erũt cõclusiones illius. Et quia demonstratio facit scire: hæ non propriè sciantur, sed tamen intelliguntur perfectißimè. Vnde alia cognitio necessario admittenda est altior, perfectiorq;: quam scientia. Quo circa has per se notas appellauimus superius notiores conclusionibus. Cuius ratio esse ea videtur, quòd quãto ex paucioribus præsertim extrinsicis rei cognitio pendet, tanto melius intelligitur. Vnde quæ ex nullis pendet: profectò clarißimè atq; lucidißimè cognoscetur. Tales sunt propositiones per se notæ: ad quas mente capiẽdas tanquã facilioris notitiæ natura dedit sufficiens lumen, sufficiẽtemq; virtutem: ad alias certè non sufficit lumẽ intellectus, nisi caussa ratioq; rei pariter concurrat.

¶ IN TEXTV probatur efficaciter eße huius conditionis quam plurimas: supposito quòd in nullo genere proceditur in infinitum: cõsule textum. In textu non eße poßibilem circulum in demonstrationibus ex ipsa ipsius definitione probatur. Dialecticus cum tantum intendat conclusionem ostendere: potest millies circulo vti. Quoniã optime probatur & caussa per effectum, & effectus per caußã. Id dũtaxat magnopere obseruaturus est, vt assumtũ semper sit clarius & notius illato, saltem respondenti. At officium demõstratoris non est conclusionem vtcumq; inferre, sed ex proprijs caußis, notioribusq; natura. Vnde quia eadem non sunt priora, & posteriora natura, non potest circulum demonstrando facere. omnia sunt in textu planißima.

¶ IN TEXTV infert quòd etiam si inconuenictia naturalia, buccasq; dedacta de prioritate, posterioritate, effectu, et caussa deglutiremus: nequit adhuc circulus vniuersaliter in omni demonstratione fieri: quoniam nec in omni syllogismo est poßibilis. Et ita conuertitur syllogismus (vt in quinto libr. vidimus) quando ex conclusionẽ, & altera præmissarum simpliciter plerũq; conuersa remanens præmissa infertur. Vt iste, amnis homo est animal, omne risibile est homo ergo omne risibile est animal conuertitur, dum ex conclusione, & minore simpliciter conuersa infertur maior. Vt omne risibile est animal, & omnis homo est risibile: ergo omnis homo est animal. Vnde tria sequuntur obstacula, ne quicũq; syllogismus circulariter cõuertatur: aut quæuis præmissa poßit circulo deduci. Primo si est demonstratiuus: & medium est species, aut differentia subalterna: nec apparenter profectò tunc superius pro ratione inferioris contrario adducetur. Vt si dicas, omne animal est viuẽs: omnis homo est animal: ergo omnis homo est viuens. Vbi animal aptè pro medio conueniendi homini viuens adduximus, si cõuersione viuens pro medio conueniendi animal adducamus: nec apparenter loquemur. Deinde quæcumq; illarũ præmißarum simpliciter conuertatur (quod tamen maxime requiritur) apertißimè cõuincetur falsitatis. Quia conuerti simpliciter vniuersalis affirmatiua non potest: nisi ex terminis conuertibilibus constet. De se enim generaliter tantum conuersione per accidens. Adhuc si fuerit syllogismus negatiuus (in quo conclusio, & altera præmissarum negatiuæ sunt) quo pacto affirmatiua ex duabus negatiuis deducetur. Igitur ne rem adeo manifestam tot rationibus ostendẽdo obscuram reddamus, concludimus: nec dialecticum semper vti circulo: nec demonstratorem in eodem genere vnquam posse.

VTRVM TEXTVS sit verus.



PARTE NEGATIVA arguitur. Primo in id quod propositiones per se notæ non demonstrantur, sed habitu principiorum cognoscuntur. Tales propositiones, vt V. g. homo est animal rationale, quatuor & tria sunt septẽ habent caussam, saltem efficientem: ergo poßũt demõstrari per illam. Antecedens prob. Si non à caussa de per se homo est animal, erit tale de per accidens: omnia enim entia præter primum, quod est Deus, vel est à caussa de per se, vel per accidens. Confirmatur hominem eße animal rationale est ipse homo: sed homo habet, sui caußam efficientem: ergo hominem esse animal. Secundo ad idem. Si quæ ratio ab

caußa

causa hæc cõplexa excludit: maxime quia sunt & vniuersalia & necessaria, sed neutrum tollit caussam. Siquidem substantiæ abstractæ, & orbes sunt entia necessaria: vt pote quæ deficere nunquam possunt: & tamen habent caussam: sunt enim effectus caussæ primæ. Præterea multæ sunt demonstrationes ex caussis efficientibus procedentes: sed omnis demonstratio est de necessarijs, & vniuersalibus ergo neutrum impedit: quo minus caussam habeat. Tertio contra definitionem propositionis per se notæ. Multæ propositiones, quæ cognoscuntur in quantum terminos cognoscimus, demonstrantur etiam à priori: ergo hæc non est sufficiens definitio. Propositio enim per se nota est, quam capite præcedenti medio vacantem, atq; indemonstrabilem appellauimus, & ideo ab grege demonstrabiliũ secernitur atq; eximitur, & tamen debet per definitionem seiungi: ergo illa definitio est nulla. Sed antecedens primum prob. Quia hæc; homo est corpus, cognoscitur in quãtum terminos cognoscimus. Imo hæc, homo est rationalis, & tamẽ vtraq; demonstratur: prior per viuens, posterior per definitionem hominis. In contrarium est auctoritas Aristotelis.

¶ CVM PRAESENTI capitulo naturæ principij vnde vniuersa scientiarum soboles procreatur, his paucis verbis definiatur. s. in quantum terminos eius cognoscimus, necesse est adamussim expendatur, & quidem princeps huius loci dificultas intelligentia est definitionis propositionis per se notæ. Scilicet quam cognoscimꝰ in quantum terminos cognoscimus. Cuius sensus si plane percipiatur, is est. Propositio per se nota est quam per se ipsam cognoscimus absq; alterius rei notitia, & hoc explicat li per se nota, idest, non per alterius propositionis notitiam cognita: sed ad quam intelligendam ipsa sufficit. Quod est dicere, quam cognoscimus in quantum terminos eius cognoscimus. Termini nãq; sunt partes intrinsecæ propositionis. Aliæ autem propositiones vt cognoscãtur, nõ modo terminos ipsarũ cognoscamus oportet: verũ & alia, scilicet caussam cõiunctionis extremorũ. Illæ ergo propositiones (quæ tãtũ ex proprijs terminis intelligũtur) intellectus lumine dũtaxat indigent. Quod quia à natura nobis inditum est: dicuntur etiam cognitæ naturaliter, idest, ad quarũ intelligẽtiã solũ lumine naturali egemus: cæteræ (quæ caussarum notitiã requirunt) dicuntur studio, & arte cognitæ. Hoc autẽ vnde proueniat, sane vt quarũdam extrema propositionum seipsis absq; caussa cohæreãt, aliarũ vero sine coniungente non coeant: expandimus sæpe superius. Per hoc vterq; horum error diluitur: vt pote ex hoc falso principio vterq; ortus. Nempe nullam esse propositionem per se notam: sed vniuersas debere per caussas cognosci. Sententia Arist. est: quod quemadmodum in rebus non omnia caussam habebant: sed ipsa cum essent aliorum caussa, non habebant sui principium: sed erant eterna: ita inter propositiones quædam forent dumtaxat principia: aliæ vero & principia, & effectus esse possint, idest, alternatim præmissa, & conclusiones. Et ideo quædam esse optime cognita absq; demonstratione: ex quibus omnis demonstratio procederet.

¶ ET CVM is sit huius loci planissimus sensus: Scotus nescio quo sinistro genio ductus rem manifestam verbis obscuris abscondisse, & quasi conuelasse mihi visus est: sumens ex contextu definitionis occasionem. Quia enim dixerat quã cognoscimus in quãtum terminos cognoscimus quid (inquit) per li terminos intelligetur. Reuera enim terminus est æquiuocus. Significat enim et voces vt in plurimum: nonnunquam vero ipsas res vocibus: & conceptibus repræsentatas. Sicut & nomen conceptus primo ipsam conceptionẽ mentis: secundario eius obiectum. Vnde solemus conceptum informalem, & obiectiualem distinguere. Inquiramus ergo oportet quid illic nomine termini explicatur. Primo dupliciter contingit terminos cognosci. Scilicet quoad cõceptus nõ vltimatos: & vltimatos. Conceptus non vltimatus est, quo cognoscitur terminus secundũ suam significationem: vt quando audio homo est animal cognosco has voces esse significatiuas. Prima propositio sit. Nõ sic intelligitur definitio propositionis per se notæ: sane quam cognoscimus in quantum ipsos terminos vocales, scriptos ve cognoscimus. Primo quia in hoc nullum est discrimẽ inter propositiones. Quemadmodũ enim cognoscuntur iste voces quodlibet est, vel non est; & illæ homo est albus. Et quemadmodum notitia terminorum requiretur de cõclusionibus: & de præmißis: & inutrisq; solum exigitur notitia signorũ. Vnde omnes forẽt per se nota. Secũdo nulla esset per se nota. Nulla est. n. quæ

cognoscatur solum in quãtum hi termini cognoscũtur. Quia cognitio talis terminorum est tãtũ via ad aliud: & tamen in propositione per se nota iam cognita sistit intellectus. Tertio propositio per se nota solum esset in voce, & exterius. Nã sic cognosci terminos non contingit nisi exterioribus. Itaq; constat apud omnes, quòd de cognitione vltimata terminorum est sermo.

¶ RVRSVS quemadmodum propositio alia est fundamentaliter scilicet ipsæ res signata: & alia formaliter. s. conceptus intellectui inhærentes. Ità duo sunt termini alij formales. s. conceptus ex quibus componitur mentalis loquutio: alij fundamẽtales: qui sunt res ipsæ significatæ: quæ appellantur termini obiectiuales. Vnde sit secũda propositio. Nõ intelliguntur hic termini formales, idest, li terminos in definitione non accipitur pro conceptibus. Primo quia conceptus hi non cognoscuntur nisi per reflexionem: propositiones autem hæc directissimè cognoscuntur. Notitia harum propositionum est etiam nobis euidentissima: & ex earum cognitione cæteras intelligimus. Sunt enim principia: conceptus aũt obscurè cognoscuntur & caliginose. Vnde de eis non intelligitur. Quos certe nec sigillatim singulos, nec totam propositionem mentalem vix bene vnquam capimus. Ideo si li terminos conceptus hic importat, imperfectissimè principia nossemus. Reliquum est igitur Vt de rebus cognitis sit sermo. Propositio de se nota est illa, quæ cognoscitur in quantum cognoscimus rem subiecti, & prædicati. Vt pote quibus extremis dumtaxat perceptis intellectus euestigio cognoscit patenter aut verè cõuenire, vel discõuenire. Rursus cognoscere has res contingit dupliciter: vno modo confusè, alio modo distinctè, & perfectè. Sit tertia propositio. Quando dicimus in quãtum terminos cognoscimus: li cognoscimus non pro cognitione confusa accipitur sed distincta, & perfecta. Primo nulla res dicitur, neq; est nota eo quòd confuse cognoscatur. Nam esse quid notum plus est quam cognitũ. Est enim esse manifestum. Et deniq; ad explicandam clariorem euidentiam solemus vti nomine noti. Ergo propositio per se nota non est, quæ confuse noscitur. Secundo propositio per se nota est euidens: euidẽtia vero inresolubilibus consistit in resolutione: in non resolubilibus in claritate, & distinctione cognitionis, vt constat de ente & alijs simplicibus: quæ donec distinctè cognoscantur: non cẽsentur euidenter cognosci. Sensus ergo definitionis est. Propositio per se nota est, quæ in quãtum cognoscuntur partes eius: cognoscitur. Vbi est aduertendum, quòd propositio non modo significat prædicatum, & subiectum: sed proprius signat hoc esse illud. Itaq; dicit partes vnitas: quod est commune omnibus per se compositis. Nam leo non materiam, & formam dicit: sed simul formam informantem materiam: aliás non est leo. Opus ergo erit vt cognoscantur termini nõ absolutè, & separatim (secundum quod ad primam operationem intellectus spectãt) sed prout in propositione vnum dicitur de alio. Verum est non opus esse cognoscere in actu signato intẽtionem prædicati & subiecti: sed cognoscere in actu exercito, & quidditates extremorum, & esse has quidditates partes huius propositionis. Itaq; sensus est. Propositio per se nota est, cuius vt cognoscatur prædicatum competere subiecto, vel non competere satis est nosse ipsos terminos, ipsas res per terminos importatas. Vnde licet termini omnium propositionum cognoscantur, eadem via: cognoscere tamen illos non semper sufficit ad cognoscẽdam illorum cõnexionẽ. Quia ergo nossẽ propositionem est nosse veritatem eius: & veritas consistit in compositione, & coniunctione (est enim affirmatio, & negatio) & sunt nonnullæ propositiones talis conditionis, quòd vt vera earum compositio noscatur: satis est, intelligere partes: in alijs vero non satest. Vt cognoscam enim quòd homo est albus, non sufficit nosse hominem, & albedinem. Stat enim me cognoscere quid sit homo, quidq; albedo, & ignorare an homo habeat illam. Sed quicumq; cognouerit quid homo, & quid animal: intelliget necessario hominem esse animal, esse verum. Et idem dicẽdũ est de falsitate. Sed nunc inuestigandum quãdo sufficiet nosse terminos, vt veritatem propositionis agnoscas: quandoquidem non semper sufficit. Ex his quæ dudum diximus, nullo negotio colligitur quòd cum sicut res se habet adesse: ita ad cognosci: illæ res quæ sic cohærent in re, vt nulla sit caussa quare vnum cohæreat alteri, sed ipsæ res se ipsis iunguntur, vel disiunguntur: tales in propositione positæ facient illam per se notam. Nam si vlla caussa est quare cohæreant ex cognitione illius caussa cognitio veritatis propositionis depẽdet ex cognitione ipsarum rerum. Si

ergo in re aliqua est caussa cõnexionis extremorum, necesse est (vt veritas eius cognoscatur) nõ modo cognoscere prædicatum & subiectum: sed insuper illam caussam: quæ reuera facit prædicatum cohærere, aut congruere subiecto.

¶ ITAQVE propositio per se nota est illa cuius subiectum, & prædicatum sine caussa cohærent, & sine medio: quæ. s. seipsis vniuntur. Et cũ sit quadruplex genus caussarum, necesse est, vt in eo genere propositio sit per se nota: in quo nullam sua connexiones caussam habet. Contingit enim habere in vno, & non in alio. V. g. anima se ipsa vnitur corpori in genere caussa formalis: & tamen est huius vnionis efficiens. Et quia genus sumitur à materia, differentia vero à forma: quamquam anima de corpore non prædicatur, hæc est immediata, homo est animal rationale, ac demum cohæret sine medio definitio, definito, & id quod primo emanat ex natura, vt prima paßio. Nam secunda emanat mediante prima, in natura enim omnia sunt ordinata. Vnde & in paßionibus entis profecto est ordo emanationis, & prædicationis (vt est in quarto methaphisica considerare) & multo magis in alijs speciebus. Vnde & hæc: totum est maius sua parte nam ex totalitate primo emanat excessus: & illud quodlibet est vel non est, & quæcunq; propositio vbi contradictoria disiunctim prædicantur per se propositiones notæ sunt: nõ enim caussa est, quare neceße sit alterũ cõpetere: sed ipsa sic repugnant: vt neq; ambo simul abesse, neq; ambo adesse queant. Est enim affirmatio & negatio eiusdẽ de eodẽ. Itaq; propositio per se nota est, illa inter cuius extrema nullum est mediũ. Hæc omnia adeo sunt manifesta, vt nemo inter viros doctos poßit vllatenus negare.

¶ SED magnopere aduertendum, quòd non eodem modo semper res à nobis cognoscitur, vti in se se est. Vnumquodq; enim cognoscitur, secũdum quod est in cognoscente: & sæpe non est in nobis res, secuti in se: aut propter eius altitudinẽ & profunditatem, aut nostram hebitudinem & ignorantiam. Vnde fit: vt sæpe inter quæ non est caussa: sed de se vniuntur, nos id non cognoscentes medio vtamur nobis noto ad cognoscendum. Hoc autem prouenit, quia cum propositio per se nota sit, quæ cognoscitur in quantum terminos cognoscimus, non cognoscimus profecto tũc terminos cognitione perfecta. Ex quo sequitur, vt propositio per se nota sit duplex, alia secundum se tantũ, alia & in se, & nobis. Illa enim quæ sicuti in re medium non habent, ita etiam sine medio à nobis intelliguntur: merito, & in se, & nobis notæ appellantur. Sed (quia sæpe res vti in se sunt non attingimus) alia sunt nota, & nobis nõ ita patent.

¶ HOC AVTEM scilicet q̃ nos medio vtamur contingit dupliciter: vno modo; quia illud medium est effectus alterius; & patentius, vt quando per actionem probamus potentiam, aut per singulares vniuersalem, ac demum per posteriora priora: hunc autem syllogizandi modũ nos à posteriori nominamus. Alio modo cõtingit ex natura nostri intellectus. Est enim potentia in primis, quæ ab imperfectis ad perfectam cognitionẽ prouenit. Cũ enim eius actio sit naturalis non è vestigio perficitur, aut perfecta nascitur: sed prius cognoscimus res confuse, deinde distincte. Rursus in cognitione distincta est aptus intellectus, ea quæ sunt coniũcta, seiuncta facere. Ex qua aptitudine, & capacitate totus prædicamẽtorum ordo, & ars consurgit ab intellectus conditione proueniens sed in re fundamentum habens. Intellectus facit vniuersalia: facit genera, & species, non modo propter secundas intentiones, quæ sunt entia rationis sed propter ipsa quoq; abstracta quæ illis substãt: de quibus sunt sciẽtia. Quæ nisi actione intellectus abstraherẽtur: intelligibilia non fierent. Hinc prouenit distinctio definiti, & definitionis. Cum sint re vnum, sed illud confuse cognoscitur, hoc distincte accipitur. Hinc distinctio generis, & speciei, & differentia. Sæpe ergo nos sumimus definitionem ad concludendum de definito illam tãquam caußã huius, vel immediatum genus, vt concludamus remotum. Has tales demonstrationes à posteriore non appellamus. Quia quod antecedens est: non est posterius conclusione. Sicut quando ab effectu. In his vero medium, & subiectum sunt idem. Sed potius sunt à priori: sunt enim à caussa non essendi, quia idem sunt: sed cognoscendi tantum, & hoc constat: nam tota eorum distinctio colligitur penes modum diuersum cognoscendi ergo nullo modo à caussa in re proceditur: sed à caussa claritatis, & cognitionis, non à caussa veritatis. Sed dices etiã in à posteriori proceditur à caussa cognoscendi: imò cum omnis demonstratio procedat à caußis: hæc. est differentia: quòd

in à priori proceditur à caussis essendi & cognoscẽdi: in à posteriori à cognoscendi tãtũ. Respondetur non ideo est à posteriori, quia procedit ab caussa cognoscendi imo omnis caussa in eo quod caussa est: prior est: sed quia illud mediũ, quod est prius cognitione, reuera est posterius, vt poto effectus, & ideo à posteriori appellatur. Hic aũt nõ proceditur ab effectu, sed ab eodem potius diuerso modo tamen cognito: & quia non est effectu .s. sed est idem in re: & in intellectu est notius, clarius, & distinctius à priori simpliciter appellatur & est: quia nullo modo proceditur ab effectu, & proceditur tamen à caussa saltem in cognitione. Hinc colligitur accidere aliquando vt propositio per se nota, inter cuius subiectum (inquam) & prædicatum, reuera non est mediũ, demonstrabilis sit à priori hoc pacto dicto.

¶ EX QVIBVS omnibus infertur, Scotum & S. Thomam si attente legantur solum verbotenus differre. Scotus 1. dist. 2. q. 2. considerans ordinem cognoscendi, & referens propositiones ad intellectum: eas dumtaxat de se notas existimauit: quæ nobis sine medio nota erant. Vnde propositiones (in quibus) genus remotum prædicabitur de specie, & differentia propria, & prima passio de specie iudicauit notas per aliud. S. Tho. conyciens oculos in rem, & in doctrinam peripateticam Aristotelis per rem propositionẽ per se notam definiuit: & præfatas propositiones per se notas, atq; indemonstrabiles de se iudicauit. Omnes vero demõstrationes (in quibus hæ demonstrarentur) demonstrationes quoad nos, et reuera petitiones principy asseruit habendas. Scotus aũt duplici de caussa reprahensibilis videtur. Primo quia cũ de propositione per se nota verba faceret: debebat excludere quidquid pro propositionibus ex parte intellectus prouenit quod insinuat ipsum nomẽ agendũ scilicet li per se nota. Per se enim remouet omnem considerationem nostri: & ad res secundum se iudicãdas remittit: & tamen si ordo intellectus, & modus cognoscendi secludatur: de se notæ sunt. Secundo debuit cum Arist. distinguere de se notas propositiones & nobis. Cum ille asserat, non esse eadẽ nota nobis, & natura: & tamen secundum eius expositionem omnis propositio per se nota est nota nobis. Multo ergo rationi cõsonantius d. Tho. loqutus est, propositiones per se notas eas dumtaxat arbitratus: quæ secundum se forent indemonstrabiles. Et eas, inter quarum subiectum & prædicatum secũdum rem nullum medium iacet: vt inter substantiam vero, & hominem nullum medium iacet. Omnia enim media genera arte intellectus fiunt, diuiduntur, & disponuntur.

¶ AD PRIMVM igitur argumentum respõdetur, quòd propositio per se nota semper est de se indemonstrabilis: contra demonstrabiles enim condiuiditur. Hoc enim fuit philosophi ingenium: detexere quasdam propositiones, quarũ non est demõstratio, & sine demonstratione optime perceptibiles. Sed quæ de se indemonstrabilis est: demonstratur tripliciter, primo à posteriori (de quo post mocũ) secũdo quoad nos, per medium distinctum sola ratione: vt cum demõstro corpus de homine per animal, vel viuens: cum animal, & corpus, & homo quidditatiue identificentur. Tertio & vltimo modo per aliud genus caussæ. Nam quia indemõstrabilis est propositio prima, & medio vacans, contingit in vno genere primam esse in alio, tamẽ demonstrabilem esse. De quo superius loquuti sumus: vbi caussa efficiens per formalem demonstratur. Et in hoc sensu non prohibetur circulus. Negamus autem omnia habere caussam efficientem, per quã demonstrari queant: sed omnia singularia in re habent quidem caussam: de quibus illa maxima intelligitur, nempe quod omnia sunt effectus caussæ primæ. Scienti aũt non agunt de singularibus: sed de vniuersalibus: quæ sunt non effecta, ingenerabilia: deinde etiam si omnia caussam haberent, in alys generibus forent, nihilominus immediata, ac indemonstrabilia.

¶ SECVNDVM argumentum exigit illam difficultatem obstrusam, atq; reconditam ventilemus, vtrum complexa & omnino propositiones necessariæ caussam præsertim agentem habeant: quam opera precium putaui paucis resoluere. Primo complexum est duplex: necessariũ: vt hominem esse animal, & contingens: vt petrũ sedere: de quorum prioribus (vt decet) dumtaxat in præsenti loquimur. Quæ bi partiuntur: quædam: in quibus prædicantur essentialia: alia in quibus proprietates. Rursus de complexis dupliciter tractamus: formaliter: scilicet de ipsorum compositione & structura (quorum omnium cõstat sine disceptatione, apud omnes intellectum esse caussam) & materialiter de ipso re scilicet

signifi

ſignificata.Rurſus vt difficultas detegatur, non quæritur de eſſe exſiſtentiæ, vtrum.ſ.ſit aliqua cauſſa agens hominem exſiſtere animal? patet enim quòd ſiue de homine ſingulari loquamur, ſiue de homine in communibus exſiſtētiæ cauſa datur. De ſingulari primo & per ſe, de vniuerſalibus ſecundario. Nam vniuerſalia ad productionem ſingularium producibilia ſunt. Vnde dicimus quòd Petrus generat paullum, & homo hominē, & animal animal. Sed nec de eſſe quæritur, prout eſſe dicit compoſitionem propoſitionis: cum excluſerimus iam, quicquid ad propoſitionem pertinet: ſed de eſſe eſſentiæ. An aliquis effecerit, vt de eſſentia hominis ſit animal? igitur antea complexa ventilentur in quibus eſſentia prædicatur. Ad quod plane reſoluendum impēdio requiritur, de quidditate ſimilium complexorum agatur. Patet autem in his nullam rem complexam importari. Nam eſſentiam & ſubiectum ſeu ſuppoſitum nullam prorſus compoſitionem faciunt: nec ponunt vllatenus in numero: ſed ſunt eadem res operatione intellectus tantummodo differens. Primo ſi quidditas in cōcreto & ſpecies non ſunt idem: quid erit idem? cum tamen neceſſario (vt apud philoſophos conſtat) plurima ſint idem. Secundo definitum, & definitio ſolum differunt modo ſignificādi. Definitum ſignificat confuſè: definitio diſtinctè. Ergo in re ſimplex eſt, & vnica res homo, & animal rationale. Tertio illæ res realiter ſunt complexa, quæ realiter fuerint plures: ſed genus, & ſpecies non ſunt realiter plura: quæ enim realiter differunt, nec identicè vnum prædicatur de alio (tantum ab eſt) vt quidditatiuè prædicetur. Quarto idem à ſeipſo realiter differre non poteſt, vt homo (vnde inquit boetius) nihil eſt tam naturale, quam idem ſibi idem eſſe. Ergo hominē eſſe hominem, eſt realiter ipſe homo: ergo hominē eſſe animal, rationale, itidem eſt realiter homo. Cum homo, & animal rationale ſint idem. Cum autem cauſam realem efficiētem complexorum inueſtigemus: & complexa re ipſa ſint ipſæ ſpecies, & naturæ: cauſſam complexorum rimari: eſt inquirere, vtrum ſit aliqua cauſſa ſpeciei ſecluſa exſiſtētia? Cui quæſtioni reſpondetur negatiuè: ſimiles quidditates rerum, atq; eſſentiæ cauſſam efficientem non habent. Prob. Priuſquam deus conderet orbem, & rerum vniuerſitatem inſtitueret: nullius erat cauſſa ergo. Secundo quidditates rerum ſunt eternæ: ergo non habēt cauſſam. Quia ſi qua foret maxime deus. Secundo ſi deus cauſa foret huiuſmodi conuenientiæ: eſſet cauſſa libera Quicquid enim adextra deus facit, liberè facit. ſic de ſe poſſet diſponi. Vt homo non eſſet animal rationale: & per conſequens vt homo nō eſſet homo: quod implicat cōtradictionem. Sequela tamen prob. Quia volita dei libera licet ſuppoſito ſemel eſſe volita: mutari non queant, abſolute tamen potuit deus illa nolle: alias non ſaluaretur libertas. Tertio omnis productio (quæ tamen eſt cauſſalitas cauſſæ agentis) eſt circa indiuiduum: nā terminatur ad eſſe ſuppoſiti ſicut corruptio ad non eſſe. Ergo ablata à rebus exſiſtentia per intellectum nulla rerum poteſt intelligi cauſſa efficiens. Sed eſt conſiderandum, id quod de per ſe cauſſam non habet: habere vel in alio, vel ſecundario (ſicut diximus) vniuerſalia primo non fieri: produci tamen ſecundario in indiuiduis. Ita ſpecies ſiue inconcreto vt homo: ſiue in abſtracto, ut humanitas. Etſi de per ſe ſuæ definitiones non fiant: fiunt tamen ſecundario in ipſis indiuiduis. Vt quando creatus eſt adam, nō eſt fingendum, naturā perpetuo præceſſiſſe, & nūc denuo eſſe exſiſtētiæ adquirere. Antea enim ſolus deus erat, & omnia in ipſo vita erant, in ſe ipſis nihil omnino res erant: ſed tunc natura integra condita eſt, atq; facta: quamquam productio non ad eſſe eſſentiæ, ſed ad eſſe exſiſtētiæ, ſeu ſuppoſiti primo terminetur. Et ſecundū hoc propriè, ac verè dicimus, deum feciſſe, vt homo ſit animal rationale, & quòd ſpecies, & genera rerum habeant cauſſam ſe producentem, in ſuis indiuiduis.

¶ SED QVID de complexis vbi proprietas quarto modo prædicatur. Similia profecto quando diſtinguntur realiter, vt intellectus, voluntas, & ſenſus realiter ſunt complexa, vt pote plurima entitates: ſed cauſſa conſideratur dupliciter, vno modo in actu exercito, & ſic ſemper eſt ſingularis: alio modo in communi: & ſic ſolemus effectibus vniuerſalibus cauſſas vniuerſales aſſignare. Secundo eſt notādum quòd quærere cauſſam proprietatis: eſt ſcrutari cauſſam emanationis ab ſubiecto, & conuenientiæ ſpeciei. Et conſtat quòd natura eſt cauſſa quodam modo efficiens & adæquata. Præterea hæ propoſitiones ſunt realiter demonſtrabiles, & demonſtrantur per naturam, definitionemq; ſpeciei, quaſi per

cauſſam

caussam extrinsecam, efficientem. Igitur. Ad cõfirmationem fatemur, eodem modo habere prioris generis complexa, vbi scilicet essentialia prædicant, caussam: sicuti & species: sed nec species habet nisi in singulari, & ex tempore. Ad secũdam confirmationem concedimus, neutram illã rationem excludere efficientiam, sed rationes supra formata. Ad secundum principale argumẽtum plurima iam respondimus.

Cap. 4. De dici, de omni & modis per se, & vniuersaliter. Tex. 8.



QVIA VEro quod absolute scitur: fieri nõ potest vt aliter se se habeat: & quod aliter se habere non potest: id necessarium dicimus: absolute autẽ scimus cum rei demonstrationem habemus: patet, quòd omnis demonstratio constat ex necessarijs. Operæ precium est ergo nosse, & quæ opus sunt, vt propositio sit necessaria, & ex quibus necessarijs demonstratio (vt perfecta euadat) componi, debeat. Ad quod percipiendum tria nobis exponenda sunt scilicet quid de omni, quid per se quid vniuersaliter.

Tex. 9. De omni dicitur prædicatum quod semper competit, & subiecto, & omni cõtento sub illo: vt animal de homine dicitur de omni. Nullus est enim quin sit animal: itidem color de albedine. Genera enim sunt subiectorũ. Per se autem quadrupliciter dicitur. Primo quando prædicatum est de essentia subiecti, vt triangulus est figura: numerus est quantitas: homo est rationalis: petrus est homo. Secundo modo quando prædicatum est propria passio subiecti. Vt linea est recta, vel curua: numerus est par, & impar: triãgulus habet tres angulos æquales duabus rectis.

TERTIO modo dicitur per se omnis substantia. Hæc enim est ens per se: accidens vero ens in alio. Quarto modo quod ad vnũ quodq; de per se sequitur. Vt ambulans mutat locum: ingulatus interit. Hoc pacto proprius effectus prædicatur de propria caussa: vt edificator edificat: doctar docet. Ex his modis primus & secũdus subseruiunt principaliter demonstrationi. Nam omnes propositiones scibiles fere, vel anuntiãt essẽtialia de subiectis: aut proprietates. Præsertim quòd cetera prædicatianes, vbi nullum istorum prædicatur, sunt accidentales. He autem de per se.

Tex. 10. Vniuersaliter dici-*tur prædicatum quod de omni & per se de subiecto dicitur, & cui primo inest, maxime in vnã uocis. Vt homo est risibilis. Risibile enim primo competit homini non animali, vel huic homini. Tales debent demonstrationes esse, vt ex his propositio-*

poſitionibus conſtet in quibus prædicetur de omni, & per ſe ac vniuerſaliter. Circa quod non infrequenter plures decipiuntur putantes vniuerſaliter prædicari: quod tamen non primo competit illi ſubiecto, ſed alteri. Vt ſi proprietas generis demonſtretur de ſpecie. Quod poteſt accidere eo quòd ſola illius generis ſpecies exſiſtit. Vt ſi proprietas ſolis demonſtretur de hoc ſole. Aut quia licet plures ſint ſpecies: non eſt tamen nomē impoſitum, quo genus appelletur, & ideo ſigillatim de ſingulis proprietas generis aut aliquid illius demonſtretur. De quarum nulla vniuerſaliter prædicabitur. Vt ſi tendere deorſum, quod competit graui, oſtendas ſeorſum de terra, & de plumbo: quoniam ignoras quid ſit illud: aut quo modo appellatur, cui hæc prædicatio primo cōpetit. Item ſi æquale, vel inæquale monſtrares per ſe de quantitate continua, & de diſcreta neſciens ambas conuenire in ratione quantitatis. Idem etiam eſt error: ſi paſſio, aut prædicatum ſpeciei demonſtretur de genere. Tertio modo quando non prædicatur de toto ſubiecto, aut de tota ratione, ſed de parte. Vt ſi non concurrere prædicetur de lineis quæ interciſæ perpendiculariter faciunt angulos rectos. Non enim his dumtaxat: ſed eis conuenit: quæ interciſæ tranſuerſaliter, conſtituunt duos æquales duobus rectis. Igitur cum multipliciter circa vniuerſalem prædicationem labi turpiter contingat: par eſt plurimum aduertatur vti prædicationes, ex quibus demonſtratio conſtatur, reuera ſint valde vniuerſales. Prædicata (inquam) competant ſubiecto ſecundum quod tale eſt.

¶ COMMENTVM.



EXPLICATA ſcientiæ, demonſtrationiſq; natura, atq; erroribus circa diſciplinarum productionē exortis radicitus extirpatis: deinceps in hac tertia parte Ariſtoteles explicat fuſius, qualis nam integra materia demonſtrationis, tam præmiſſarum, quam concluſionis eſſe debeat: quoniam et ſi de præmiſsis conſtitutum ſit debere exveris, primis, medioq; vacantibus procedere: multa alia habitura ſunt, quæ & conſideranda ſuper- ſunt, & forſan in ante habitis incluſa, ſed nunc formalius exprimenda. Generaliter ergo tā præmiſſæ, quam concluſio debent eſſe propoſitiones neceſſariæ: quam concluſionem Ariſtotiles in his duobus capitulis principaliter intendit. Nā & ſi alias earundem propoſitionum qualitates patefaciat, ſanè vt ſint de omni, per ſe, & vniuerſaliter, omnes tendunt ad oſtendēdum, quam neceſſariæ eſſe debeant. Haud enim ex quibus vis neceſſarijs, ſed ex earum ſelectiſsimis, ideſt, maxime neceſſarijs demonſtratio conſtat. Concluſionem autem probat efficaci argumento in principio ſtatim capituli: ſuppoſito id eſſe neceſſariū quod aliter euenire non poteſt. Ait ergo id quod ſcimus (vt ex ſcientiæ deffinitione colligitur) aliter euenire non poteſt, & per conſequens eſt neceſſarium. Demonſtratio vero eſt ſyllogiſmus faciens ſcire, ea quæ ipſa continet: ergo agit de neceſſarijs. Sed quia adhuc latet quid nam opus ſit, vt propoſitio neceſſaria exſiſtat, & neceſſe eſt vt propoſitiones demonſtrabiles pluſquam neceſſariæ ſint: exponit tria: quæ vtrumq; manifeſtiſsimè produnt. ſ. quid ſit dici de omni, quid per ſe, & vniuerſaliter. Quarum rerum doctrina eſt, & vtiliſsima, & cunctis philoſophis celeberrima, & frequentiſsimè vſurpata. Quam proinde conati ſumus apertiſsime docere: ſed quia propoſitio conſiſtit in quadam extremorum compoſitione penes quorum vnionem maxime eius neceſsitas penſatur: penes modum conueniendi prædicatum ſubiecto hæ qualitates colliguntur.

¶ DE DICI autem de omni loquuti ſumus, & hic, & 5. libro ſummularum. Illic de omni dicebatur, quodlibet prædicatum quando de ſubiecto diſtributo quomodolibet, ſiue verè, ſiue falſò impoſsibiliter ve, aut neceſſario aſſereretur. At hic illud prædicatum dicitur de omni: quod ſemper, & ſubiecto, et omnibus eius contentis, ideſt, ſingularibus competit: quod ideò & verè debet prædicari, & perpetuo conuenire. Quod Ariſtotiles neganter expreſsit dicens, de omni dicitur: quod non vni competit, & alteri competit, vel modo & non ſemper. Vt riſibile quod & homini, & omni homini ſemper conuenit. Itidem & animal, & quoduis genus ſuperius, generumq; differētiæ, atq; proprietates: ex quibus extremis propoſitiōnes conſtantur, quas perpetuæ veritatis conſtituimus. Ex his ſequitur, duplex dici de

omni

omni reperiri: primum vocatum prioristicum, loco præfato definitum, cui forma syllogistica, atq; robur affirmatiuorum adnititur. Alterum posterioristicum, præsenti loco tradditum. Illud subserait ad forma syllogismi examen, hoc autem ad materiæ: quo scilicet vtrum propositiones sint aptæ demonstrationis compositioni perpendamus. Nam tales debēt in primis esse demōstratiuæ, in quibus prædicata semper, & pro omni indiuiduo competant subiectis. Ex quo splendescere incipit quam de veris, perpetuis, atq; necessarijs disciplinæ, demonstrationesq; agant. Secunda conditio est, vt dicatur prædicatū de per se: sed dici de per se contingit quadrupliciter. Primo cum prædicatū est de essentia subiecti: quod proinde erit vel definitio, vel aliqua eius pars, genus, vel differentia, vel quod vice alicuius horū ponitur. Haud.n. semper verum genus, veraq; differentia cognoscitur, vel species de indiuiduo. Secundo modo quando prædicatum est propria passio subiecti, seu accidens proprium. Et quia tale definitur per speciem, velut proprium sui subiectum: Aristotiles hos modos perseitatis (si sic licet dicere) his verbis exposuit. Primum quando prædicatum est de definitione, aut definitio subiecti: secundum, quando subiectum est de definitione prædicati. Re veraq; descriptio æquipollet, etsi nostra videatur dilucidior. Aristotelica innumeris obiectionibus ianuam pandit.

¶ SVNT AVTEM adeo vniuersales hi modi prædicatorum, vt prædicatum altero horum non dictum: accidentaliter dici censeatur. Siquidem rei cuilibet nihil præter naturam, atq; proprietates de per se competit: cætera sunt indiuiduorum accidentia. Nam in specie (quæ tamē est tota natura) præter ista duo, nihil actu continetur. Ad hæc cum prædicabilia sint quinq;, & in primo modo priora claudantur s. genus, species, & differentia, & secundo modo quartum prædicabile, quæcūq; extra hos duos modos prædicata supersunt, quinti prædicabilis sunt, & per cōsequens faciunt prædicationes accidentales. Nihilominus tertius modus dicendi per se est, quando etiam simplici termino rem prædicamenti substantiæ nominamus. Enimuero cum substantia sit ens per se, accidens ens in alio: ens per se dicitur, cum substantia quapiam significatur. Is modus nō est prædicandi, sed dicendi. Quartus autem est prædicandi, nempe cum de quopiam asserimus, quod illud de per se cōsequitur, vt homo appetit fœlicitatem, est politicus, est animal ciuile, atq; sociabile: hæc omnia hominē natura etiam, & proprietatibus constitutū de per se sequitur. Sed hæ prædicationes primo possūt intelligi de ipso actu, & appetito elicito tum beatitudinis, tum ciuitatis, atq; societatis: & de inclinatione ad hæc naturali, & vtroq; modo est in quarto modo, neutro est in secundo saltem stricto. Nec enim propria passio hominis est proclinem esse infelicitatem, sed consequitur illum. Alij collocant in quarto modo, & recte propositiones, in quibus proprius effectus prædicatur de sua caussa, vt ædificator ædificat, doctor docet. Quæ quidem prædicata licet in ratione entis accidentaliter competant subiectis. Nō enim doctor de per se docet, sed de per accidens: cum plures doctores non doceant. Vnde li docent, & ædificāt hic, nō pro aptitudine sed pro actu capitur. Actus enim est proprius effectus: aptitudo vero ipsa natura, & essentia doctoris. Signū (inquit) est sapientis posse docere. Quia ergo prædicari de per se opponitur ei, quod prædicari de per accidēs, quæ de per accidens rei cōueniūt, sub eius scientia cadere non possunt: vt pote, & innumera, & admodū mutabilia. Ita sequitur in omni propositione demonstrationi subseruienti debere prædicatum dici de per se. Secunda tandem prædicatū (vt omnia vno verbo claudamus) debet dici de subiecto vniuersaliter: vt sit digna aptissimaq; propositio demonstrationi. Quod est competere illi absq; medio maiori: quod aliqui explicant, vt competat secundum quod ipsum, idest, vt tale est: vt homini risibile. Is enim vt homo est, risibilis est. At sensibile nō competit nobis vt homines sed vt animalia. Nōnulli exigūt vt quod piam prædicatum vniuersaliter prædicetur cum subiecto conuertatur: ad quod est consequens, vt sola differentia, & quæ gradum differentialem in specie sequuntur s. propriæ passiones vniuersaliter dicantur. Hæc enim dumtaxat cum specie conuertuntur. Sed profecto animal vniuersaliter de singulis speciebus verificatur. Etenim hæc est immediata, homo est animal: ergo dicitur absq; medio, & per cōsequens vniuersaliter. Deinde aīal homini cōpetit secūdū quod ipsum. s. quatenus est homo, quomodolibet secundum quod ipsum explicetur, & tamen non conuertitur

nertitur igitur non opus est cōnertatur. Ad haec homo,& singulæ species prædicantur deipsis individuis, quatenus talia sunt: sane secundū quòd homines: vt pote in quibus præter homines esse nihil essentiale relinquitur. De hac prædicatione vniuersali varie doctores hic,& alibi loquutur. Sed relictis tot huius doctrinæ expositionibus existimo clarius, logicaliusq; secūdum quod ipsum explicari, si dicamus, specificare subiecti cōceptum. Quia eum dupliciter capiatur reduplicatiue, idest, causaliter, & specificatiuè: & hic causaliter teneri non possit (haud enim omnia quæ efficit: de illo vniuersaliter prædicantur) restat teneatur specificatiuè: & sic sensus est, quæcumq; sub proprio eius conceptu conueniunt. Quæ sunt integra eius definitio, et qualibet pars illius, proprietatesq; emanantes. Explicabitur etiam,& adhuc enodatius, intentoq; operis propinquius, si secundum quod ipsum excluserit medium superius, vt est genus mediatum ad probādam suam proprietatem de spetie. Nam prædicata per aliud subiecto conuenientia necessario competunt, secundum quod subiectum est illud medium. Hoc enim scilicet medium appellamus rationem extrema conueniendi: vt corruptibile competit homini, non secundum quod homo: sed secundum quod ex contrarijs componitur: quod est medium ad illam propositionem demonstrādam. Vnde quæ competunt subiecto absq; medio secundum quod ipsum competunt. Hæc expositio eo prob, quòd per hanc conditionem omnes interpretes hactenus intellexerūt, vt propositiones, ex quibus demonstratio procederet, forent quam immediatæ: quales sunt: quibus sine medio extrema coniunguntur. Itaq, & si plures propositiones demonstrabiles, vt pote in quibus secunda, tertia, vel quarta passio adæquata prædicatur, prædicentur vniuersaliter: contrario tamen opinor, vt prædicetur pariter vniuersaliter in omnibus, quas superius immediatas, & per se notas nuncupauimus. Nec iudico vero simile (quod pleriq; autumant) esse quam plurimas per se notas, in quibus prædicatum non cōpetant vniuersaliter. Nam si hæ conditiones debent propositionibus demonstrationis cōuenire: Antonomaticè profecto reperientur in principijs reuera,& veris. Propositio autem per se nota,& medio vacans principium est: igitur prædicatum dicitur in illa & de omni,& per se,& vniuersaliter. Quare cum genera superiora, eorumq; differentiæ realiter competant immediate inus speciebus, sintq; similes prædicationes de se,& per se nota,& indemonstrabiles (vt cum S. Tho. superius tenuimus) vt homo est viuens, est corpus, est substantia: vbi harum prædicata dicuntur vniuersaliter: vt pote quæ quidditatiuè in eius conceptu, rationeq; actu continētur. Ad hæc si genus immediatū speciei competit vniuersaliter,& secundum quod ipsum cum superiora secundum rem tam immediatè competant, & tam de per se notæ sint eorū prædicationes, realiter certè dicentur quoq; vniuersaliter: quanquā quoad nos vna sit demonstrabilis, altera indemonstrabilis. Huius sententiæ argumentum poterit esse, quòd cum de prædicatione non vniuersali philosophus loqueretur in proprietatū prædicationibus dumtaxat exemplificat: essentialis quidditatiuaq; prædicationis nullibi meminit. Passiones autem generum nō competūt vniuersaliter speciebus. Et quemadmodum vbi genera mediata prædicantur de se notæ sunt, nobis autē per aliud demonstrabiles: potest cōgruè dici easdem esse secundum se quidem prædicationes vniuersales, nobis autem minimè: præter prædicationem generis immediati quæ certe, & quoad nos à priori saltem indemonstrabilis est.

¶ IN. TEXTV sequenti docet, quam frequēter in prædicationibus vniuersalibus labamur cuius sententia in textu planissima est, præter exemplum tertiæ deceptionis de lineis Parallelis. Vbi est considerandum, quòd lineæ Parallelæ sunt illæ: quæ nusquam concurrunt: & semper inter se distant. Quæ in hunc modum definiūtur. Lineæ Parallelæ sunt illæ, quæ quomodolibet ab altera linea intercidātur, siue perpēdiculariter siue transuersaliter cadente constituunt, seu reddunt duos angulos, aut rectos, aut æquales duobus rectis. Ex quarum definitione, atq; natura emanat illa proprietas, vt nusquam concurrāt: quippe cum lineæ coniunctæ nullos angulos quātumcunq; intercidantur, reddere possunt. Angulus enim distantiam linearum, atq, inter eas spatium aliquod requirit. Cum ergo illa proprietas emanat ex illa definitione duas partes disiunctim habente: necesse est (cum recte demonstratur) ambæ velut medium, proferantur. Quo circa quando vna pars dumtaxat affertur palam est, quod nō cōpetet vniuersaliter. Plene (inquā)

secundum

secundum illam partem: quandoquidem, & altera pars ad eãdem proprietatem. Quo circa hae omnes lineæ, quæ intercissæ perpẽdiculariter ab alia linea constituunt duos angulos rectos, vel rectis æquales non concurrunt; non est prædicatio vniuersalis. Patet igitur quot qualitatibus propositiones demonstratiuæ ornandæ sunt: quotq; conditiones in illis obseruandæ.

VTRVM DICI de omni, & per se, & vniuersaliter recte sint definita.

IN HVIVS CAPITIS *principalem cõclusionem scilicet quòd debet demonstratio ex necessarijs constare, arguitur. Plurima philosophia tum in phisica tum in moralibus demonstrat: quæ aliter euenire possũt & de facto eueniunt. Vt quòd hiemis pluat, vere prata floreant, arboresq; germinent: autumno fructus, segetesq; maturescant, & similia: quæ nonnunquam defficiunt: ergo. In definitionem dicendi de omni arguitur. In his coruus est niger, homo est coloratus, cignus est albus, ignis est calidus, prædicata competunt semper omnibus subiectis, nec vllum est quod nõ verificetur: & tamen non sunt de omni: ergo. Minor prob. Omnis propositio de omni posterioristice est necessaria prædicatio, sed omnes illæ sunt prædicationes accidentales, & per accidens: ergo. Minor prob. Quia non sunt de per se, præsertim nec in primo, nec in secundo: ergo de per accidens. Omnes enim, quæ non sunt in illis duobus modis, de per accidens sunt: ergo non necessariæ. In primũ modum dicẽdi per se. Hæ prædicationes animal est homo, rationale est animal sunt in primo modo, & tamen prædicata non sunt de essentia subiecti. Quia non sunt de eorũ definitione: ergo. Maior prob. Sunt de per se, & non in alio modo (vt constat) ergo primo. Maior patet quoad secũdã: homo de per se est rationale, & de per se est animal: ergo rationale de per se est animal. Primu ostenditur, & conuersione simplici. s. homo est animal: ergo animal est homo: conuertens vero & conuersa in eodem modo collocantur: & etiã quia illa extrema essentialiter identificantur. Si ergo subiectum quidditatiue est prædicatum: est in primo modo. Deinde & hæc, rationale est sensibile & hæc, accensio sanguinis circa cor est appetitus vindictæ, & vniuersaliter quoties differentia superior prædicatur de differentia inferiori, & vna definitio rei de altera definitione eiusdem rei in diuerso genere assignata, sunt prædicationes de per se: & tamen in nullo horũ modorum. Contra id quòd prædicatio, quæ non fuerit primi, vel secundi modi est de per accidẽs nõ per se. Quartus modus deseruit arti demonstrãdi: ergo eius prædicationes sunt de per se: cum demonstratio ex his, quæ sunt de per se constare debeat. Añs prob. Cũ vna definitio probatur per aliã vel vna passio per aliam: tales sunt in solo quarto modo. Vt syllogismus faciẽs scire est procedens ex primis, medioq; vacãtibus. Nam prædicatum non est de essentia subiecti, nec propria passio, & cum per admiratiuum risibile: vt omne admiratiuum est risibile, omnis homo est admiratiuus: ergo omnis homo est risibilis, patet maiorem esse in quarto. Quia admiratiuum solum habet habitudinem caussæ respectu risibilis ergo est in quarto. In contrarium est auctoritas Aristotelis.*

¶ QVAESTIONI *(vt decet) conclusione affirmatiua responso, pro solatione primi argumẽti notato. Quòd propositio necessaria est duplex altera materiæ ratione, altera ratione formæ. s. quando est hypotetica conditionalis (quibus formantur illationes) hic cum de necessarijs asserimus scientiam demonstratiuam tractare nõ de conditionalibus nobis sermo est: sed de his, quæ necessariam connexionem extremorum important. Ex eo autem certitudo scientiæ, atq; infalibilitas obiecti exigit necessitatem: quoniam à rebus ipsis scientia nostra desumitur, atq; producitur. Vnde si rei veritas stabilis non est: scientia nostra infalibilis esse non potest. Rei enim veritate mutata necessario mutationem nostra notitia subiret, ex veraq; fieret falsa. Quo circa certitudo scientiæ diuinæ non exigit obiecti necessitatẽ: scilicet vt obiectum à deo scitum sit necessariũ: cum eius scientia infinita non à rebus sit deprõta: sed potius e diuerso ipsa sit rerum creatrix. Ideo habet certissimam, infalibilemq; etiam de contingentibus notitiam. Alia mensura, atq; regula, firmitas, euidentiaq; illius diuinæ cognitionis*

ctionis pensatur. Nostræ vero obiectum est sicut caussa, ita & mensura. Sed necessarium ex parte materiæ, id est, rerũ significatarum, solet explicari, per hoc, quòd aliter euenire non potest. Sed necessarium esse, non est profectò negatio, sed positio. Ex quo enim necessarium quodpiam est: aliter euenire non potest. Siquidem necessariũ dicit perpetuitatẽ essendi & sempiternum ordinem subsistendi non vtcunq;, sed firmam, atq; immobilem. Quæ quidem firmitas optimè explicatur negatione mutationis: scilicet vt aliter euenire non possit. Hæc autem immobilitas, seu hoc aliter euenire nõ posse, dupliciter contingit. Primo quoad esse exsistentiæ, secundo quoad esse essentiæ, seu naturæ. Quædam (inquam) necessario sunt quoad suam exsistentiam vt deus, & creaturæ incorruptibiles, sane angeli, cœli, anima hominis. Elementa vero, & si secundum se tota incorruptibilia dicantur: est de per accidens. Quia scilicet nulla est caussa in naturalibus: quæ totum integrum vnum elementum corrumpat: de se tamen corruptibilia sunt. Alia vero, & si contingenter exsistant: multa tamen necessario sunt: vt homo licet contingenter viuat, necessario est animal, rationale, admiratiuũ, disciplinæ susceptiuũ. Quorũ sensus est, de natura subiecti esse prædicatũ. In quibus proinde copula absoluitur a tempore. Harũ necessitatũ prima ab quibusdã vocatur absoluta: secũda cõnexionis: de qua tñ pleraq; disciplinarũ tractant. Sed similes prædicationes: vt triãgulus est figura, albedo est color, altero triũ sensuum intelligitur esse necessaria. Primus est dudũ expositus, sanè de natura subiecti esse prædicatum. Secũdus est quòd quia Aristoteles in eam errorẽ lapsus est: vt crederet mũdum fuisse, foreq; æternum: itidem & rerũ species cõtinua indiuiduorum productione in ipsis indiuiduis nusquam penitus defuturas. Necessario homo exsistebat animal licet iste homo, & ille contingenter exsisterent. Sed is sensus abigẽdus est, vt pote fidei oppositus. Quæ docet, & ante orbẽ conditũ nullas creaturas exstitisse: & post eius finẽ nullas futuras. Nũc quidẽ vt species conseruetur, indiuidua producuntur. Sed tunc quæ nunc creatura vanitati, id est, vicitudini generationis, & corruptionis subiecta ac obnoxia est: liberabitur à seruitute corruptionis in libertate gloriæ filiorum dei. Deinde videmus aperte multis diebus, singulis annis omnia plurium specierum indiuidua penitus interire: vt rosa nulla est hieme: nullum pomũ (licet serotina poma autumni in hiemem asseruẽtur) & similia. Igitur de esse exsistentiæ hæ propositiones non sunt necessariæ. Tertius sensus est: vt subiecta non possint esse absq; prædicato. Sed quamquã hoc sit verissimum, disciplinæ tamen non intelligunt sic necessitatem suarum propositionum, sed absolute propositionem iudicant necessariã, id est, necessariam extremorum connexionem. Et tamen hæc necessitas tertia aliquatenus reducitur ad necessitatem conditionalem. Sane vt si fuerit subiectum: sit prædicatum. Deinde hoc ipsum habent relatiua, videlicet, vt alterum absq; altero exsistere non possit. Et tamen propositiones scibiles non sunt necessariæ, sicut relatiua. Igitur duplex est species necessitatis in rebus scibilibus: nempe vt quædam propositiones sint necessariæ, etiam de actu (quod vocamus) de esse exsistentiæ: aliæ quoad esse naturæ, vt angelos exsistere, cursus, & concursus planetarum, motus orbium, & similia necessaria sunt etiã in actu. Quod probatur primo. Nulla est caussa, à qua aliter euenire possent. Deinde proueniunt ab caussa regulatissima: quæ euentus hactenus rerum vniformes palam facit. Quam illis verbis poëta explicuit principio cœlum, ac terras, camposq; liquentes. Lucentemq; globum lunæ, Titaniaq; astra. Spiritus intus alit, totaq; infusa per artus. Mens agitat molem, & magno se corpore miscet. Veritas vna magno commista mendacio (vt moris est poëtarum) quod ex Platone exhausit fingente Deum non modo caussam orbis, sed animam. Secundo prædicationes hæ sunt meræ accidentales. Quòd istud, & illud sidus concurrant cõcursus merum accidens est illis, non essentia, aut propria passio. Quòd si necessariæ sunt: est propter euentum, qui supposito ordine similium rerum est certissimus. Igitur similes propositiones sunt necessariæ: tantum quoad esse actu. Vnde non approbò, quod quidam opinantur astrologos non demonstrare ecclipsin, aut aspectus planetarum de his numero planetis: sed ab eis abstrahere: & agere de vniuersalibus. Nam primo de sidere in communi, etiam de specie prædicatio est tam accidentalis, quòd concurrat cum alio: sicut hæc homo est albus: de quibus nulla scientia faceret, ergo nihil

M minus

minus sunt accidentales prædicationes: quia desidere incommuni. Ad hæc interrogatus quicunq; astrologus, de quo nam planeta demonstret? Nominabit hunc singularem, vtetur caussis singularibus: infallibilibus tamen, propter ordinem immutabilem illis à natura positum. Et demum (vt videbimus in de cœlo, & mundo) si alius orbis esset: haud necessario iste ordo, & rerum dispositio seruaretur: saue vt essent tot elementa, tot sidera, tot planetæ, sic ita concurrentes. Ergo hæc præsens nostra Astrologia de his, quæ nunc constituta sunt actu, pertractat: non de vniuersalibus. Et (vt videbimus) scientia de se non postulat vniuersalia, sed semper de per se vera. Vnde de singularibus perpetuis potest esse scientia, quoad prædicata illorum necessaria.

¶ TERTIVS GRADVS NECESSItatis ponitur ab aliquibus in his rebus tum naturalibus, tum moralibus: quæ vt plurimum scilicet contingant: tametsi raro deficiant: vt in vere arua florent, hyemi corruscant fulgura: circumsonant tonitrua: & similia. De quibus quatuor anni tempestatibus extat hoc tetrastychon. Ver pingit vario gemmantia prata colore. Frugiferis aruis fert æstas torrida messes. Mox autumnali redolet vindemia fœtu. Tristis Hyems montes niueo velamine vestit. Qua scientia rurali, & sperientia diuturna agricolæ, pastores, & nautæ cognoscunt (vt ait Valerius) assidua Typhis multum lassatus ab Arcto. Quod ego quidem libenter suscipio: tametsi aduertens multa putari similia, vniuersalia sane, & vbiq; locorum communia: quæ non adeo generaliter deueniunt: vt scientia capi possint. Nam pluuiæ non sunt hyemali tempore vniuersales: quin ego multis annis terras apud indos incolui, vbi Vere dumtaxat pluit: hyemi, nec vna nubes apparet, cœlum vbiq; splendidum, atque serenum. Idem alibi quoq;, & de augmento, decrementoq; dierum: & de fructuum accidit maturitate. Haud enim eodem tempore vbiq; arbores germinant, & lætis flauescit campus aristis. Plura nihilominus huius generis exsistunt, vt plurimum scilicet vniformiter accidentia: & per consequens scibilia. Aliás morales disciplinæ non essent scientiæ, vt pote quæ non tractent propositiones adeo infallibiles. Hoc ergo sufficit aliter vt in plurimum euenire non queant. Tametsi nonnunquam aliter eueniat. Et sicut dici de omni, & semper omnibus conuenire latitudinem habet, satest enim in nonnullis propositionibus, atque rebus suo tempore non falsificentur, aut deficiant. Vt quod sol oriatur, & decidat, quod singulis diebus mane, & vespere facit, non autem singulis momentis diei nobis est oriens. Ita non posse aliter accidere interpretandum est, vt præfatos modos includat. Maxime quòd sicut in necessitate, & rerum euentu gradus constituimus, & magis, & minus offendimus: ita & in demonstrationibus, & scientijs. Neq; enim omnes sunt æquè aut demõstrationes, aut scientiæ. De quo postea multa adducemus. Hoc modo respondetur ad primum argumentum.

¶ CIRCA SECVNDVM ARGVMENtum difficultas est: vtrum omnis prædicatio de omni posterioristicè sit necessaria? Parti affirmatiuæ fauet quòd necessario conuenit, quod non conuenire non potest. Si vero conuenit semper, & omni: non poterit certè non competere. Alias si potest: ponatur inesse, tunc non dicetur de omni. Sed pro parte negatiua militat multa esse prædicata quinti prædicabilis: nempe, quæ re Porphyrius inseparabilia, mente dumtaxat segregari asseruit. Semper proinde, & omnibus subiectis conuenientia. Quæ tñ accidẽtaliter pdicãtur. Notãdũ, quòd dici de omni intelligitur dupliciter, vt pdicatũ de facto semper cõpetat suo ipse subiecto, si perpetuo manere nõ potest: vt rosa est pulcherrimus flos: cũ nulla hyemi supersit. Aiũt. n. rosam quæ pterierit, ne quæras iterũ: alio modo intelligitur, vt subiectũ naturaliter absq; pdicato esse non possit. Siue ab intrinseco id: siue ab extrinseco proueniat. Et forsan vterq; modus coincidit, et vtroq; absq; formidine dici de omni intelligitur. Nã certè si absq; pdicato subiectũ inueniri poterit: licet de facto nõ eueniat: admittẽdũ est tñ euenire: et tũc definitio dicẽdi de omni violatur. Qua propter omnis propositio de omni aliquo pacto est necessaria. Nec obest aliquã pdicari accidẽtaliter absolutè et secũdũ quid propositionẽ esse necessariã. Nec hi modi pdicãdi tã repugnant: quin quãdoq; cõmisceãtur. Sicut potest absolutè esse frigidũ, & secũdũ quid calidũ. Sed tñ inter propositiones allatas hæc, homo est coloratus, vel aĩal est coloratum est, & necessaria, & de per se secundo modo secũdario. Nã existimo

coloratũ

coloratum esse proprietatem corporis mixti, & perconsequens secundario cuiuslibet speciei. Nã & hæc, homo est sensibilis: si hoc est passio animalis in secundo modo est. Satest enim prædicatum esse proprium vel subiecti, vel eius superioris. Ita enim suo quoq; gradu est proprium inferioris. Et hæc ignis est calidus, est pariter in eodẽ modo: & dicitur vniuersaliter. Quod enim alicui competit, & eius caussa cæteris: secundum quod ipsum profecto competere videtur. Hoc autem habet calor respectu ignis. Maxime quòd cũ sit altera exprimis qualitatibus, quæ vendicat sibi subiectum ipsum ignem, & primo conuenit, sicut singulæ aliarum suis elementis. Et ita in de cælo, & mundo illa passio demonstratur de igne quasi de proprio subiecto. Sed quidquid sit de vniuersali prædicatione? est certè de perse: non tam strictè sicut hæc, homo est risibilis, vt proprietas incommunicabilis. Sed aduertendũ, quòd non est par ratio de leuitate, & caliditate. Vnde hæc, ignis est leuis: est quidem de omni: nõ tamen de per se.

¶ CIRCA tertium aduerte, quòd de prædicatione loquimur logicè ac identice. Dialecticus considerat formam prædicandi, per nos in prædicabilibus præscriptam: vt scilicet prædicatũ sit superius, vel saltem æquale formaliter. Et duplicer prædicationes constituit directas scilicet & indirectas: quas ab arte velut irregulares explodit. Et modos prædicãdi hic, & vbiq; de prædicationibus statuit directis atq; formalibus. Vnde hæ propositiones argumenti in nullo horum modorum constituuntur, nec essentiales, sed accidentales prædicationes habentur. Nam dupliciter accidentalis contingit: sane cum prædicatũ vel in se est accidens, vel subiecto relatum. Et sæpe vna substantia est accidens alteri, vt animali homo: vt pote cum omnino, & naturalißimè animal absq; homine inueniatur. Quod est habitudo accidentis definitione porphirij explicata. Nẽpe quod adest, & abest præter subiecti corruptionem. Quod mentaliter adhuc explicuit dicens, cum quo, & sine quo res quæpiam cognosci potest. Quanto magis animali homo accidentale prædicatum erit, sine quo esse, & intellectu, & in re optimè potest. Et nihilominus sicut possunt simpliciter cõuerti indirectas, atq, formales: ita potest quis dicere, pertinere has, & ad hos modos reductiuè. De eatũ nonnulli dubitant, in qua differentia superior de inferiori prædicatur? Sed multo certè minus de per se est. quã illa. vbi genus ipsum dicitur. Cum à fortiori sit extra essentiã inferioris (vt in prædicabilibus manifestauimus.) Identicè tamen loquẽdo (quod alij vocant metaphisice) propositiones sunt de per se, vt pote extremis quidditatiue identificatis. Et hæc est ratio: cur doctores frequẽter prætermissa forma logicali, his pro illis promiscuè demonstrando vtuntur. Igitur ad probationẽ secũdæ negatur cõsequẽtia. Quoniã variatur appellatio. Nec. n. si mediũ de per se ambo extrema est: eodem pacto debent extrema pariter cõuenire. Satest, vtcũq; identificentur. Ad probationem primæ negatur pariter cõsequẽtia. Haud. n. omnis propositio de perse cõuertitur in de perse. Sicut nec omnis ꝑdicatio directa, indirectã. Et hi modi logicales (vt patet intuẽti) non sunt modi essendi, vt solũ rerũ naturas consulamus: sed modi dicendi, seu prædicandi. In quibus ideo & forma prædicationis ratio habenda est.

¶ PRO HIS in quibus vna definitio de alia prædicatur, aduertendum duxi. Est enim maxima difficultas apud doctores, qualis nã gradus sint iudicandæ? quòd non omnis rei definitio est ei essentialis præsertim in ratione prædicationis. Essentiale (inquam) prædicatum: sed ea dumtaxat: quæ per caussas intrinsecas datur materiam, & formam, vel genus, & differentiam. Quæ vero per extrinsecas, etiam si secundum illud genus sit propria, accidentalis dicetur. Vel tanquam proprium, vel tanquam commune: vt homini esse propter beatitudinem à deo conditum, vel à parentibus eiusdem speciei procreatum. Quòd imago sit expressa à pictore ad repræsentandum exemplar potentiæ cognoscitiuæ. Quæ omnes definitiones cum ambas caussas efficientem, finalemq; amplectantur, sunt prædicationes accidentales. Si ergo non omnes definitiones propriæ essentialiter de definito dicuntur, quanto minus vna definitio dicetur de alia semper essentialiter: vt quiddam obaixè docent. Ad iudicandam ergo similium prædicationum qualitatem consideretur, quo pacto ambæ definitiones, extrema scilicet illius propositionis competunt definito. Et eodẽ prope modo habebũt se, tametsi non ita propriè. Quanquã aduertendũ est, plerũq; haud ita vna definitio de alia ꝑdicatur, quin in altera definitũ

exprimatur. Quòd si fuerit illa subiectum, iam non de definitione subiecta, sed de definito illic expresso definitio altera prædicatur. Quòd si etiam mera definitio subijcitur, frequenter in similibus definitio, etsi complexa vice definiti incōplexi substituitur. Quod semper, et vbiq; per Aristotelem licet. Sane definitionem loco definiti ponere. Et de similis prædicationis qualitate iudicandum est, ac si de definito prædicatum diceretur. Vnde hæc, animal rationale est risibile: non modo in quarto, sed in secundo modo statuēda est. Et hæc, syllogismus faciens scire cōstat ex primis, medioq; vacantibus: si totum subiectum vice demonstrationis sumatur (illæ enim additiunes videntur restrictiones dictionis syllogismus, vt pro demonstratione capiatur) in primo locetur modo, veluti ista: demonstratio constat. &c.

¶VLTIMO ARGVMENTO NVLLAtenus negatur, nonnunquam concurrere, & quartum modū demonstrando: non tantum caeteris mixtum, sed merum, & purum. Primo prædicationes, præsertim secūdi modi sunt pariter, & quarti: quatenus prædicatum est effectus subiecti: vt in hac numerus est par, vel impar. Et cum contingat demonstrari per genus caussæ efficientis, quæ propositiones in solo quarto constituentur. Quinimo S. Tho. 5. metha. le. 1. dicit, quòd in naturalibus, & moralibus, & artificialibus præcipuæ demonstrationes sumuntur ex fine. Et constat, quòd effectus non est propria paßio agentis, aut finis: sed tantum habent se de per se in ordine caussæ, & effectus. Igitur concurrit nonnunquam in aliquot propositiones solus quartus. Sed contra hoc agit, quòd Aristoteles præcedenti cap. dicit, prædicationes scilicet non primi, & secundi modi esse accidentales: & in capitulo subsequenti demonstrationem non componi ex accidentalibus: sed ex per se prædicationibus. Ergo purus quartus modus demonstrationi non subseruiet. Respondeo primo, dupliciter propositionem esse de per se scilicet perseitate prædicandi, vel caussandi: & quòd quartus est per se, quandoquidem inter modos per se etiam prædicandi anumeratur. Non enim est sicut tertius dumtaxat dicendi seu nominandi. Sed per se perseitate prædicationis latißime patet: vt pote in quo plures sunt gradus. Strictim primus, & secundus videntur maximè, propositiones per se constituere. Et quia ex talibus principales demonstrationes scientiam producentes componuntur. quamquam & in his duobus modis est pariter latitudo. Nam quando supremum genus de ima specie, est quidem in primo, sed non primo, & per se. Sicut si diceretur genus immediatum, sed secundario. Itidem quando paßio superioris de inferiori, est in secundo modo, sed secundario per se. Has dumtaxat Aristoteles amplexus caeteras despexisse, videtur, quæ non sunt tamen adeo contemnendæ. Erunt igitur de per se, siue subiecti, siue prædicati perseitate. Sunt enim nonnulla prædicata, quæ postulant talia subiecta: sed non è conuerso subiecta similia prædicata. Vt homo est aptus ad medicinam. Aptitudo enim hæc solum est in homine: sed homo potest esse ineptus etiam ad talem artē. Econtrariu nonnunquam subiecta exigunt prædicata: vt cælum est rotundum: homo est erecta figura: sol mouetur circulariter: & alia similes. Constat enim quod rotunditas, & motus sunt accidentia communia: sed illa subiecta necessario similibus accidentibus substant. De quibus icirco propositionibus videmus, disciplinas multas differere. Quocunq; ergo horum modorum per se fuerint, capaces erunt, si caetera adsunt, demonstrationem componere. Tametsi non sunt rationes (quibus similes conclusiones probantur) tam exacta demonstrationes: quam efficaces argumentationes, & etiam prædicationes (quas caussales appellamus) sunt scibiles. Aristoteles vero superius solum dixit, quòd cum prædicatum non dicebatur primo, nec secundo: erat accidens (quod nos ingenuè fatemur) in prædicationibus formalibus, & directis. Nam quas caussales appellamus, etiam si non sint primi, nec secundi: non sunt accidens, sed effectus subiecti, sæpe substantia. At Aristoteles de his non loquitur, & in capitulo subsequenti tantum probat, debere semper procedere ex de per se. Quod nostræ resolutioni non aduersatur: sed quot modis de per se esse contingat, declaramus. Sed quales nam censenda sunt, in quibus vna paßio prædicatur de alia? Vt omne admiratiuum est risibile (mea sententia) sunt in secundo modo: & prædicatum competit per se formaliter subiecto. Siquidem risibile non tantum proprium est hominis,

sed

ſed admiratiui, & diſcurſiui. Præſertim quòd ſubiectum ſtat materialiter, ideſt, pro ſuppoſito: & tamen vtriuſq; proprietatis idem eſt ſubiectum de per ſe. Deinde homo etiam quatenus admiratiuo ſubſtat eſt riſibilis: ergo hæc eſt in ſecundo modo, admiratiuum eſt riſibile. Et confirmatur. Quia in definitione riſibilitatis poteſt poni animal rationale, & admiratiuum, & diſcurſiuum: & quælibet paßio præcedens. Vnde de conuertente, ſ. cum poſterior ſubijcitur priori: vt pote indirecta, hic non loquimur. Itaq; etſi in demonſtratione exactißimæ ſemper ſint prædicationes in primo, vel ſecundo modo: extēdendæ ſunt tamen regulæ, vt ſint vniuerſales, ne ſolum de perfecta demōſtratione ſcientiam producente egiſſe, videamur. Et exiſtimādi ſunt omnes modi per ſe, tam prædicandi, quam cauſſandi, in latitudine expoſita ſuo ordine demonſtrationi deſeruire.

Cap. 5. De propoſitionibus neceſſarijs demonſtrationis.

Textus. 11.



X HIS MEhercle patet, quales nā propoſitiones eſſe debeāt, ex quibus demonſtratio procedit, & cōſtat. Debent enim eſſe, & neceſſariæ, & per ſe, & perpetuæ. Nam quòd neceſſariæ ſint, ea iam ratione oſteñdimus: quòd ſcitum aliter euenire non poteſt. Vnde & concluſio ſcita, & multo melius eius principium: vt pote ex quo firmitatem habet, debent eſſe neceſſaria, Quod mox euidenter probabimus. Maxime quòd omnis propoſitio de per ſe eſt neceſſaria: ſed demonſtratio procedit ſemper ex de per ſe: ergo ex neceſſarijs. Deinde in propoſitionibus demōſtratiuis, aut prædicatur eſſentia rei, aut propriū: quod vtrunq; neceſſario competit. Si vero prædicatio accidentalis, & contingens eſt, de his ſcientia non decerpitur. Et demum tam propriū demonſtrationis eſt, ex neceſſarijs eſſe, vt, per hoc dumtaxat eos ſyllogiſmos oſtendamus non demonſtrationes, qui ex neceſſarijs non procedunt, etiam ſi ex veris argumententur.

Textus. 12. Vnde errāt gra*nißimè, qui propoſitionem moſtrare volentes, procedunt ex probabilibus de ſe, vel ſibi probabilibus. Cum oporteret cōtra ex principijs neceſſarijs, & ſibi euidenter cognitis demonſtrare. Aliàs nec demōſtratio eſt ſyllogiſmus, nec ſyllogizans demonſtrator, aut ſciēs. Nemo enim ſcit cōcluſionem, niſi propter quid illius cognoſcat. Scire enim eſt rē per cauſſam cognoſcere, et tū concluſionis neceßariæ quid contingens cauſſa eſſe, non poteſt: vt hæc, homo eſt riſibilis nō poteſt demonſtrari per hāc, omnis homo eſt albus, etiā ſi hæc ſit vera. Nam & contingens, & propoſi-*

tio probabilis potest mutari. Cōtingens enim est, quod & esse, & non esse potest, necessarium vero est immutabile. Vnde conclusionis necessariæ non potest, esse caussa præmissa contingēs. Quia dabitur effectus sine caussa, aut (quod idem est) potest dari. Ponatur enim ex hypothesi, antecedens non esse, quod est possibile, vt pote contingens: consequens tamen semper est: iam ergo est sine principio. Deinde tunc hac hypothesi concedendum est, cognoscere hunc conclusionem, & non propter quid. Quia iam ponitur non esse: nō ergo erat demonstratio. Deinde si quis permanēs idem qui antea, nullius rei oblitus, & re scita immutata: modo non scit, nec antea certe sciebat. Illa enim sunt rationes, vnde sciēs prius post modum nesciat. Sed cognoscens cōclusionem necessariam per medium probabile nescit modo, admisso iam antecedente mutato, & falso exsistenti. Hoc enim est mutatio propositionis probabilis, & contingentis: ergo nec antea sciebat, cum verum foret antecedens. Igitur potest quidem fieri (quemadmodum & alias diximus) vt necessarium probetur per contingens: conclusioq; sit necessaria, & antecedens non necessarium. Quamquam è contrario non fiat. Sane, vt ex antecedēti necessario sequatur, nisi conclusio necessaria: sicuti ex falso sequitur falsum, & verum: at ex vero solummodo verum. Attamen quòd cōclusio necessaria demonstretur, nisi per principium necessarium, fieri non potest. Vnde qui ita non cognoscit conclusionem, nec scit propter quid illius, nec ipsammet. Quoniā non contingit quicquam sciri, nisi per talem caussam. Sed decipietur putans, vel principium necessarium, quod non est necessarium, vel se se scire posse cōclusionem absq; simili principio, & vtrunq; est error ac caecutientiu. Quod si dialecticus vtitur quandoq; probabilibus, & probabilia quærit nōnunquam à respondente, vt inde argumentetur, iam diximus, dialecticum non intendere conclusionem demonstrare, sed tantum probare, & probari quidem sæpe contingit, necessarium per cōtingens.

¶ EXPOSITIO.



Onditionibus propositionum suppositis demonstrationi deseruientium, Aristoteles primariam, & præcipuā conclusionem (sane vt procedat ex necessarijs) eisdem ipsis expositis conditionibus corroborat: & alias denuo similium propositionum qualitates capite subsequēti adijcit: nempe vt sint perpetuæ, vniuersales, atq; incorruptibiles. Causantur doctores, hunc textum philosophi lubricum esse: vt pote probantem ex propositionibus necessarijs debere componi. Quoniam ex de per se componitur: & rursus ex de per se constare, quòd ex necessarijs: vbi circulus cōmittitur. Et deinde quòd rationes formantur inefficaces. Ait enim cum ex necessarijs componatur, ea vero, quæ per se insunt, necessario competunt: ergo ex de per se. Vbi mediū necessarium nullibi distribuitur, quod sicubi distribuatur, præmissa reddetur falsa. Siquidem in maiori dicas ex quibusq; necessarijs cōponitur, non est verum: in minori, non potest distribui: vt pote prædicatum affirmatiuæ. Sed Aristoteles (vt omnes compertum habemus) non fuit solicitus in dialectica, tam exactas rationes formare præsertim quòd vt demōstratorem se exhiberet, de demonstratione in posterioribus loquens materiam aduertit, formam prætermisit. Et quamquā plures sint propositiones necessariæ, quæ nō de per se: (vt grāmaticū est rationale, necessariæ vero demōstrationi deseruientes, & ne per se cōuertuntur. Haud enim necessariæ quomodolibet sint, exigitur (vt videbimus) sed vt, de per se necessariæ exsistant. Ideo iure potuit & hunc circulum facere, & similem construere argutionem. Inconuertibilibus enim, non opus est medium distribuatur.

¶ NOS NIHILOMINVS sic textum leuiganimus & enodanimus: vt, hos scrupulos & scirpos auferremus: nec nouū vltra ipsius materiæ obscuritatem, legentibus negociū faceremꝰ. Igitur ratio repetitur capitulo præcedenti adducta, sane quòd scitum, idest conclusio, aliter euenire nō potest, quod probat, tā ipsam, quā eius præmissas necessarias esse, si sunt principia. Vt pote cū eius necessitas, sicut & eiusdē veritas ex præmissis velut ex sui caussis profluat, atq; proueniat. Necessitas .n. cōclusionis, & firmitas nihil aliud quam ipsius certissima veritas est. Nā veritas est, significare rē sicuti est. Necessitas vero, vt sēper est, et aliter esse nō potest. Ergo quòd principium est necessariæ veritatis, non potest (vt par est) non necessarium esse. Præterea in triplici differentia sunt principia: quædam complexorū de quibus supra eloquti sumus, cōnexionis

nis(inquam)extremorum. Alia generationis rerum, quæ dicuntur quoad fieri tantum: ſicut parentes filij, & pictor imaginis, à quibus effectus poſtquam productus eſt, non dependet. De lineata enim imago etiam ſi pictor intereat, ſuperſtes eſt, & filius, licet pater occumbat, manet incolumis: alia demum etiam quoad factum, vt cauſſa ſuperiores non modo inferiora producunt, verum & conſeruant. Abſq; calorum enim virtute, & motu, nec viuere quidem valeremus. Concluſio autem abſtrahit ab fieri, & facto, vtpote de vniuerſalibus tractans. Vnde ſtrictim nec ex principijs factionis, aut facti eſſe procedit: quæ ambo videntur principia temporalia. Sed ex principijs connexionis: connexio autem æterna eſt. Ergo & concluſio eſt neceſſaria, & principia. Quia cum connexio non fuerit mutata, nec mutari potuerit, & nullum principium ſui comparare poteſt, & ſi aliquod habet, neceſſario eſt indeſectibile.

¶QVO CIRCA SCIENDVM EST, quòd in vniuerſalibus idem euenit, quod in conditionalibus: ſane vt propoſitio ſit neceſſaria, vel impoßibilis, non detur medium. Omnis enim contingentia eſt circa ſingularia. Imo generaliter in æternis & quod eſt, neceſſarium eſt: & quod non eſt, impoßibile. Vnde prouerbium eſt theologorum, in æternis idem eſt eſſe, & poſſe. Quod ſi impoßibilia ſub ſcientia cadere nequeunt, omnia ſcibilia neceſſaria erunt, vt pote omnia vniuerſalia, & æterna. Tertio (vt ia textu) in ſimilibus prædicatur ſemper, aut eſsētia, aut proprietas: hæc neceſſario inſunt, ergo neceſſaria ſunt propoſitiones. Deniq; tam palam eſt ex neceßarijs componendam demonſtrationem, vt ante omnia in obiecta quauis demōſtratione, aduertamus vtrum ex talibus, an ex alijs componatur. Prima enim, & vniuerſalis conditio eſt, ex neceſſarijs conſtare. Multas alias, & maiores qualitates habituræ ſunt. ſ. vt ſint per ſe, & vniuerſaliter: quæ hanc præſupponunt. Quod ſi in ſingulis generibus primum deficit, & ſubſequentia defutura compertißimum eſt. Vnde omnia ſyllogiſmum adeſſe demonſtrationis deſtituunt, quando ex probabilibus conformatur, ſicut adeſſe hominem ſi non ſit animal. Quare, ſicut recte negaremus, illud eſſe hominē, quia non eſt animal, ita & demonſtrationem, ſi non ex neceſſarijs conſtruatur.

¶IN TEX. 12. INFERT PHILOSOphus, grauiter errare qui procedit ex propoſitionibus, vel de ſe probabilibus, vel ſibi. Si de ſe propoſitiones probabiles ſunt, natura demonſtrationis tollitur: ſi probabiles arguenti ſunt, tolletur effectus, qui eſt ſcientiam decerpere. Illud patet. Quia demonſtratio procedit ex notioribus, & prioribus ſecundum naturam, quàm concluſio. Quòd ſi hæc eſt neceſſaria, impoßibile eſt illa ſint contingentes, & ita priores, & notiores. Circa ſecundum eſt notandum, nonnūquam accidere, vt procedatur ex euidētibus, ſed perſeru tanti debiliter cognitis. Similis diſcurſus, etſi de ſe demonſtratio ſit, huic non erit, nec ſuum effectum in eo ſortietur, ſcilicet vt eius intellectum conuincat, & ſcientiam germinet. Demonſtratio enim mediante ſui notitia intellectum determinat, & incompedes adigit, quare notitia opꝰ eſt admodum efficaci, atq; euidenti. Non ſufficit dē ſe ſyllogiſmus ille demonſtratio exſiſtat, niſi talis pariter cognoſcatur. Quemadmodum ſemen ferax telluri infecundæ inſitum non pullulat, quia & telluris virtus requiritur: ita intellectus demonſtrationis ignarus terra infecunda eſt ſterilis, atq; effœta. Quod ſi vis vera demonſtrationis abſq; euidenti cognitione non ſateſt, quid ſi re vera quiſpiam nō demonſtret, ſed ex probabilibus argumentetur, nihil minus quam ſcientia producetur? Sed quid ſi cū ex probabilibus procedat, hæc ſibi euidentia putet, atq; inde monſtrabilia: vtrum? præſumta præmiſſarum, & fallaci virtute conuincetur intellectus. Cōuincetur ſane: at pariet quidem non ſcientiam, ſed errorē. Quinimo ex hoc fonte manant homines, & in falſo, & in malo obſtinati, pertinaces, atq; inflexibiles, dum errore decepti mendaciū contectum pro manifeſta veritate ſibi vehemēter perſuadent: ex quo proinde euelli vix poſtea vnquam queunt.

¶TEXTVS VERO probat, principiū contingens concluſionem neceſſariā minime parturire. Primo, quia dabitur effectꝰ abſq; ſua cauſa. Nam probabile, ſeu contingens eſt, cuius oppoſitum poteſt eſſe, vel ſaltem admitti, concediq;. Siquidem quiſq; vidit aliter eſſe non poſſe, iam intelligit neceſſarium eſſe. Probabilis ergo præmiſſæ oppoſitum admittēdum eſt, ſi argumentator expoſtulet, & oppoſitum eſt, vt falſa ſit. Tunc concluſio certè abſq; cauſſa erit, quia

falsum impossibiliter est causa veri. Secũdo philosophus tunc cognoscet conclusionem, & non propter quid: ergo nec ista est demonstratio, nec ille scit. Sed ratio tertia ostendit, nec antea cum vera præmissa erat, illum sciuisse. Pro qua aduerte, quòd tres sunt causæ, & re vera duæ: vt, scientia semel habita amittatur, vel prius sciẽs modo nesciat. Prima si subiectum, idest sciens intereat. Corrupto enim subiecto corrumpitur accidens. Secunda si demonstrationis obliuiscitur. Tertia si res scita mutetur. Hæc in scientia largè dicta locum habet, qua & contingentia scire dicimur. Cum ergo is permaneat, nec demonstrationis oblitus fuerit, nec conclusio mutata, & modo nescit: quoniam rem per caussam non cognoscit: fit vt nec antea sciuerit.

¶ IN TEX. *colligit conclusionem, fieri sane non posse, vt principium demonstrationis sit probabile. Non quòd necessarium ex contingenti non sequatur. Cum necessarium sequatur ex quolibet. Quamquam enim necessarium non nisi aliud necessarium inferat, inferri tamen potest ex quolibet, ex contingenti, ex impossibili, ex falso, & ex vero. Vnde regulas in tertio libro summularum constituimus, quas hîc Aristoteles refert: sane vt si consequentia est bona, & antecedens necessarium, consequens debeat esse necessarium. Sed si consequens necessarium est, nihil ideo de antecedenti detegetur, sicut in vero accidit. Itaq; poterit esse bonus syllogismus, in quo conclusio necessaria ex antecedenti probabili inferatur, haud erit tamen demonstratio. Quia non erit eius principium, vnde conclusionis necessariæ contingens non esse principium intelligitur essendi, non inferendi: imo potest illã inferre. Nec rationes hîc formatæ, naturæ consequentiæ innituntur. Sed naturæ potius demonstrationis. Vis enim illationis bene antecedens cõtingens cõclusionis necessariæ admittit. Reliqua textus sunt plana, & sæpe à nobis alias exposita.*

CAPVT SEXTVM quòd demonstratio procedit ex de per se, & perpetuis. Tex. 13.



On modo tam antecedẽs, quã cõclusio demõstrationis necessaria sunt. *Verũ debent esse de per se. Primo, quia quæ nõ sunt de per se, vt plurimũ nõ sunt itidẽ necessaria, si ergo vniuersaliter ex necessarijs cõstat patet quod & ex de per se. Ad hæc ꝓditationes accidẽtaliter cõuenientes sub scientia nõ cadũt, etiã si semper sint veræ. Aliter enim vel mente euenire, idest separari nihil repugnat: cũ tñ demonstratio sit ad mẽtẽ. Tãtũ ergo quæ de per se sunt demonstrationem, & scientiam ingrediuntur. Deinde debent in demonstratione extrema per se sibi conuenire, & medium extremis. Procedit enim ex proprijs. Alias nemo vtiq; conclusionẽ sciet. Vt si quis ab signo quicpiam demonstret, scilicet si mistum esse corruptibile, ex quo antiquatur, & senescit: ostendat, non scit. Quoniam caussam conclusionis ignorat. Vnde debet demõstratio componi, & ex prædicatis, quæ per se subiectis competant, & ex principijs per se conclusioni competentibus.*

Tex. 14. Ex quo patet, nec

ex alienis, nec ex communibus posse fieri. Primum obstat, si ex alienis: nemini enim fas est de genere in genus demonstrando transire, scilicet, vt demonstrans propositionem dialecticalem sumat principia phisica, nec ad ostendendam geometriæ, arithmeticæ vtatur. Tria enim sunt in qualibet demonstratione primum ipsum genus scientiæ: & proprietas quæ de ipso genere cõcluditur, & principium, per quod ostenditur. Principium vero, et proprietas eiusdem generis sunt cum subiecto. Nam primo proprietas cum emanet ab ipsa eius natura, in quantum talis constat debere esse eiusdem generis, nec posse esse aliena. Ad hæc est conuertibilis cum illo. Deinde si passio superioris demonstratur de inferiori, aut inferioris de superiori est altera deceptionũ, quæ contingunt in vniuersalis assignatione. Ergo debent esse proprietates propriæ, non vllatenus alienæ. Tametsi nec illæ proprietates superiorum alienæ dicendæ sunt ab inferioribus, nec probabuntur etiam per principia aliena, sed per propria pariter. Nec vnquam de homine ostendit quispiam esse par, vel impar conditiones numeri. Deinde medium plerunq, est definitio, si non est altera proprietas: nihil autem tam pro

prium

prium quàm definitio. Impoßibile est ergo de quolibet subiecto demonstrare, aut quid alienũ aut per principia aliorum generum. Vnde scientiæ, quæ in obiecto omnino differunt, differunt cõsequenter, & in proprietatibus, & in principijs. Cum vnaquæq; procedat ex proprijs, quæ suum obiectum sequuntur. Si enim diuersorum generum, & non subalternatim positorum, idest quorum alterum subalteru collocetur, diuersæ sunt specie differentiæ: & proprietates pariter, quæ maximè ex differentijs dimanant, & principia quæ sunt ipsa differentia. Si quæ vero disciplinæ in obiecto conueniunt, harum poterit subalternata sumere propositiones subalternantis. Vt musica sæpe arithmeticis vtitur: & perspectiua geometricis.

Text. 15. Præterea nec ex *communibus quantumlibet necessaria sint, & prima: vt Briso putabat, quadraturam circuli monstrare. Quia vbi datur maius, & minus; datur æquale: sed datur quadratum maius circulo, & minus: ergo quadrabitur æquali: sed non adducit propter quid. Nam maius, vel minus: aut æquale, non sunt quare quadratur. Nec ista competunt quadrato, & circulo: vt talibus, sed vt quanta sunt. Vnde non scit hanc conclusionem simpliciter, sed sophisticè (vt in principio dicebamus) sicut qui cognouerit Petrum in ratione venientis. Cuius indicium est, manifestarium: quòd etiam illa ratione cognita nemo putat, se scire quadraturam, & tamen si demonstratio foret, conclusio certe sciretur. Ad hæc communia principia non sunt caussa singulorum. Si enim caussa forent cum in pluribus alijs sint communia, in multis alijs essent pariter ipsa singularia, & ita singularia non forẽt. Si enim animal propter quid esset risibilitatis, omnes species animalis risibilitas consequeretur: & ita singularis proprietas hominis non esset. Repugnat ergo, ex communibus principijs demõstratio procedat: vt pote quæ propter quid conclusiõnis allatura est. Nec est instantia in disciplinis subalternatis, vbi vna vtitur propositionibus alterius. Siquidem & subalternantis sunt propriæ aliquatenus subalternatæ, & non sunt tam totaliter duæ diuersæ disciplinæ, quin communicent in genere: quibus: (vt diximus) nemo prohibet eadem esse principia, scilicet vt musica ex arithmetica capiat, & geometria practica ex speculatiua. Quãquam aliquãdo vnius est sumere dumtaxat, quod est conclusionis: & alterius propter quid illius. Sed quando vna scientia vtitur communibus sibi, & alijs: quibus cum in genere non communicat: tũc ex genere in genus transitur. Quod quidem eo prouenit, quia & ipsa principia propria habẽt sibi aliquot communia.*

Text. 16. Quare cum vnaquæq; *in suis principijs sistat, patet, quòd nec cõtranegantes principia arguendum est in illa scientia: nec singularum est facultatum propria principia probare: sed illius certe, cuius est speculare hæc communia proprijs. Nimirũ quæ ideo scientia velut omnium scientiarum regina erit: vt pote quæ tractat de primis omnium principijs, quæ nullatenus effectus rationem subeunt: & per consequens de maxime prioribus. Quòd si quis scit, quoniam ex caußis, ex prioribus procedit, ille profecto maxime sciet.*

Text. 17. Sed nihilominus *hinc patet, quàm vbiq; dificile sit, noscat quisq; de se, an sciat: cum sit arduum intelligere vtrum procedat ex proprijs principijs, vt requiritur. facile multi decipiuntur: putantes dum ex veris tantum propositionibus, aut ex communibus necessarijs procedunt: exactam iam conclusionis habuiße demonstrationem. Cum id tamen minime suffitiat, sed & hoc statim repetemus.*

Tex. 18. Est præterea requi*situm (vt qualitates similium propositionum semel exprimamus) sint perpetuæ: quia sunt necessariæ, & vniuersales. Vniuersalia enim sunt incorruptibilia. Vnde earum rerum, quæ gignũtur, & intereunt: non est scientia. Nam etsi quandoq; veræ sunt, haud tamẽ semper. Imo etsi semper essent, sed non de per se: tales non sunt absolutè scibiles. Quòd si quæ scibiles sunt, quæ non semper veræ sunt: vt luna eclipsatur: iam diximus similes eo in sensu, scibiles esse, quo semper sunt, sane suis temporibus. Sic enim astrologus eas affirmat, vel alius quiuis philosopus. Similiter & definitio est rei perpetuæ. Est enim definitio speciei: species autem vniuersalis est. Præterea definitio aut est principium demonstrationis, aut demonstratio positione differens, aut con-*

clusio demonstrationis. Et cum tam antecedens, quam conclusio demonstrationis sint perpetua, definitio pariter talis erit.

¶ COMMENTVM.



OSTQVAM TAM fusè de propositionum demonstrationis necessitate actū est: cæteras deinceps, & maiores earundem qualitates inuestigat: nempe vt sint de per se. in quo inculcat, vt prædicata vniuersaliter dicātur. Et deniq; perpetuæ, atq; incorruptibiles. Quæ omnia facillime nullo etiam aduertēte cognoscit: qui definitionem scientiæ collet: ex qua vniuersa hæc promanant. Scire tunc arbitramur, cum caussam ob quam res est, illius esse caussam, & fieri non posse vt aliter vtrunq; se habeat (vt exposuimus.) Talia in singulis rebus videntur esse eius natura, & proprietates. Quanquam proprium multipliciter accipitur. Quod vtrum omne sit demonstrabile, in quæstione ventilabitur. Cætera accidentia sunt, & aliter euenire potentia: non semper quidem in re cum (vt Porphirius dixit) multa sint accidentia realiter inseparabilia: sed (vt hic insinuat Aristoteles) lu logice vel mente. Subiectum enim integre atq; perfecte absq; prædicato, imo sub opposito prædicati cognoscitur: cum tamen prædicata scibilia sic competant, vt nec intellectus cognoscat, quo nam pacto aliter se habere possunt. Vt quòd homo non sit animal, vel nō sit risibilis, vel quid huiusmodi. Quæ sic conueniunt, & necessaria, & de per se & perpetua sunt. Ex notitia igitur illius fundamenti nullo negotio reliqua lucescunt.

¶ *AT TEXTVS in probatione conclusionis insistit, demonstrationem constare ex de per se. Quod in primis probat duabus rationibus superius expositis. Quarum prima construitur negatiue: vt sit efficacior. Sane demonstratio non potest componi ex non de per se: ergo ex de per se. Antecedens palam est: quia quæ tales sunt (vt in plurimum) non sunt necessaria. Pauca enim cum necessaria sint, non sunt de per se, sed semper componitur ex necessarijs: ergo ex de per se. Necessariū in sua latitudine superius est ad per se: ideo efficacior & syllogistica ratio est, qua dudum probauimus componi ex necessarijs: quia ex de per se. Verantamen necessariam complete semper est de per se: & tamen perfecta demōstratio ex ita necessarijs constat. Vnde potest, & in præsenti consimilis ratio formari. Omnis propositio exacte necessaria est de per se: demonstratio constituitur ex absolute necessarijs: ergo ex de per se. Et certe præmissæ sunt verissima. Secūda ratio est: prædicatio de per se opponitur ei, quæ est de per accidens: sed prædicationes de per accidens non cadunt sub scientia. Nam similes non repugnat, aliter, eueniant: vel re scilicet, vel ratione extrema etiam negatione separentur: quod tamen demonstrationem & scientiam tollit. Nam quod scitur, non potest nec intelligi aliter euenire: cum demonstratio sit ad mentem: & quæ demonstratio requirit, in mēte habitura est. Si ergo exigit, vt aliter esse non posit, nec in mēte debet posse. Possumus idē corroborare. Quia similium coniunctionum extremorum nec caussæ de per se reddi possunt, nec effluxus ipsorum effectum ab suis caussis est perspicuus, vt sciri queat: nec certus est ipsarum numerus: cum in infinitum augeri posint: ergo constat ex de per se.*

¶ *TERTIO explicat fusius, quam de per se cuncta in demonstratione conueniant. Extrema enim de per se cohærere debent, & medium ipsis extremis: ita vt non tantum prædicata subiectis sed integra demonstrationis compago est de per se. Quo circa etsi propositiones sint de per se, haud tamen medium: non demonstrat. Vt si quis pro medio, vel posteriori proprietate, vel effectu vteretur (de quo genere arguendi illico disseremus.) Ex quo infert corolariū negatiuum princeps posteriorum doctrina. Sanè non posse quicquam demonstrari aut ex principijs extraneis, vel communibus. Nam vtraq; per hoc, quòd ex proprijs procedere asserimus, sufficienter excludantur. Primo patet, quòd non ex alienis. Et probatio conuincit nec ex alienis procedere, nec extranea concludere. Ita splendebit quam omnia, & propria sint: & de per se proinde cōueniāt. Quia vero ista alienum, proprium, commune, relatiue dicuntur (alicui enim vel proprium, vel alienum sunt) oportet scire quid est in disciplinis cui quicpiam proprium, vel commune. Primum autem in scientia est ipsius obiectum, vt*

poto

pote velut illius forma, aqua ſpecificatur. Per obiectum enim in eſſe talis diſciplinæ conſtituitur, & ab cæteris ſeiungitur. Vnde impoßibiliter obiectum eſt alienum: ſed cætera illi, vel propria, vel extranea. Probat ergo, quòd in nulla ſcientia demonſtrentur de obiecto, aut proprietates alterius obiecti, vel propriæ per extranea principia (quod vocat trãſire de genere in geuꝰ) obiectum enim cuiuſuis artis eius genus appellatur. Quia plerunq; vnius integræ ſcientiæ genus eſt, non ſpecies ſpecialißima obiectũ. Et affer re extranea principia vocat philoſophus migrare de ſubiecto in ſubiectum. Quia ſunt tam idem vel tam eiuſdem generis, obiectum, proprietas, & principium: quòd tractare peregrinas proprietates, vel principia, eſt pariter aliud obiectũ docere, atq; manibus verſari. Sed tam prædicata quam principia debent eſſe propria ſubiecto. Eſt enim ſuus ſingulis diſciplinis periodus integraq; ſpera: inquam ſe ſe protendere poßit: & extra cuius metam, nec pedem extẽdat.

¶ PRIMO *probatur prædicata debere eſſe propria. Quia hæc ſunt paßiones ab ipſa natura in quantum talis ſubiecti neceſſario emanentes: ergo impoßibiliter paßio vnius erit paßio alterius. Cum eadem natura in duobus generibus diſparatis inueniri non queat: & per cõſequens nõ demonſtrabitur de alio obiecto, quã proprio. In demonſtratione enim oſtenduntur, non quæcũq; ſed proprietates ſubiecti. Deinde hæ competũt omni ſoli & ſemper: ac proinde alteri non poſſunt congruere: tantum abeſt neceſſario competant (vt requiritur) procedet ergo ſimilis ſyllogiſmus ex falſis. Præterea conuertibiliter ſe habet cum proprio obiecto: ergo non eſt de alio demonſtrabilis. Dices, quòd proprium ſuperioris verificatur de inferiori, & demonſtratur: reſpondet dupliciter. Primo quòd ſimiles prædicationes non ſunt vniuerſales (vt ſuperius tangebamus) ac proinde non admodum aptæ demõſtrationi. Secundo non eſſe alienas ab inferiori, ſed ſuo gradu proprias: nec diuerſa genera eſſe ſuperius, & eius quidditatiue inferius relata ad aliquam diſciplinam: ſed vnum, idemq;. Eadem enim diſciplina eſt generis eiuſq; ſpecierum. Tã dem patet inductione nunquam de genere in genus quoad paßiones tranſire. Vt de homine nemo demonſtrat eſſe parem, vel imparem: nec de numero eſſe calidum, vel frigidum.*

¶ PROBAT *quòd nec medium. Nam hoc aut eſt definitio, aut altera proprietas. Siquidem cũ plures ſunt, prior eſt ratio poſterioris: eſtq; inter eas ordo emanationis: vt patet & in proprietatibus hominis, & entis. Et cũ de proprietate oſtenſum ſit extraneam adduci non poſſe: de definitione eſt patentius: cum nihil ſit impoßibilius, quàm definitio vnius adæquata ſit pariter alterius. Quo circa cum ſingula genera ſua principia, & propria ſequantur: infertur quòd ſciẽtiæ, quæ in genere non communicant, non poſſunt vel eiſdem principijs vti, vel eaſdem proprietates oſtendere. Antecedẽs præter rationes, quibus hactenus firmatum fuit, denuo regula antepraedicamentali corroboratur. Sane quòd diuerſorũ (ſicut hic diuerſa intelligitur) videlicet quorum alterum alteri non ſubijcitur) diuerſæ ſunt ſpecie differentiæ: ergo & definitiones pariter: & proprietates diuerſæ ſunt. Nam differentiæ componunt & conſumant eſſentialiter definitiones; & fontes ſunt proprietatum. Ex quo ſubducitur quòd ſi quæ ſcientiæ in obiecto communicãt: hæ tales poterunt iure principijs & proprietatibus communicare. Hoc autem contingit dupliciter 1. ſi altera agat de ſuperiori genere; altera de eius ſpeciebus, Vt ſcientia de animali, & de homine: quarum patet tantam eſſe communicationem, quantam ſubiectorum identitatem, eſtq; deſcenſus aſcenſuſq;, & liberrimus, & litißimus imo non ſunt duæ ſcientiæ ſed vna. Plures poterunt demonſtrationes eſſe: eadem tamen diſciplina, iſdemq; habitus. Vnde proprie non loquitur de his Ariſtoteles. Tammetſi claritatis cauſſa ſæpius cum de ſubalternis agimus, ſimilium exempla ſubnectamus. Secundo modo vt obiectum vnius addat ſuper ſubiectam alterius differentiam accidentalem: vt Arithmeticæ obiectum eſt numerus abſolute, muſica vero numerus ſonorus. Cõmunicant ergo in obiecto quatenus vtraq; tractat de numero. Idem habent geometria tractans de quantitate continua, & perſpectiua de eadem viſuali. Scilicet prout viſu percipitur. Quarum diſciplinarum addens differentiam, vocatur ſubalternata (ideſt) ſub alia poſita: prior vero ſubalternans. Et rationi conſonat, vt proprietates numeri ſonori fluant aliquo modo ab numero, vel in eo fundentur: & per cõſequens propoſitiones arithmeticæ proſint muſicæ: & geometriæ pariter perſpectiua. Harũ &*

ſimilium

similium nemo prohibet, nec vllum vitium est, alterius principijs altera vtatur: nec tunc ex alienis procedit: quoniam non est prorsus distincta disciplina.

¶ NEC EX communibus. Hæc est secunda pars principalis corollarij. Vbi circa exemplũ aduerte: celebrem, vetustissimamq; inquisitionẽ esse, quadraturam circuli reperire, videlicet figuram quadratam circulo æquam, quod anguli quadrati, qui protuberãt, maxime impediũt. Vt quòd rem possibilem arbitrantur etsi hactenus minime inuentam vniuersi geometriæ eruditi summo conatu inuestigant. Inter quos Briso antiquus geometra, rem se se iam hoc medio inuenisse opinabatur. Sane quòd vbi datur maius & minus: dabatur æquale. Verum vel maior huiꝰ discursus est falsa (videmus enim in numeris dari maiorem ternario et minorem, non tamen æqualem, alium. s. alterius speciei) aut si veru est, tantum probat rem quidem possibilẽ esse: nõ detegit vllatenus caussam: quoniam procedit ex communibus. Vbi sciendum, quòd tam cognitio rei, quam iudiciũ est ex proprijs. Quomodo enim, vel cognoscetur? Vel iudicabitur quispiam bonus ciuis, vel bonus homo? nunquid ex virtute communi, vel status qualitate? minime gentium: cum in optimo statu degant homines impij: sed ex virtute morali, vel legali propria illius: quam ex operibus editis menti adhærere cognoscemus. Hoc autem principium vbi datur maius & minus &c. non est proprium circulo nec quadrato, sed generale nõ modo quãtitati, verum & omnibus fere rebus. Secundo principia communia non possunt esse principia singularum proprietatum. Ex quo enim singulares sunt, singulares caussas habere debent: quæ in istis, & non in alijs reperiantur. Nam posita caussa de per se (de quibus hic loquimur) ponitur effectus. Vnde si commune foret caussa proprij, in omnibus esset hoc proprium, in quibus illud commune: et sic proprium iam non foret. Si quis vero de subalternis obuciat: iam respondimus in his non instari. Consule textum. Concludit ergo: impossibiliter vllum philosophantium vti principijs communibus.

¶ SED QVAERET quispiam forsan? Vnde ergo hæc cõmunia venerciant si principia sunt: quorum principia sunt, si ad nihilum demõstrãdum subseruiunt? Notandum, quòd hæc communia sunt in ipsis proprijs. Haud enim hæc propria principia ita sunt diuersa, vt sint primo diuersa in nullo conuenientia: quin potius plurimum propinqua, & germana. Communia ergo vocamus ea in quibus propria principia conueniunt. Nam principijs accidit quod & speciebus, & generibus: nempe vt & differant, & conueniant. Species conueniunt vniuoce in natura scilicet generis: generibus vero cõuenientia est analoga. s. natura entis. Ita & principia licet sint propria, habent multa communia. Quæ quo nã modo an vniuoce, vel analogicè illis competant, post modum aperiemus. Cuncta in primis, sicut cuncta substantia sunt re vera entia: ita conueniunt in ente: & in his quæ ens consequuntur. Vnde omnes regulæ ex ente deductæ, vt quodlibet est, vel non est, de eodem idem affirmari, vel negari verum est, & similes sunt vniuersalissima omnibus principijs. Deinde obiecta aliquarum scientiarum, coeunt sæpissime in aliquo singulari genere: vt quantitas discreta obiectum arithmeticæ, & continua obiectum geometriæ: & perconsequens habent istarum principia propria ea, quæ vniuersaliter quantitatem consequuntur. Vt totũ est maius sua parte: si ab æqualibus æqualia demas, quæ remanent sunt æqualia. Itaq; quemadmodũ (vt dudum dicebamus) proprietates, & principia sequuntur genus: intantum principia singularia duarum, vel plurium disciplinarum habebunt aliquod commune, quatenus earundem obiecta in aliquo genere congregantur. Si vero rogas, quorum ista hæc sint principia (nam principium & principiatũ relatiua sunt) dicendum, earundem penitus conclusionum, quarum propria sunt pariter principia: nisi quòd non sunt adæquata, & sufficientia. Nec enim ex illis solis emanant, nec illa sola ipsas euidenter ostenderent. Præterea considerato, quòd principium proprium vnius est commune respectu alterius, vt animal principiũ est proprium sensibilitatis, cõmune risibilitatis (haud enim negari potest quin natura animalis vt cũq; principium sit ad ridendum.)

¶ IN TEXTV infertur secundum corollarium vulgo etiam dialecticorũ admodum celebre. Sane ad nullam scientiam spectat, probare sua principia. Omnis enim probatio, idest, omne antecedens videtur esse prius: & tamen in singulis disciplinis nihil est prius principijs. Et

demum

demum cum in principia omnis reductio quieſcat: nulla ſcientia vltra principia progreditur: ſed ex illis omnis eius diſcurſus inchoat. Sed intereſt metaphiſici certe ſimilia principia oſtendere: vt pote cuius eſt principia illa communia ſpeculare: per quæ facilime poterit, pariter & efficaciter de inferioribus principijs diſputare. Formabit rationes & veras, & de omnibus verificabiles. Demum metaphiſica quaſi omnium ſcientiarum parens videtur. Nam ſi eadem eſt diſciplinarum affinitas, quæ in obiectis propinquitas: cum cæterarum obiecta ſub obiecto metaphiſicæ contineantur: omnes & genuiſſe, & peperiſſe cenſenda eſt, ac perconſequens velut ſubalternans de reliquarum principijs iure proprio diſputare. Vnde regina dominaq; omnium per Ariſtotelem non immerito nuncupatur. Siquidem tractat de omnium maxime primis, nõ modo in genere entis: ſed de adeo primis cauſsis, vt nullatenus effectus rationem ſubeant. Scilicet de ente (quod eſt omnium principium formale ac per prædicationem vniuerſaliſsimum) & de primis agentibus deo, & angelis: & de vltimo ſeu primo fine. Nam agens vniuerſi vltimus finis illius eſt. Deniq; de primis cunctorum generum. Cæterarum vero principia etſi ẽn ſingulari immediata & cauſſæ ſint, aliâs effectus qualemcunq; rationem habent, quatenus & concluſiones ſunt: & communia principia ſe priora habent Quapropter & metaphiſicus maxime ſcire cenſetur: & architector eſſe ſapientum, & vti decanus. Quoniam ſcit prima entia, habetq; doctrinam (qua omnium notitiam comparare poteſt) de qua re apertius in quæſtione facimus.

¶ IN TEXTV. 17. *infert tempeſtiue ſimul & veriſsime difficillimum eſſe vbiq; ſiue in metaphiſica ſiue alijs in diſciplinis, quemquã noſſe vtrum concluſionem ſciat. Quia arduum eſt cognoſcere illam per propria principia. Quod ad eam tamen ſciendam impendio requiritur. Et frequenter dum ex communibus, vel extraneis procedimus: videmur nobis iã à proprijs inchoare. Quæ in re eadem eſt difficultas demonſtrationem cognoſcendi: & raro etiam quiſq; philoſophus concluſiones demonſtrat. Par enim vtrobiq; difficultas eſt & labor: totidemq; deceptiones contingunt: vt pote cum demonſtratione ſciẽtia, & non alio modo comparetur. Vnde plerunq; vel dum ab effectu, vel principio aliquo communi efficaces rationes formamus: demonſtraſſe id arbitramur: & tamen ſæpiſsime licet præmiſſæ vera ſint, illatio titubat, etſi hæc fortis eſt, præmiſſæ non paucas habent, vel exceptiones, vel interpretationes. Alijsq; mille modis error in hac parte accidit. Et ſicut veris arguendi modis commiſcentur Elenchi argumentationes deceptoriæ & apparentes: ita inter rationes efficaces, quædam ſunt veræ demonſtrationes, aliæ apparentes. Legitima autem demonſtratio, vereq; ſciens exigit et ex proprijs procedat: & hoc ipſum ſciens agnoſcat.*

¶ VBI MAGNOPERE *ſcientiæ conditio aduertenda eſt. Poſtulat enim & vere eſſe, & vt eſt cognoſcatur. Aliâs non fiet ſcientia: niſi vt ſcientia habeatur. Enimuero vt ſcientia per demonſtrationem in quopiam producatur: opus habet, intelligat ſe ſe ſcire. Nec ſcientia eſt velut virtus moralis, quæ non raro ineſt nobis ignorãtibus: & tanto firmior ac tutior eſt, quanto minus ab ſe habente cognoſcitur, ne vento ſuperbiæ euellatur. Quod quidem ex natura ſcientiæ atq; intellectus emanat. Voluntas quipe quam virtus moralis rectificat: inclinatur libere, & rectificatur etiam à virtute. Vnde non conſtat patenter vtrum virtute allecti, an ex mera voluntate operemur. Intellectus vero vt ſciat, neceſsitatur ab ipſa obiecti euidẽtia, conuinciturq;. Quæ quidem coactio cum fiat mediante cognitione atq; notitia, neceſſe eſt viuus atq; videns, ideſt, ſciens & intelligens cogatur. Non ſat eſt quidem exiſtimet ſe cogi (ſalletur enim facile, & producetur error) ſed ſane ab veritate vere vinci. Ideo cauſſalis Ariſtotelis eſt vera, nempe difficile eſſe ſcire: quia difficile eſt noſſe vtrum ex principijs proprijs arguatur. Siquidem vtroq; opus eſt: & ex proprijs producere, & hoc ipſum cognoſcere.*

¶ IN TEXTV. 18. *infertur tandem debere eſſe propoſitiones perpetuas, atq; incorruptibiles: quod ſæpe à nobis exaratum eſt. Id tantummodo aduertendum: hæc omnia ob ſcientiæ ſtabilitatem requiri. Deinde dupliciter aliquã propoſitionem eſſe vniuerſalem vno modo, quia loquitur de re communi, alio modo quia ſemper eſt vera. Hanc enim veritatis perpetuitatem appellat in præſentiarum Ariſtoteles vniuerſalitatem. Vnde non eſt ſcientiæ repugnans de ſingularibus eſſe: ſi ſingularia de per ſe vera ſemper, et*

in veri-

in veritate immutabilia sunt, Quia similia singularia quoad scire vniuersalia sunt, reliqua planissime constant in textu.

¶ DE VLTIMO textu sane quam definitio sit semper speciei non indiuidui, imo nec generis satis multa in prædicabilibus adduximus: & per rei perpetuæ nomen intelligitur species. Hæc enim sicut & quodlibet vniuersale, incorruptibilis est. Sed ratio Aristotelis est diuersa. Probat enim: quia cum demonstratio sit de rebus perpetuis, & definitio sit, vel medium demonstrationis, vel conclusio, aut integra demonstratio positione differens: erit pariter perpetua, pro cuius intelligentia notato. Quòd multiplex est definitio, altera subiecti (quod est substantia) vt definitio hominis: altera accidentium, aut partium: vt definitio risibilitatis. Rursus alia dicit, quid est subiectum solum, vt animal rationale: alia dicit quid, & propter quid: vt ecclipsis est priuatio luminis in luna ex terræ interpositione proueniẽs. Hic dicitur & quid est ecclipsis, & propter quid ecclipsetur. Quãdo ergo probatur passio per definitionem: definitio est medium: quãdo vero vel vna definitio concluditur per alteram definitionem (sicut superius docuimus) definitio est conclusio: quando vero definitio aliqua ita assignatur, vt dicat quid est subiectum, & propter quid tale sit, talis est integra demonstratio: solum situ differens, idest, forma. Quæ non est disposita per modum consequentiæ, & antecedentis, & conclusionis: sed tamen habet substantiam demonstrationis, scilicet subiectum, propriã passionẽ, & propter quid illius. Vt si præfatam definitionem discerpens informam demonstrationis hoc pacto disponas. Quicquid priuatur luce solis ab terræ interpositionẽ, ecclipsatur: luna priuatur luce solis ab terræ interpositione: ergo ecclipsatur. Verum est non semper tales definitiones esse: sed nec posse. Definitiones enim substãtiarum cõmuniter tantum dicunt, quid est subiectum. Est etiã definitio integra demonstratio. Cum constat ex duabus definitionibus. Quod pariter habet locum regulariter in solis accidẽtibus: quæ possũt definire, & per materialem caussam, & per finalem & formalem. Et cum definitur per duas aut per omnes, erit demonstratio positione differens. Vt ira est dolor ex ascensione sanguinis circa cor resultans cum appetitu vindictæ. Ex hac enim facile integra demonstratio conflatur.

QVÆSTIO Vtrum omnis demonstratio procedat ex necessarijs, & his quæ sunt per se?



PARTE NEGATIua arguitur. Primo necessitas propositionum requiritur ob veritatis sciẽtiæ perpetuitatẽ: sed multa contingentia sunt perpetua, quæ (vt Aristoteles hic agnoscit) semper sunt: sed non de per se: ergo hæc cadent sub scientia. Præsertim cum cõmentator asserat, quæ semper sunt, licet non sint de per se: apta esse sciri, atq; demonstrari. Secundo in id quòd non est scibile prædicatum, quod primo, vel secundo modo non inhæret. Scibilia vidẽtur, eaque competunt soli, sed non omni: vt esse medicum: & quæ soli, & omni, sed non semper: vt canescere (vt pote quæ insunt de per se subiectis) ergo illud est falsum: cũ similia neutro modo insint. Tertio In id quòd quæ communicant in obiecto, possunt eisdem vti principijs. Subalternata nusquam vtitur principijs subalternantis, sed conclusionibus vltimis. Tales enim sunt principia suarum. Antecedẽs probatur. Omnis scientia, quæ infert conclusiones ex primis principijs non est subalternata. Quòd si ex conclusionibus postremis inferat: sequitur continuari eandem scientiam, non aliam denuo fieri. Quarto in idem. Sequeretur quòd metaphisica subalternat sibi cæteras: vt pote sub cuius obiecto scilicet ente vniuersarum subiecta clauduntur, & differẽtiam accidentalem addunt. V.g. magnitudo addit quòd sit mensura continua substantiæ: numerus discreta, seu diuisibilitas in partes: illa in partes in potentia, hæc vero in partes in actu. Et cõfirmatur. Quia (vt habetur in textu) metaphisici est reliquarum principia ostendere. Confirmatur secundo. Non opus est, addat subalternata differentiam accidentalem: sed satest, obiectum species sit superioris. Ita se habent reliquæ ad metaphisicam: ergo. Maior probatur. Aliàs scientia subalternata ageret de ente per accidens. Nam quando vnũ accidens alteri accidenti iungitur: fit ens per accidens. Vt curreus musicus. Ergo

magnitudo

magnitudo viſualis, numerus ſonorus entia per accidens ſunt: & percõſequẽs non ſunt obiecta ſcientiarum. Nec ſubalternata addere poteſt differentiam accidẽtalem, ſed eſſentialem. Quinto in id quòd methaphyſici eſt principia aliarum probare. Vel id intelligitur demõſtratiue, vel probabiliter. Hoc aũt à ſingularibus diſciplinis nõ excluditur: quia ſingula ex officio propria principia exponunt, & inductiue ac exemplis corroborãt. Vt phiſici longa diſputatione principia rei naturalis inueſtigãt. Si demonſtratiue, cõtra. Illa principia ſunt prima ſimpliciter in ſuo genere: ergo indemonſtrabilia. Confirmatur. Vel ſimilia principia ſunt de ſe ſimpliciter indemonſtrabilia, vel tantum reſpectiue. ſ. ſuiadiſciplinis. Si primum cõceditur: habemus intentum: ſi ſecundũ: ſequitur, quòd omnes ſunt ſubalternatæ. Quotquot enim ex habitu principiorũ immediate nõ oriũtur, & inchoant: ſubalternata ſunt. Vltimo contra rerũ ſcibiliũ, & definitionũ perpetuitatẽ. Phyſica agit de generatione & corruptione, & perconſequens de rebus generalibus & corruptibilibus: ergo illud non eſt vniuerſaliter verum. In contrarium eſt textus auctoritas.

¶ CIRCA hanc quæſtionem & integrã poſteriorum materiam notandum: quòd cum quamplurimæ qualitates hactenus à propoſitionib9 demonſtrantibus requiſitæ fuerint (communis enim huius operis doctrina circa materiã demõſtrationis, non circa formam ſilogiſticã expenditur) ordine quodam cõtexta videtur. Primores enim definitione demonſtrationis relatæ, ex primis medioq; vacantibus prioribus, omnes ſunt qualitates propriæ principiorum, eaq; vt principia ſunt, conſequentes: ita vt principia quoq; cõtingẽtia, contingẽtiũ ſaltem reſpectu cõcluſionũ ſint vtcunq; talia, priora. ſ. & notiora. Hæc vero, ſane vt ſint neceſſaria, de per ſe, perpetua, de omni vniuerſaliter ſunt qualitates generales omnib9 propoſitionibus ſiue p̃miſſis, ſiue concluſionibus demonſtrationis, eis ob res ſignificatas cõpetentes: vt ex ipſis definitionibus adductis harũ conditionum colligitur. Secundo eſt aduertẽdum: quòd ſicut illæ priores ſcilicet vt procederet ex primis &c. Non ita literaliter exigũtur, quin ſufficiat, procedere ex his, quæ à primis emanarunt: ita & hæ poſteriores (etſi omnes hactenus multis verbis expoſitæ ſunt) haud vniuerſæ ſic adamuſſim requiruntur: quin nonnullæ vera demonſtrationi vere abeſſe poſſunt: perfecta tamen exactaq; ſine his nequaquam reperitur. Habet enim gradus demonſtratio etiam à priori: nec omnes virtute, & perfectione adæquant. Quædam ſunt conſumatæ omnibus numeris abſolutæ: quales pleraq; mathematicarum cenſentur. De quibus Ariſtoteles dumtaxat ſermonem texuiſſe videtur. Alia autem imperfecta & claudicans. Quæ latitudo perfectionis ratio fuit, cur Ariſtoteles aſſerat, in diſciplinati eſſe ingenij, æqualem in omnibus demõſtrationem exigere: ſed prout materia tulerit. Nam præter quam, quòd multa ſunt penitus indemonſtrabilia: & quæ demonſtrantur, ſæpe demonſtrari perfecte non queunt. Vnde nõnunquam præſtantes in aliqua diſciplina demõſtrationes, non ſunt abſolutè demonſtrationes: ſed quoniam meliores illis ibidem haberi non poſſunt: iure optimæ illæ cenſentur. Et ita in materia morum (vbi infimus eſt gradus ſcientiæ) dicimus ſæpe hæc eſt in materia morali demonſtratio, atq; euidentia: quæ tamen non eſt admodum perfecta: perfectiorem tamen nemo formabit.

¶ EST AVTEM PERFECTA DEmonſtratio, quæ finem demonſtrationis aſſequitur: vel potens eſt conſequi. Scilicet quæ ſcientiam exactam producit. Nam cum demonſtratio ſit per ſe medium: illa perfecta indicatur: quæ apta eſt ſuum finem adipiſci, & ſi ab extrinſeco impediatur. Frequenter enim ingenij hebetudo impedit: vel iam habitum eſſe productum. Vt cum quarta, vel quinta demonſtratio aduenit. Eſt enim demonſtratio velut ſemen generare potens: ſed ſi fœtus formatus eſt, ſuo effectu fruſtratur. Atq; cum ſcientia perfecta ſit rem per cauſſas præſertim intraneas cognoſcere: illa eſt optima omnium, quæ ab huiuſce cauſis procedit. Vnde etſi S. Tho. dicat in naturalibus, artificialibus, & moralibus, principes demonſtrationes deſumi: non ſunt hæ abſolute præſtantes: ſed in talibus artibus: maxime in moralibus, & artificialibus. Ex fine enim nõ tam natura agentis cognoſcitur, quam mediorum cõditio, & qualitas: & tamẽ in tãtum perfecta demonſtratio eſt, in quãtum perfectiorem rei notitiam confert. Præterea vnicuiq; rei prius prior eſt natura & ea, quæ ab illa emanant, quã reſpectus, vel ad cauſſam agẽtẽ, vel finalẽ.

Vnde

Vnde perfecta demonstratio, vt S.Tho. colligit, opusculo 47. est, quæ per definitionem, vel caussam intrinsecam propriam passionẽ demõstrat: cætera deficiunt. Scilicet vbi vna definitio demõstratur per aliam: quod nihil mirũ videri debet, cũ similes propositiones absolute sint immediatæ. Vnde rationi quadrat, vt vel nõ demõstrẽtur, vel non perfecte.

¶ *QVA IN RE, dupliciter vna demonstratio est perfecta: & totupliciter imperfecta. Primo si hanc metam præscriptam attingit: sed tamen nõ omnes tales esse possũt. Quia sæpe numero necesse est per alia genera caussarum demonstrare. Quæ ergo in singulis generibus à caussa immediata, & adæquata procedit: perfecta est, cũ addito in illo genere. Et hæ ita absoluta sunt primo modo imperfecta. Et secunda quæ in suis generibus non omnes qualitates possibiles habẽt. Philosophus autem dotes posuit, quæ inquaq; perfectissima reperiendæ erant. Per quod quantum cætera degenerent, nullo negocio deprehendemus. Ad primum igitur argumentũ respondetur, quòd illa duplex qualitas, necessitas scilicet & proprietas propositionum ob sciẽtiæ stabilitatem, & securitatem requiritur. Debet enim infallibilis esse nõ modo nõ falsa, sed neq; falsa possit esse. Si vero res scita contingens esset, etiam si semper esset, semper aliter euenire saltẽ posset: licet nusquam eueniret. Quod vero commentator ait, intelligitur de scientia large sumta. Secundo argumẽto respondetur: nullibi apud Aristotelem illud inueniri: sed quod prædicata altero illorum modorum non competentia, erũt accidentia subiecto: & intelligitur accidentia cõmunia. Sed multa similia aliquo pacto insunt per se. Imo etsi vno modo communia: altero erũt propria. Latitudo enim, & gradus est tũ in perseitate (quemadmodum exposuimus) quum in proprietate. Quadrupliciter enim proprium accipitur: & opinor, quòd non modo quæ quarto modo vti propria insunt, demonstrabilia sunt: sed etiam nonnulla varijs alijs modis propria, licet non omnia. Ea sane, quæ aptitudines dicunt naturales (namq; actus, etsi soli competãt speciei sed non omni: vel si omni & soli, sed non semper: per accidens videntur hærere, nõ perpetuo: conditiones demonstrationi admodum repugnantes.) Præsertim quòd caussas de per se, in his inferioribus nullatenus similes actus habent, & plerũq; nec easdem. Atque potentiæ sunt, vt posse in senectute canescere: quod suo gradu de per se cõpetit homini: eodemq; gradu poterunt profecto in secundo perseitatis modo collocari. Etenim similes per subiectum proprium definiuntur. Ergo si cætera subsint: non est cur hac parte ab grege demonstrabilium arceantur.*

¶ *PRO SOLVTIONE tertij, & sequẽtiũ de subalternatione scientiarum tractantium. Cuius apud philosophos grandis sermo est, & materia scribendi amplissima, notandum: quòd vnam scientiam alteri subalternari, est ab ea quoquo pacto pendere: & ideo veluti inferior subijcitur. Et quoniã omnis scientiæ actio, atq; occupatio est sui obiecti exacta notitia, non ob aliud alteri supponitur: nisi quia ab obiecto illius sui obiecti perfecta notitia pendet. Enimuero cũ hæc habeatur, quando omnia media vsq; ad prima eius principia cognoscimus: cõtingit, vt hæc media ad eandem scientiam pertineat, quãdoq; ad alteram: cui proinde necessario subijcitur: vt pote à qua consumatam sui obiecti cognitionem mẽdicat. Hoc autem duobus modis accidit (quãtum ad præsens spectat) nam de subalternatione theologiæ militantis ac triũphantis ecclesiæ par est hic nullum verbum faciamus) s. ex parte finis, & ex parte obiecti. Prior (vt plane loquar) est frequentior in disciplinis mechanicis, atq; factiuis: hæc vero speculatiuis. Nam cum in operabilibus ratio agendorum ex fine colligatur: scientia de medijs tractantes (quæ ad aliquem finem assequendũ conducunt) ei merito subalternãtur, ad quam finis mediorum spectat. Quæ vulgo architectonica nuncupatur. Vt scientia nauigandi subalternat sibi scientias nauium cõstructiuas: & materiam præparanter atq; aptãtes. Nam qualis materia esse debeat, vtq; disponenda, & disposita nauis construenda, ex nauigationis exigẽtia cognoscitur. Vnde patet debere hãc dependentiam immediatam esse. Scilicet vt obiectum superioris sit regula operandi inferiori: & scopus, quem per se respiciat. Vnde etsi Aristoteles primo ethicorum dicat artem bellicam, frenefactiuam, æquestrem, militarem, & quamlibet aliam ad politicam, velut ad finem ordinari (quia omnes artiũ operationes vltimate ad statum felicem reipublicæ tendunt) huiusmodi ordinatio adeo artibus extranea non est subordinatio: nec omnes disciplinæ politico subordinan-*

tur

tur. Alias etiam speculatiua subordinarentur. (omnes enim scientiæ ad bonum commune hominum ordinantur) multitudo (inquit Salomon prouerb. 2 0.) sapientum sanitas est orbis terrarum. Præterea multo magis omnia ad fælicitatem obtinendam, quæ est supremus hominis finis ordinantur, quam ad præsentem vitam: & tamen theologiæ de hoc fine tractanti non subalternantur reliquæ (licet omnes ancillentur) ergo nec polytica. Et ratio est: quia ipsius obiectum non est immediata regula inferioribus operandi.

¶ SPECVLATIVAE autem disciplinæ vt pote obiectum non operantes, sed dumtaxat contemplantes, resoluentesq; ex parte obiecti subalternantur. Quando scilicet immediata principia suarum conclusionem ab altera scientia, & considerantur: & considerata simul, & probata suscipit. Quod dupliciter contingit. Vno modo quoad vnum tantum principium: cum alias & in tota materia, & quoad cætera principia differant: sicut hoc principium: à quolibet puncto in quodlibet punctum est lineam ducere, geometriæ subalternantis, probari potest per physicam naturalem ostendentem, quòd à puncto in punctum est spacium: & hoc ideo quia duo indiuisibilia non sunt simul, nec faciunt quantum continuum. Quando sic contingit: non dicitur subalternata. Quia reuera non probat similis scientia sua principia: sed tantum sumit de illis, quod sunt, & physica propter quid. Itaq; nec physica probat, quòd à quolibet pũcto &c. Nec geometria tractat, quòd inter duo sit spacium. Et de similibus intelligitur Aristoteles cum in textu ait, nonnunquam alteram sumere quia est, altera tantum propter quid est. Ita vt nulla sit ambarum cõmunicatio aut transitus. Secundo quoad omnia principia, & quoad materiam.

¶ TALIS subalternatio duas singulares conditiones postulat. Prima: vt obiectum subalternatæ addat subalternantis differentiam extrinsecam: & (vt ita dicam) accidentalem secunda, vt conclusiones ex præmißis alterius scientiæ deducat. Primam conditionem requiri probat euidenter: quòd si nihil adderet, sed eius species foret: non esset distincta scientia, sed continuaretur, aut extenderetur eadem (eiusdem enim disciplinæ est genus quodlibet, & eius quidditatiue inferiores species rimari) sed pro alia parte militat, quòd differentia accidentalis additat non foret ens de per se: sed de per accidens: & per consequens nõ erit scibile. Trifarie enim ens de per accidens contingit. Primo duo accidentia communia copulata, vt albus musicus: secundo accidens cum subiecto, vt homo albus: vel tertio cum subiectum dicitur de accidenti: vt album est homo. Ergo accidentalis differẽtia adueniẽs obiecto ens de per accidens constituet. Quia vel subalternantis subiectum est substantia, vel accidens. Si substantia: erit secundus modus entis de per accidens. Si accidens: erit primus. Ens autem de per accidens non est scibile: quoniam varijs modis euenire potest: & caussas stabiles non habet. Quo circa necessum est dicere, quòd huiusce differentia est quidem accidentalis, si ad obiectum subalternantis absolute sumtum referatur: sed est proprietas eiusdem obiecti contracti, vt à subalternata consideratur. V.g. sonorum si numero in abstracto applicetur (qualiter obiectum est arithmeticæ) admodum de per accidens competit: & plurimi sunt numeri in sonori: sed si numerus capiatur quatenus obiectum est proportionum aures delectantium: iam vt sonet, oppido requiritur. Et ita musica agit de illo. Non absolute quidem de numero sonoro (hoc enim ens de per accidens est.) Et deinde de sono, physici est in libris de anima, & in de sensu, & sensato tractare: sed de numero prout subiectum est proportionum, suauiter sua melodia, vel aspere auditum, demulcentium, vel alterantium, cui vt sic de per se competit sonorum esse, musica agit. Vnde est ens de per se obiectum illius, non de per accidens. Et hæc est ratio, quare musica non subalternatur physicæ (cuius est sonum contemplare) sed arithmeticæ: quia proportio suauis accidens est numeri non corporis physici. Et quia musica non agit de sono, sed de proportione sonora, congruentius ac verius arithmeticæ subalternatur: cuius propositionibus proportionum vtitur: quàm physicæ nullam doctrinam de proportione adducenti. Per hoc exemplum splendet quid in cæteris subalternatis philosophari expediat.

¶ CIRCA SECVNDAM VERO conditionem aduertito: quòd nullus habitus scientificus præcisse sumptus euidentiam facit suarum conclusionum: quipque quæ ex præexsi-

ſtenti cognitionē principiorum emanat. Principia vero capere non ad ſciētiæ habitum, ſed principiorum ſpectat. Qui tamē etſi de ſe cuncta pariat: proprie non eſt ſubalternans: quia non eſt ſcientia, ſed altioris generis cognitio. Deinde obiectum ſcientiæ, cuius illa ſunt principia, nihil penitus addit: ſed ſunt omnino idem (de eodem enim obiecto eſt habitus principiorum et ſcientia, niſi quòd ille conſiderat obiecti quidditatē: hæc vero detegit proprietates. Itaq; ſcientia coniunctionem alterius habitus, & velut contiguitatem exigere videtur. Sed illa ſcientia, quæ immediate habitui principiorū copulatur, ex eoq; ſuas concluſiones euidenter deducit: erit forſan ſubalternās: ſaltem ſubalternata eſſe nō poteſt. Quia ſubalternatio eſt intra diſciplinarum ſphæram & numerum. Quæ vero ex altero habitu ſcientifico principia ſibi deſumit: hæc ſubalternatu eſt illi.

¶ SED HIC eſt duplex dubiolum, primum vtrum ſubalternata, vti principijs, vtatur pariter concluſionibus demonſtratis ſubalternantis: an poſſit vti eiſdem indemonſtrabilibus & primis huius: meo videre ſane non poteſt: ſaltem quoad omnes cōcluſiones. Aliās non egeret ſubalternante: cum ad illa principia intellectu capeſſenda ſufficiat ſibi principiorum habitus à natura inditus. Sed communiter habet pro principijs ſuperioris concluſiones. Reuolendum eſt tamen nos hic de ſubalternatione ex parte obiecti, nō ex parte finis, vel altero modo loqui, quod quidem patebit per ſingulas diſcurrenti. Et nihilominus verum eſt ſuo ordine habere eadē principia: quia hæ concluſiones immediata principia ſubalternatæ ex primis ſubalternantis emanarunt: & in ea pariter cum concluſionibus ſubalternata reducuntur. Tametſi ſe ſola hæc, ideſt, hanc reductionem peragere non valeret.

¶ SED DICES: ergo ſcientia ſubalternata non eſt ſimpliciter ſcientia, nec abſolute euidēs: vt pote non cognoſcens euidenter ſua principia, cum cauſſam ignoret. Reſpondetur: quòd de ſimilibus principijs aliás concluſiones ſubalternatu ſolum ſumit, quòd ſunt vera, admodum principiorum, ſcilicet inductione, & exemplis: ſubalternantis autem eſt noſſe propter quid illorum. Et iſte eſt alter ſenſus illorum verborum Ariſtotelis. Nihilominus euidenter ſatis cognoſcit illa: licet a poſteriori. Et præterea fatemur ingenue ſubalternatam etſi in ſuo gradu perfecta ſit: abſolute imperfectam ſcientiam eſſe. Et niſi muſicus pariter ſit arithmeticus, non penetrabit etiam muſicales concluſiones: vt pote fontē ignorans, vnde illi riuuli effluxerunt. Secundum dubium eſt: an vtatur concluſionibus in ea ſimplicitate & abſtractione, ſicut inſeruntur à ſuperiori? Nequaquam, ſed contractim, vt eius materia exigit: quemadmodum mox de communibus dicemus. Ad tertium igitur argumentum tantū ſupereſt, negetur continuari, ideſt, vtrāq; vnam exſiſtere. Quoniam ſubalternata addit peculiarem differentiam ex parte obiecti. Quarto dicito, quòd metaphyſica nullam ſubalternat: tum quòd ex eius concluſionibus proprijs principia cæterarum non deducuntur. Siquidē ſunt quam plurium diſciplinarum principia immediatiſſima: medio penitus vacantia, habitu principiorum dumtaxat percepta. Tum quòd eius obiectum eſt de intrinſeca ratione cuiuſuis alterius obiecti, & eiuſdem differentiæ. Quantitas enim eſt ens, vniuerſaq; illius ſpecies atq; differentia. Et ita non eſt capax nec apta metaphyſica, vt ſubalternans reſpectu alicuius exſiſtat.

¶ PRO SOLVTIONE quinti notandum: quòd metaphyſica & ſapientia eſt, quatenus de rebus ſublimibus tractat, & ſcientia: habitus ſcilicet per demonſtrationem acquiſitus, & in proprietatibus ſui obiecti ſcrutandis intentus. Nec minus metaphyſica quàm cætera, ex habitu principiorum pendet. Ex præexſiſtenti enim cognitione ſui obiecti pariter ſuas concluſiones deducit. Quæ præexſiſtens cognitio ex habitu principiorum habetur. Quo circa cum ex principijs indemonſtrabilibus incipiat, nec ſua principia demonſtratiue capiat: multo minus aliena, ideſt, non ſibi ſubalternata demonſtrare poterit: vel illa ſibi & cæteris communiſſima. Sane quodlibet eſt, vel non eſt: de nullo idem ſimul affirmari, & negari, & quæcunq; alia cōmunia aliquibus duabus, vel tribus. Maxime quòd ſimilia principia, & pleraq; ſingularia ſunt abſolutiſſime immediata, principiorum habitu quauis in diſciplina non ſubalternata percepta. Quod manifeſte in capitulo ſubſequenti patebit: & argumentum oppoſitum ſatis euincit. Etenim ſi propria principia demonſtra

monſtrarentur: communia ad ſimiles demõſtrationes conſtruendas deſeruirent. Siquidem cum tantum ſint tria ſcilicet communia, propria, & concluſiones: à quibus cõcluſionibus ſingularia principia à priori probari non queunt: dumtaxat prima ſuperſunt, per quæ media probari poſſint. Et tamen hæc principia nullam demonſtrationem intrare poſſe, illico oſtendemus: & perconſequens ſingula ſimilia principia ſunt penitus indemonſtrabilia. Igitur hæc principiorum probatio à metaphyſico petenda intelligitur qualis de principiys haberi poteſt. Primo ad eum ſpectat omnium ſcientiarum (cum opus fuerit) principia ab aduerſarys protegere. Quod præſtatur dum fallaces obiectiones ſoluuntur: quod metaphyſico haud eſt difficile. Ex vniuerſalitate enim ſui obiecti verſat materias adeo vniuerſales: vt fallacia quæq; nullo negotio dignoſcat. Per vera enim falſa quæq, noſcuntur. Præſertim quòd ſimiles argutiones cum ex propriys procedere non poſſint (non ſunt enim demonſtrationes) ſemper fundantur in aliqua metaphyſica parte, in vnitate ſcilicet, vel pluralitate, in actu, & potentia: in oppoſitione, differentia, vel identitate, & ſimilibus. Vnde & in quarto tutatur præfata communiſſima ab Eraclito & Cratello, ex ſuis figmentis oppugnantibus. Deinde vt probet rationibus quam efficacibus potuerit. minime tamen demonſtrat. Quod munus etiam dialecticus (vt dicemus) participat. Igitur principia conſiderantur quãtum ad ſui cognitionem & notitiam, & ſic ab habitu principiorum petuntur, vel quantum ad ſui defenſionem, & probationem poſſibilem: & ita ab metaphyſico mutuantur.

¶PRO SOLVTIONE SEXTI aduerte. Quòd de hac rerum ſcibilium, pariter & deſinibilium perpetuitate, & perpetua veritate magna eſt apud vtriuſq; ſapientiæ, Theologiæ ſcilicet diuinæ, & humanæ viros philoſophia. Primo, quòd ſoleat velut prouerbio ferri, quam plures propoſitiones perpetuæ, imo æternæ veritatis eſſe: deinde etiam vniuerſalia: quæ tamen ſunt in rebus. Vt animal, color, quantitas. Imo Auguſtinus libro de libero arbitrio dicit, nihil magis æternum eſt quàm ratio circuli, & duo & tria eſſe quinq;. Sed aduerſus vtrumq; ſunt non aſpernandæ rationes. Prima quòd rerum omnium ſolus Deus eſt ſine principio, qui cuncta in principio condidit: qui tamen non eſt cunctarum diſciplinarum obiectum: ergo dempta ea, cuius obiectum eſt veritas prima: nulla alia de perpetuis agit. Secundo vniuerſalia (inquit philoſophus) aut nihil ſunt, aut poſterius ſingularibus (intellectus enim ad vniuerſalia formãda ſingularia ſenſu percepta ſupponit) quæ tamen ſunt temporalia: ergo, & vniuerſalia. Quod ſi ex eo, quod res eſt, vel non eſt propoſitio eſt vera, vel falſa, cum rerum creatarum nulla non incæperit: & eius propoſitionis veritas profecto incepit. Quod & in ipſis aduerſariorum exemplis verificari licet. Huius propoſitionis veritas tria & quatuor ſunt ſeptem, aut eſt ſignificatio propoſitionis, aut eius compoſitio, vel eſſe rei ſignificatæ: ſed hæc omnia ſunt temporalia, non æterna: ergo nec propoſitio eſt perpetuæ veritatis.

¶DVPLEX eſt in hac diſceptatione quæſtio grauiſſima: prima de vniuerſalium æternitate: ſecunda de corruptione, & incorruptione veritatis. Quo pacto ſcilicet veritas rerum enuntiabilium naſcatur, & intereat. Nec habent ſe iſta duo conſequenter. Diuturnior pariter, & antiquior veritas rerum, ſimul et propoſitionum eſt, quam ipſa res: vt pote quas ſeiunctas ſæpe offendimus. Hæc enim propoſitio antichriſtus naſcetur, eſt nunc actu veriſſima: & antichriſtus ſolum eſt in potentia. Igitur quoad præſens dupliciter intelligũtur vniuerſalia perpetua. Primo quoad ſuas quidditates (has enim tantummodo in ſe actu claudunt) æquinitas (inquit Auicena) tantum eſt equinitas. Quarũ perpetuitas (vt ſupra faſſi ſumus) bifarie exponitur. Primo nuſquã eſt homo, quin ſit animal rationale. Ideo poteſt dici, quòd homo nuſquam incæpit eſſe animal: & per conſequens ab æterno fuit animal. Secundo vt ſemper etiã priuſquam fierit, aut formaretur orbis, talis debebat eſſe vniuſcuiuſq; rei quidditas: nec vllibi aliud fieri poterat. Alio modo intelligitur quoad eſſe exſiſtẽtia ſ. vt ſemper exſiſtant. Et quidem ſecundæ ſubſtantiæ in ſe nuſquam ſunt, ſed in primis, & generaliter vniuerſalia in ſuis ſingularibus. Apud philoſophum tamẽ habẽtur & hoc pacto perpetua: quoniã falſus credidit, & ſingularia nuſquam incepiſſe, orbe ab æterno exſiſtẽti. Sed hoc errore excluſo re vera vniuerſalia de ſe etiã hoc pacto perpetua ſunt: quia ingenerabilia, &

incorruptibilia de se sunt. Incorruptio atq; ingeneratio est ratio perpetuitatis eius. Ac proinda sicut hæ negationes sunt: ita & esse perpetua (idest) de se nõ sunt generabilia aut corruptioni obnoxia. Vnde perpetua esse negatiuum reuera prædicatum est in illis, etsi formam præferat positionis. Negatio autem non est caussa affirmationis, sed negationis.

¶ VBI EST aduertendum quòd aliquod prædicatum etiam affirmatiuum solet dupliei ex caussa subiecto competere, idest, ex aliqua forma intrinseca, vel extrinseca. Vt albedo est color: AEtyops est niger: columna est dextra, vel sinistra: secundo per remotionem contrariæ formæ, vel dispositionis. V.g. Petrus dicitur vnus ab forma se inesse constituente: sed materia prima per se sumta seclusa omni forma dicitur vna, quia non est multiplex (caret enim forma quæ se plurificet atq; multiplicet.) Forma enim dat, & vnitatem rei, & efficit multitudinẽ seu distinctionem (constituit enim, & differre facit) qui quidem modus essendi vnum per remotionẽ scilicet formarum in disciplinis est admodũ frequens. Nam, & genus est vnum per abstractionem ab differẽtijs specificis multiplicitatem specierum, & multiplicationem ipsius naturæ genericæ efficiẽtibus. Ita et hoc prædicatum incorruptibile potest ex altero capite alicui conuenire: aut ab forma sua. Velut substantia abstracta, quæ est perpetua atq; incorruptibilis ex natura & forma propria: quæ sibi essendi perpetuitatẽ confert: & corruptionis ita expers se est, vt penitus incapax exsistat. Vniuersalia vero rerum sunt perpetua negatiue: quia in se scilicet non claudunt dispositiones corrumpentes. Quæ sunt qualitates contrariæ materiales in rebus singularibus exsistentes: à quibus abstrahuntur. Et refert multum, vtro modorum prædicatum insit. Nam si a forma inest subiecto: non potest oppositum conuenire. Vt angelus & cælum nõ possũt vllatenus corrumpi. Quæ vero per remotionem talia sunt, optime simul, & de se talia esse: & opposito aliàs substare possunt. Vt materia & est de se vna, per hoc quòd in se nullam formam habet distinctionẽ in illa tribuentẽ, & est in rebus multiplex: vbi sunt huiusmodi formæ actus. Et natura generica vna fit, quoniam abstrahitur: & multa est in speciebus. Ita & vniuersalia, quæ de se incorruptibilia atq; in generabilia sunt, in indiuiduis corruptibilia sunt. Vnde solet dici, quòd vniuersale est de per se incorruptibile: de per accidẽs generabile aut defectibile: ad generationẽ scilicet, & corruptionẽ indiuidui. Nã generatio primo terminatur de per se ad hunc hominẽ: & quia is homo est homo, consequenter generatur homo. Alij dicunt quòd vniuersalia sunt perpetua, & incorruptibilia non positiue sed negatiue. Veruntamen nisi praecedens doctrina intelligatur, erit profecto obscurus: qui tam breuis esse laborat. Igitur cum tam multifarie perpetuum ingenerabileuè esse contingat: facile obiecta argumenta diluuntur: et nullo negotio cognoscitur, quo nam pacto, & solus Deus est æternus, omninoq; indefectibilis: cui hocmet prædicatum formam præferens negationis, positiue competat: sicut & immortalis. Etsi enim ab negatione mortalitatis imponatur, significant tamen naturam perpetuo essendi. Et vniuersalia negatiue, quibus èconera hoc prædicatũ perpetuum positiui speciem habens negationem attribuit.

¶ CIRCA SECVNDVM de veritatis perpetuitate plura nostri theologi, diui Augustinus Anselmus & Tho. verissime perinde vt altissime philosophati sunt ostendentes, quòd veritas rerum etiam creatarum est æterna. Quo circa scito, quòd licet ens, ac verum conuertatur: haud eodem pacto res vera est & ens Sed abesse quod in se habet est ens: vera vero, vel quia intellectui diuino conformis, vel sui conformitatem in humano efficit. Vnde ratio entis est absoluta, & absolute in rebus: ratio autem veritatis competit quidem rebus, sed ab intellectu, in quo proinde formalius exsistit. Et quia omnes res etiam temporales tam necessariæ quàm contingentes intelliguntur ab deo: earum veritas est pariter æterna. Nam cum res vera sit: quia conformis intellectui est: & conformis esse potest multo antea quam insesit: est vera priusquam ens. Quòd vero intellectui conformari possit, non ex virtute sua habet, vt pote nullam adhuc habens: sed ex natura intellectus prouenit, quæ est aptus vere percipere, quæ non sunt, siue pterierint, siue futura sint. Vt si astrulogus intelligit ecclypsim anni futuri, iã veritas ecclypsis est, nõ in ipsa ecclypsi, q̃ nõdũ est, sed in intellectu. Quæ veritas cõceptionis est & intellectus, vt intelligẽtis, & etiam rei, vt intellectæ. Ergo veritas rerũ

tanto

tanto antiquor esse potest: quanto intellectus eas priusquam fuerint, vere cognouerit. Et quia intellectus diuinus ab æterno omnia, & singula tã facta quàm fienda verissime, & oculatissime prospicit: vt pote qui nihil ignorare, & in nullo falli potest: cui nulla creatura (vt apostolus ait) inuisibilis est: sed omnia penetrat etiam profunda cordis. Quod alias teste Salomone nobis ipsis inscrutabile est, rerum veritas intellectarum est æterna. Quoniam ab æterno intellecta sunt: & æternaliter intellectui conformia. Attamen hæc veritas est rebus extrinseca: licet ab ea ipsæ & veræ sint, & denominentur non est, qua formaliter intrinsecè veræ dicuntur. Nam hæc realiter in singulis esse debet (conuertitur enim realiter verũ, & ens) & de sic veris locutus est philosophus: quando superius dixit, quòd demõstratio procedebat ex veris, idest, ex rebus veris in se veritatem habentibus. Igitur tripliciter veritas rerum considerari potest. Primo prout à deo cognoscitur: sic est immutabilis. Secundo prout est in rebus ipsis, & ita de eius corruptione tam singularium rerum, quam vniuersalium loquẽdum est quemadmodum de harum rerum perpetuitate dudum philosophabamur. Tertio modo prout est in humano intellectu. De qua secundo libro argumentorum satis diximus.

Cap. septimum. De principijs communibus.

Textus. 19.



RINCIPIA vero in quocunq; genere dico: quæ fieri nequit vt esse demonstrentur: potius ex ipsis præsuppositis, cætera demonstrãtur. Nam etiam communia principia saltẽ scissa, & coarctata demonstrant. Vnaquæq; enim disciplinarũ participitur illa: vt eius obiectum postulat: & ita fit velut proprium, & demonstrationi subseruiens. Cõmune est si ab æqualibus æqualia demas quæ remanẽt sunt æqualia. Geometra restringit ad magnitudines dicens si ab æqualibus magnitudinibus, æquales magnitudines demas. Arithmeticus ad numerum: si ab æqualibus numeris æquales numeros demas, vel vnitates.

Tex. 20. Quanquam non *habent id illa cõmunissima atq; maxima: quodlibet est, vel non est, & reliqua: tantum abest, vt formaliter, & integre demonstrationem ingrediantur. Vt si dicas omnis homo aut est animal aut non est animal, nullam demonstrationẽ conficiet. Complexio enim disiunctiua nullius caussa potest esse. Nihil enim resultat ex quo quicquam est animal, vel non est animal, sed tantum ex altera parte. Vt ex quo est animal: quòd sit sensibile: vel ex quo est non animal, vt sit insensibile. Vnumquodq; est ratio, & caussa in quantum est, vel in quantum non est: haud tamen in quantum, vel est, vel non est. Quare cum ambæ ponuntur: semper altera superfluit. Præterea demõstratio procedit ex caussis de per se, quæ sunt certa, & determinata: vnde non ex disiũctis aut copulatis. Impossibiliter enim erit caussa de per se vel vnum, vel alterũ: sed tantum alterum caussa erit. Præterea à duabus cõtradictorijs impossibiliter quicquam efficitur aut producitur. Igitur hoc principium, quodlibet est, vel non est, non potest demonstrationi deseruire. Et ita experimur quod illa negatio addita nihil ad inferendum confert. Nam maxime conferret ad inferendam similẽ de minore extremitate. Vt si subsumeres Petrus est homo ergo est animal, vel non est ani-*



mal:aut:ergo est animal, & non est nõ animal: et tamen tam in antecedens quam consequent superfluit. Nam & ex quo est animal inferretur idem: & licet non inferatur, infertur. Idem est enim dictu est animal, & non est non animal: et idem quoq; est inferre ex illo antecedenti: ergo est animal, & ergo est animal, vel non est animal. Itaq; illud principium nec maior extremitas est: & multa minus medium (vt probauimus.) Ex quo habes: quòd & nullam demõstrationẽ formaliter componit, & omnis demõstratio his principijs innititur. Quia ex quo quicquam est, quod indemonstratione cõcluditur: nõ est eius oppositum. Et demum subseruiunt ad deducendum respondentem ad impoßibile.

Text. 21. Rursus sunt propria illa tria scilicet obiectum, præmissa, & proprietates. *De quibus omnibus præsupponitur quid significet. Vt quid significet numerus, quid par, quid impar: in geometria quid magnitudo, quid circulus, quid quadratum. At vero obiectũ an sit, & quid sit. De principio esse: tamen demõstratur affectus in esse. Sed inter principia quædam sunt dignitates adeo notæ, vt nemo, corde saltem, inficias ibit: nec eorum oppositis assentiet. Quod vero verbo tenus negari queant, nihil refert. Demonstratio enim et scientia ad mentem referuntur. Alia sunt suppositiones: quæ si non cunctis palam sunt, respondenti certa sunt. Quamquam quædam sunt inter hæc adeo manifesta, vt non sit opus arguenti supponantur: vt ignem esse calidum. Alia sunt postulationes: quæ cum respondenti scilicet dubia sint vel incerta, postulantur ab arguenti sibi concedi: vt ex illis procedat. Definitio autem nec est suppositio, nec postulatio, sed petitio. Quia tantum opus habet intelligatur. Non est propositio, nec significat verum vel falsum, sicut illæ. Quamquam aduertẽdum est maxime, duplex esse principium: alterum reuera principium medio vacans (de quibus hic locuti sumus) alterum alicui dumtaxat. sane quando propositio probabilis, vel demonstrabilis alicui adeo certa est, vt inde quasi ex indemonstrabili, & primo exordiatur. De similibus hic nõ tractamus: vt pote ex quibus nemo re vera scit: sed potius si putat se demonstrare: decipitur.*

¶ COMMENTVM.



CIRCA DEMONstrationis materiã proprium obiectum huius operis adeo cuncta pluribus doctrinis referta nobis Aristoteles tradidit: vt præter quæ hoc capitulo aduertit: nihil prope de necessarijs superfit. Sane quia ex quo demonstratio ex proprijs procedit, communia abigenda, & protelanda videntur. Docet quo pacto, & hæc (vt parest) subseruiant. Et quidem intantum necessarie demonstraturus arguit, ex proprijs: vt eatenus communia formaliter componant quatenus propria fiunt. Aperit ergo quæ, & quomodo approprientur, & quæ nec coarctata prodesse possunt. Cætera textus adserta præcedentium vtilis repetitio est. Igitur cum principia in singulis generibus sint indemonstrabilia (quod eo adijcitur: quia non est inconueniens in alio genere demonstrari) & ex quibus cætera demonstrantur (quod quidem est veluti definitio principij.) Principium enim est vti primum: ante quod scilicet nihil præcesserit illius generis: & post quod cætera subsequuntur. Ex hac autem secunda parte posset quis obijcere, communia non esse principia: vt pote quæ etsi indemonstrabilia sint, ex ipsis tamen nulla demonstratio procedit. Respondet. Quòd pleraq; horum communium etiam demonstrant: dum ea vnaquæq; disciplina ad suam materiam frangent restringit. Quo facta resultant iam eius propria. Vt hoc: si ab æqualibus æqualia demas, quæ remanent sunt æqualia: quod tam geometra quã arithmeticus sibi partiuntur. Est enim proprietas quantitatis (quæ est subiectum æqualitatis, & inæqualitatis) sed alter eius principij vniuersalitatem numeris: alter magnitudine modificat (vt habetur in textu.) At horum duorum primum, omnia communia habent, sane vt quoad materiam coarctentur. Vt hoc, quodlibet est, vel non est, ita, quilibet homo est, vel non est, & ex parte prædicati, quodlibet est aĩal, vel non est animal, aut ex parte vtriusq; quodlibet animal, vel est rationale, vel nõ est rationale, & sic in cæteris quãtũuis cõmunißimis. Sed quòd modificata, vel (vt ita dicã) partita et scissa quicquã demõstrẽt: id illa cõmunißima, & maxima nõ habẽt: de eodẽ idẽ affirmare, vel negare verũ.

Quod

puod in textu 2 0. quatuor rationibus euidēter qrobatur.

¶ VBI EST aduertendum, quòd vel intrat vt altera præmißarum, vel vt medium, aut maior extremitas, vel minor. Tres priores rationes cō uincunt non posse esse causam: & per consequēs nec medium, nec præmißā. Foret enim indubitanter (si ingrederetur) maior, vbi est demonstrationis caussalitas. Possumus idipsum optima ratione facile nos monstrare. Quia vel caussa est vniuoca, vel æquiuoca: duo contradictoria neutra esse potest: ergo nullius effectus productiua sunt. Vniuoca eiusdem speciei est cum effectu: cō tradictoria autem nec inter se possunt nisi secunda intentione conuenire: ergo multo minus cum effectu. Æquiuoca vero caussa qualis solent esse principia indemonstrabilia, est quæ perfectione effectum excedit: at contradictoria habere nulla perfectio est. Negatio enim nihil perfectionis affirmationi addit, potius tollit, ergo contradictio nullius effectus caussa erit. Prima ratio textus est. Vnumquodq; est caussa, vel quatenus est, aut in quantū aliquid non est. Nā effectus aut est affirmatio vel negatio: primus sequetur ex caussa, quatenus est (vnumquodq; enim agit in quantum est actu) si negatio, fluet immediate in quantum caussa non est aliquid (quia affirmatio est caussa affirmationis: negatio negationis) nihil ergo est caussa simul in quantum est, vel non est, vt patet in exemplo. Sensibile non sequitur vt est, vel non est animal: sed tantū ex quo quicquam est animal: & insensibile, quoniam non est animal. Quodlibet ergo est, vel nō est nihil inferre demonstratione possunt: semper altera pars superfluit.

¶ SECVNDO in demonstratione caussæ sunt de per se, & determinatæ: non ergo ex vna, vel altera. Imo hæc est differentia inter dialecticum & demonstratorem (vt superius diximus) quòd dialecticus vtitur vtraq; parte contradictionis. Et propositio dialectica est vtraq; pars. Quia tantum intendit cōclusionem quomodolibet munire, seu inferre. Demonstrator vero, quia nō modo probare, sed ex caußis nititur ostendere, dumtaxat vtitur vna nō ambabus. Imo in tantū disiuncta ex cōtradictorijs nō prodest: quòd nec dialecticus vtranq; simul sumit, sed succeßiue.

¶ TERTIA ratio est optima: celebre quodam tā dialecticorum quā metaphysicorum prouerbium, Nēpe nihil ex duobus contradictorijs inferri. Et primo, quòd inesse caussæ non inferant denuo cōuincitur. Vnumquodq; agit sibi simile secundum formam, qua operatur. Virtus autē qua agit, sequitur formam et essentiam. Sed altera pars contradictionis aufert quidditatem alterius, & per consequens virtutem: ergo impoßibiliter idem effectus ex duobus contradictorijs emanabit. In ratione etiā inferendi ita, vt nec dialecticaliter teneat, constat. In bona consequētia ex opposito consequentis infertur oppositum antecedentis: vnde consequens primum cū opposito sui antecedentis stare non potest: ergo idem consequens ex contradictorijs nō infertur. Quoniam staret consequens cum opposito, & ille locus auferretur: quo nihil est firmius ac vsitatius. Quòd vero maior extremitas esse nō poßit: patet. Quia tā maior propositio quā cōclusio valerent tātundē, etiam si neutrilibet cōtradictio poneretur. Vt omnis homo aut est risibilis, vel non est risibilis, vel si dicas omnis homo est risibilis, & nō est non risibilis æquipollet huic, omnis homo est risibilis: & nihil recēs secūda pars addit, itidē et in cōclusione Petrus est risibilis, & non est non risibilis. Ergo frustra exprimitur. Consule textum.

¶ SED ARGVES bene valet, de nullo idē affirmari et negari potest: sed de Petro affirmatur homo: ergo simul nō potest negari. Præterea, & hæc illatio. Quodlibet est, vel nō est, sed Petrus est homo: ergo non est non homo. Respondetur quòd nulla harum est demonstratio. Deinde ad inferendum quidem prædicatum secundæ intentionis concurret illud principium: sed ad primæ minime. Hæc enim Petrus est homo per illud non probabitur. Sed affirmandum vel negandum esse. Secunda consequentia non innititur maiori: sed tantum minori. Veruntamen notandum: quòd demonstrationem intrare cōtingit dupliciter. Vno modo formaliter, & expresse: alio modo virtualiter. Et si ista principia formaliter secundū suā speciē ingredi nequeunt (vt ostendimus) omnes demōstrationes virtualiter componūt. Vt pote reliquorū tā principiorum quā cōclusionū principia: omniū veritatum nostrarum complexarum prima. Imo Arist. quarto meta tex. 9. dicit omnes demōstrantes ad hāc vltimam opinionem reducunt. Natura enim hæc cæterarum quoq; dignitatum omnium principium est.

Eâdem enim, æquaq; ratione respicit vtraq; sci licet tam cætera principia, quam eorum conclu siones. Siquidem repugnantia essendi aliquid: simul contradictoria par est in cunctis: & quoad omnia prædicata, siue primaria siue secundaria vel essentialia, vel accidentalia. Nec minus repugnat quicpiam esse album, & non album, quam esse hominem, & non hominem. Et hæc est ratio, quare ad nullam inferendam conclusionem velut proprium principium concurrit: quia in omnibus communissima ratio, caussaq; omnino parilis inuenitur. Et præterea inconuenientibus quibusq; maioribus inferendis, plurimum subseruit, & ad respondentes admonēdos pariter & detinēdos: ne scilicet in errorum cloacam prolabātur. Sæpe enim quisq; falsum ignoranter admittit: cuius falsitatem nisi per aliam maiorem illatam absurditatem nō docetur. Vno inconuenienti dato enim multa, & sæpe maiora sequūtur, vt dum quid quispiam concedit, vel negat: duo contradictoria de eodem verificari admittere cogitur. Tunc hoc monstruoso errore obiecto cognoscit sese falso aliquod præcedentium concessisse, vel negasse. Quoniam scit: quid tam magna absurditas, non nisi ex aliqua falsitate gignitur.

¶ ET SVNT nonnulli adeo peruicaces, atq; inflexibiles (vt dicit Aristoteles in quarto metaphysicæ) vt malint & hoc pestifera doctrina venenum inglutire atq; bibere, quàm præcedēs malum opus corrigere. Et id caussa fuit: cur quidam hoc principium oretenus negauerunt: non quòd corde oppositum non crediderint. V. g. negat quis omnem hominem esse risibilem: admissurus est cōtradictoriam, scilicet aliquem non esse risibilem. Tunc bene sequitur. Omne rationale est risibile, omnis homo est rationalis: ergo omnis homo est risibilis. Antecedens est verum, ergo, & consequens: & per consequens contradictorias concedit. Quo animaduerso ad mētem reuocatur: & quæ admiserat, diligētius discutit. Ad similem arguendi modum illud principium multum seipso, & sua specie iuuat. Iam cætera (quæ in textu sequuntur) ex antecactis adducit: vt sit residuum capituli velut dictorum epilogus. In quibus omnibus id tantū circa principiorum nomina aduertimus: quòd suppositiones eo sic vocantur, quòd ab arguenti supponantur propugnatori: cui & illa patescunt. Quamquam (vt inquit) aliqua sunt adeo manifesta, vt formaliter non supponātur: sed præsupponātur: statimq; ex illo tanquam ex iam cōcesso arguatur. Vt ignis est calidus: nemo homini sensato præsupponit. Postulatio vero nominatur, quoniā petit arguens semota disputatione sibi à respondenti concedi.

¶ CIRCA vltimum documentum caute, & admonitus lege philosophū promiscuè, dum de principijs in præsentiarum loqueretur, exēplis vtentem tam verorum principiorum, quam ab aliquibus, vel aliquo existimatorum. Quæ cum reuera principia non sint: claritatis gratia id fecisse iudicandus est: minime gentium quòd ea principia iudicaret.

Cap. octauum. De proprijs interrogationibus, & ignorantijs.

Textus. 22.

EX QVO patet quòd etiam sunt propriæ, & singulares vniuscuiusque disciplinæ interrogationes. Nam interrogatio, & propositio, & conclusio idem sunt. Si ergo propriæ sunt propositiones tam principia quàm conclusiones: singulis erunt, & interrogationes. Vnde non omnis interrogatio est aut geometrica, aut arithmetica, aut physica: sed tantum ea alicuius est, quæ ad eius cōclusiones spe-

ctat: vel ad principia suæ sub alternatæ, si est subalternans. Nam & de similibus oportet subalternans rationem reddat, vel ex suis conclusionibus, vel principijs. At de suis principijs subalternans ratione non reddit. Geometrica interrogatio est, aut conclusio geometriæ, vel principiū perspectiuæ. Si quæ vero de principijs geometriæ fiunt: haud ipsius intereſt respondere. Vnde non quæuis à quouis percuntanda sunt: nec ad omnia quisq; respondere tenetur: sed ad ea dumtaxat, quæ in sua facultate determinantur. Quo circa arguens cū Geometra, debet illi Geometrice proponere: & ad probandum proposita similia afferre. Ad quæ si non satis fecit, gloriose illum coūincit. Si vero extranea adduxerit, non eum confundit. Quoniam hæc Geometra scire nō tenebatur. Quare de singulis solūmodo inter illius scientiæ eruditos disputādum est: quippe proposita intelligent. Interrogatio vero alterius disciplinæ huic erit aliena: vt interrogatio de loco propria est physici, aliena tamen à musico. Sunt igitur interrogationes propriæ, & extraneæ: & vtraq; potest esse vna diuersis respectibus.

Text. 23. Imo vero & ignorantiæ propriæ necessario dantur. *Quia hæc omnia habent se consequenter. Eadem enim contingit ignorari, quæ interrogari, & sciri, seu demōstrari. Si quæ vero quispiam artifex scire debet: horum ignorantia propria talis artis erit. Vt si logicus ignoret aliquod principium, vel conclusionem suam, erit ignorantia logica. Ignorantia vero alterius facultatis erit non logica. Sed hæc ignorantia propria est duplex: alia negationis, scilicet si rem nō sciat (quæ eius facultatis est) secunda prauæ dispositionis: si circa illam videlicet deceptus sit, erretq;. Quæ etiam nuncupatur deceptio: sicut informe vocatur, & quod non habet vllam formam: & quod habet fœdam, atq; turpem. Ita ignorans, & qui aliquid non scit, & qui falso scit. Prima vero non modo contingit: quia plurima varijs de causis nō intelligimus, quæ intelligere tamen poteramus: verum quia plura quidam scire non possunt: si illi, qui eo sensu carent, quo solent similia percipi. Tunc deficiente sensu necessario scientia eius obiecti deficit. Nam etsi scientia sit vniuersalium: vniuersalia hæc tamen nisi per singularia non percipiuntur: singularia autem sensu capiuntur. Igitur qui aliquo sensu à principio orbatus est, scientiā eius obiecti proprij habere non potest.*

Tex. 24. Deceptio autem *contraria est scientiæ (error enim est) illa vero contradictoria: vt pote negatio. Sed contingit dupliciter deceptio, sane vel quia illatio vitiosa est, vel antecedens falsum: aut si demonstratio est, non proprium. Ad demonstrationem enim tollēdam quodcūq; horum sufficit (haud enim demōstratio est, si ex communibus, vel extraneis.) Hāc oportet deceptionem, vt pote circa materiā syllogismi versantem, in præsentiarum perpendamus. Illa enim quæ ex formæ defectu prouenit,*

potius est prioristica. Sed hæc potest esse tam de principijs affirmatiuis, & negatiuis (quæ superius immediata nuncupauimus) quam de coclusionibus. De immediatis consurgit error, vel simplici existimatione. Vt si rusticus absq; præuia ratione suadente, sed visa adnixus putet Phœbũ esse paruum. Vel cum ratione falsum illud suadente. Prima est vnica, et simplex deceptio, secunda semper est comitata, & multiplex. Falsum enim non nisi ex falso sequitur. Si ergo consequens falsum est, antecedens non est verũ. Sed potest saltem in prima, & in tertia figura: & totum antecedens falsum esse, sicq; erit triplex error: vel vna tantum præmissarum. Illud eueniet si medium ad probandum inductum neutri extremitatum, vel ipsi neutra competit. Quod facile inuenitur. Vt si ad concludendum actionem esse passionem adducas quantitatem. At si alteri competerit, vel ipsi altera: vna præmissa falsa erit. Vt si per corpus ostẽdas, quod omnis substantia est qualitas.

Tex. 25. Ignorantia mediatorum est itidem duplex: simplex scilicet, & multiplex.

Quanquam in similibus propositionibus scilicet necessarijs: tã immediatis quam mediatis non est ita frequens deceptio, sicut in dialecticalibus. Nam quoad principia sunt priora & notiora: in quibus proinde cognoscẽdis vix peccatur: maxime in mathematicis. Præterea sunt media de per se, & certa, & limitata: in dialecticis innumera. Quæ omnia conferunt, & vt illic raro error accidat, & vt hic sit quã frequens. In demonstratiuis etiam æquiuocationis defectus difficile continget. Quia non tã verba respiciuntur, quam conceptus, vbi æquiuocatio abest. Præterea illatio si propositiones sunt quales oportet, raro titubat. Quia omnes fere defectus, qui in consequentijs distributionis, ampliationis, & æquiuocationis crebro multiplicãtur, demonstrationibus nõ obstant: vt pote in quibus ita vtimur non distributis, vt distributis: & ampliatis pro non ampliatis. In demonstratiuis igitur si aliquis error latet, facilime detegitur, & deinde resolutio vsque ad prima est facilior: Vnde omnis certitudo, & firmitas cognitionis promanat.

COMMENTVM.



PHILOSOPHVS in præsenti nequid ad materiam spectans præteriret, subnectit, esse interrogationes, & ignorantias singulares, & proprias cuiusuis disciplinæ. Doctrina valde vtilis, & plurimum aduertenda. Circa primum sciẽdũ scito, quòd quamquam in exordio secundi posteriorum dicatur esse de re quapiam quatuor interrogationes, scilicet an sit, quid sit, an hoc sit illud, & propter quid: omnes tamen sunt propositiones. Nam & hæc, an res sit, quæ simplicior cæteris apparet, est propositio: præsertim in proprio sensu. Haud enim de actuali existentia quæritur: sed vtrum sit possibilis res rata, & vera in suis ve causis naturalibus (vt sæpe explicuimus) sed nunquid non contingit definitionem quæri, quæ (vt dudum habuimus) non est propositio. Contingit quidem, sed composita definitione suo definito, vt rogari solet, scilicet quid sit hoc, resultat propositio. At quamquam tam late interrogatio, propositioq; pateant: & vniuersaliter posset concludi, quòd si sunt propriæ propositiones tam principia quam conclusiones, sunt, & propriæ interrogationes: quando interrogatio, ac propositio identificãtur: restrictius in præsenti sumũtur pro propositionibus sane stricte scibilibus: quæ sunt vel conclusiones subalternantis, vel principia, & conclusiones subalternatæ (vt manifeste apparet textum intuenti.) Et ratio suffragatur, quod cum interrogatio præsertim in disciplinis ad rem interrogatam sciendam tendat: illa est principaliter interrogatio, quæ simpliciter scitur. Sciri vero exacte non contingit, nisi demonstrabila. Nam etsi aliàs principia quoq; sciri dicantur, locutio est (vt expressimus) minus propria. Nec principia interrogantur à quopiam, sed præsupponantur. Quoniam nec quid sint responsurus est, cum sint cõplexa: quæ definitione carent: nec propter quid rediturus cũ vel simpliciter, vel sibi indemonstrabilia sint. Et ita stricte interrogationes s[illegible]mtas, constat quàm efficaciter textus arguat: esse nonnullas etiam proprias, si sunt propriæ propositiones: quia idẽ sunt conclusio, propositio, interrogatio, præmissa & enuntiatio. Vt oratio, quæ quicpiã verum, vel falsum significat, est enunciatio. Si ad quicquam probãdũ proponitur, præmissa seu

seu propositio nuncupatur. Si per modum quæstionis profertur: vt vtrum fœlicitas sit in hac vita vel altera, interrogatio. Quando probata infertur, cõclusio. Interrogatio ergo geometrica seu physica, conclusio earundem disciplinarum est. At in aliquibus non modo quas ipsa inferunt, conclusiones sunt, sed & principia subalternatæ, præsertim ex parte obiecti (vt superius exarauimus.) Vnde interrogatio geometrica est principium perspectiuæ. Quo circa ex illis quatuor interrogationibus dudum citatis, de sola vltima pene in præsenti agimus. Qua propter quid hoc sit, illud inuestigatur. Nam cum interrogationes hic ad conclusiones Aristoteles coarctauerit: de quibus maxime caussa quæritur (vt pote in quo scientia consumatur) patet ita coarctè ipsum loqui. Qui vero amplius, & extensius hac de re agere velit: dicat & cum Aristotele in principio secundi, & nobiscum (vt dudũ) esse, & quatuor scita, atq; interrogata: & propositiones proprias pariter, & interrogationes æquiparari: eruntq; sic interrogationes, non tantum quæ de conclusionibus, sed quæ circa principia complexe, vel incomplexe sumta proponũtur. Tametsi nec omnia æqualiter sciantur: nec de omnib9 æqualiter respõdere quisq; teneatur. Quæ in re cum hic asserit, si geometra quæsitus fuerit de suis principijs respondere non teneri: intellige si propter quid interrogetur. Id enim à nullo de suis, etiam si aliás demonstrabilia sint, quærendum est. Nanq; singulis sua quæq; indemonstrabilia sunt. Quanto magis geometricæ, quæ nulli subalternatur. At si quæ de suis principijs quisque in sua facultate nouit, rogatur, respondere vtiq; debet: scilicet quot sunt, quo sensu explicantur, & qua via applicantur. Turpe enim foret, si quid horum philosophum quenq; lateret.

¶ SEQVVNTVR *in textu corollaria, seu cõsilia salubria potius: quibus & legem, iuraq; disputationis vnicuiq; seruemus: & sobrie, grauiterq; in scholis degamus. Sane non quæuis à quouis percontanda esse: sed ab singulis, quod suæ facultatis finibus continetur. Nec arguendum de re qualibet nisi corã viris eius rei doctrina pollẽtibus. Sic profecto literas seriose, & sanctè tractamus. non quorundam more: qui, vt apud vulgares scioli videantur, ea loquuntur, quæ nec ipsi forsan capiunt: & multo minus auditores. Hi certe philosophiæ scurræ mihi semper habiti sunt: rem grauißimam velut ioco tractantes. Nobis autem vt secundum audientium statum, & ingenium prædicatio formanda est: ita (cum opus fuerit) quæstio construatur atq; ventiletur: maxime interrogatio: quippe non ad erudiendũ respondentem, sed ad tentandum plerunq; destinata.*

¶ IN TEXTV 23. *agitur de ignorantia. Materia tam in speculabilibus quã moralibus amplißima pariter, & scitu vtilißima: quam esse propriam, & alienam euidenter textus ostẽdit: Quotquot enim nobis sciri contingit: & ignorari, & interrogari: imo semper ignorantia cunctorum in cunctis hominibus præcedit. Condensißimis enim ignorantiæ tenebris, omnes cum nascimur, inuoluimur. Quando mens nostra velut papyrus alba est: in qua nihil scriptum, nihil depictum est. Et sæpe etiam subsequitur, sane dum artem quamlibet aggreßi aut segnitia, hebetudine ve haud vniuersa eius præcepta calemus. Igitur cum ignorantia aliena sit; quæ ad hunc secundum vitæ statum, vel professionem doctrinæ nõ pertinet: propria vero, quæ iam pertinet: patet quòd precedens ignorantia est aliena: propria vero semper subsequens. Iam enim discere inchoauit. Homini rustico omnis ignorãtia scientiarum aliena est: quippe nullam professus, nullã aggreßus est. Propria vero est principij, conclusionis ve alicuius facultatis. Quamquam, & vulgares ignorãtiæ tam propriæ quã alienæ vbiq; inueniuntur. Mercatori ignorantia serendi aut seminandi aliena est: agricolæ propria è contra: ne scientia vendendi emendiq; merces: mercatori hæc propria est: agricolæ aliena. Ignorantia vero latius patet quam interrogatio. Nam scire debet quisq; tã principia quã conclusiones. Imo vero reprehensibilis est atque turpior singulis ignorantia principij suæ artis, quã conclusionis. Vnde in foribus (inquit Arist.) quis peccat, idest, in principijs. Ibi enim peccare absurdißimum est. Interrogatio autem propriè tantum erat de conclusionibus: & ideo in præsenti tractat ex professo philosophus, & sigillatim de ignorantia immediatorum: & tamen interrogatio principij superius exclusa est. Sed rursus ab principio ignorantia est duplex scilicet negationis, & erroris. Siquidem cum hæc scientiæ opponatur, quod quisq; non scit, ignorat: vt*

vero

vero sciat:nihil magis exactum est, quàm vt vere intelligat. Duo scientia requirit etiam vulgariter dicta, sane intelligere & vere. Qua iu rẽ simul ignorat, & qui penitus rem non cognoscit:& qui falso cognoscit. Neuter enim rẽ scit. Prima igitur ignoratio est negatio cognitionis illius rei absolute:secunda scilicet praua dispositionis est, negatio cognitionis vera, & quadam notitia erronea. Qua ideo iure optimo, & praua dispositio, & deceptio nuncupatur. Deceptio respectu præsentis, qui etiam si vlterius non progrediatur iam falsus est:mala dispositio, tum quòd veritatem difficulter suscipiet:cui suo mẽdatio resistit, tum respectu subsequentium. Præsto enim est vno errore imbutus, in alios etiam grauiores, miserabiliter corruere. Sicut enim peccatum voluntatis, quod pænitentia non deletur suo pondere teste Gregorio ad aliud trahit:ita & intellectus error. Is enim peccatum illius est. Hanc distinctionem Aristoteles appositissimo exemplo deformis explicuit. Qualis res quæpiam appellatur:vel quia omnis forma expers est, vt substantia abstracta: vtpote quantitate, & figura carentes: vel si habeat fœdam. Quidam enim hominum, et aliarum rerum pulchri sunt, & speciosi, alij deformes atq; inusi. Ita prorsus ignorat, et qui nihil scit:& qui falso scit. Quamquam id etiam aduertendum est, accidere non raro, vt simul quis rem ex parte cognoscat, & ex parte negatiue ignoret:scilicet quãdo imperfecte rem intelligit:vbi ignorantia negationis, & scientia commiscentur. De quo genere cognitionis loquitur apostolus, ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus. Nunc cognosco ex parte:cum venerit, quod perfectum est:euacuabitur, quod ex parte est. Talis est etiã plerunq; cuiuslibet rei sublimis cognitio. Vix enim vllam earum penetramus. Hac distinctione ignorantiæ clauditur, & præcedens, scilicet aliena, & propria:quia non modo aliena non cognoscere:sed errare circa illa frequenter contingit: imo frequentius in extraneis tractandis decipitur.

¶ IN TEXTV primam harum ignorantiã esse: quanquam de se cunctis experientia teste palam est: physica etiam ratione monstratur. Primo cum plurimi, vel rei familiaris curis detenti, aut ingenij tarditate præpediti, aut laboris magnitudine deterriti disciplinas omnes effugiant: pauci operam literis nauant. Vndè maxima mortalium ignorantia efficitur. Quæ etsi multo minor esse:nulla tamen esse non poterat. Quoniam multa quispiam licet omnibus viribus conetur, scire non valet. Deniq; nemo hactenus, vel omnia, vel omnium vniuersa cognoscibilia calluit. Vnde Aristoteles in metaphy. 2. loquens de veritate dicit, quòd partim est facilis, & partim difficilis cognitu. Nullus enim omnem veritatem ignorat:nec vllus hominum omnem attingit. Nos etiam dicimus dari quã plurimos nullam notitiam scientificam adeptos: neminem vero omnem scientiam assecutum. Itaq; in quibusuis aliqua ignorantia est: & in pluribus omnis scientifica: vt pote nullam rem vniuersalem per caussam cognoscentes. Ad hæc nõnulli natura, vel casu sic impediuntur:vt etiam si ingenium, & animum ad aliquid applicent: non assequantur. Sane qui sensu aliquo orbati sunt: obiecti proprij illius scientiam comparare nequaquam possant. Nam scientia est quidem vniuersalium:sed vniuersalia per singularia sensu percepta cognoscuntur. Vnde singularibus incognitis, vniuersalia non capiantur. Singularia vero sensu intelliguntur (is enim singulariũ est, intellectus vniuersalium) vnusquisq; vero sensuum habet propria sensibilia:in quæ ipse solus tendit:ita vt ab nullo alio quoquo pacto illa percipiantur. Nullus lucem nec colorem visu excepto cognoscit. Nullus nisi aures sonitũ percipit. Igitur qui sensu quopiã ab principio natiuitatis caruerit:notitiam exactam proprij obiecti illius conquirere nequit, quantumuis intellectu perspicacissimo polleat.

¶ IN TEXTV 24. Explicatur secunda, quæ contrariè scientiæ opponitur. Nam prior contradictorie, vt pote affirmatio, & negatio circa idem:hæc vero positiua qualitas est suo contrario resistens. Deceptio autem dupliciter contingit:nempe cum ex vero antecedenti falsum inducitur, quia cõsecutio claudicat (in bona enim ex vero falsum nõ sequetur) vel certe quia illationem vitiosam quis legitimam existimat, licet tam antecedens quam cõsequens vera sint. Crebro enim in veris male syllogizamus. Hanc ignorantiam non est huius loci, sed priorum elucidare, vt pote ex forma illorum librorum obiecto prouenientem. Alia est circa materiam:quãdo falsam propositionem iudicat veram:de qua

nunc

nunc pauca inseramus, oportet. Quia præsentis est instituti operis. Et quidem cum propositio possit esse principium indemonstrabile, tam negatiuum quàm affirmatiuũ, & conclusio: prius agit de principijs immediatis, post de mediatorum ignorantia. At principiorum error in duplici differentia est. Nam vel fallitur quis non aliquo argumẽto suasus, sed simplici notitia terminorum. Vt si quis arbitretur, sol esse, quantus apparet. Quod etiam potest contingere, & incõclusionibus. Quandoq; vero iudicat quis falsum principium tanquam verum aliqua ratione ductus. Inter quos errores id solum discriminis textus assignat: quòd primus est vnicus: secundus semper multiplex. cam falsa conclusio esse non possit, nisi alterius falsi, si consequentia (vt supponimus) valet. Qua propter falsæ conclusioni dissentiens propter præmissas: ante etiam alteri falso consensit: & ita error est duplicatus. Si vero quæras, quomodo cum secundum huius opinionem sit principium (nam re vera falsum nõ potest principium esse) infertur ab isto vt cõclusio. Respondetur. Non est inconueniens vt principium etiam verum probetur à posteriori: tãtum abest, vt falsum inferri nequeat: sed nec à priori, nec à posteriori falsum nisi ex falso sequitur. Vnde quomodolibet inferatur, deceptio erit multiplex. Subiungit Aristoteles sæpe etiam fore: vt ambæ præmissæ sint falsæ, nonnunquam vero altera tantum. In quo explicando multum olei & operis consumpsit: doctrina nullius penitus frugis, & plurimum obscura. Consulet textum. Cætera consulto præcidimus.

¶IN TEXTV 25. *Subiungitur: quòd neutra deceptio, siue quæ de illatione, siue quæ de propositionibus in disciplinis demonstratiuis est tam frequens, sicut in dialecticalibus syllogismis. Quid autem demonstrator, quidq; dialecticus sit: & quid his nominibus explicemus: nõ paucis superius expandimus. Docet ergo crebrius decipi dialecticum, ac falli posse, demonstratore. Deceptio autem illationis rarissime indemonstrationibus inuenietur. Si propositiones sunt quales debent: vix vnquam peccatur. Quia omnes fere defectus siue intrinseci, siue extrinseci syllogismorum demonstrationibus nõ obstant. Quoniam in propositionibus necessarijs, & de per se (quales sunt scientificæ siue principia, siue cõclusiones) idem est termini distribuantur, vel absq; distributione proferantur, amplientur, vel statum habeant suppositionis. Imo philosophi nusquam distributionibus: sed indefinitis pro vniuersalibus vtuntur. Et cum termini ibidem naturaliter supponant, licet non amplientur, sufficientissime de se ampliati sunt. Si quis certe cõtingere potest, maxime æquiuocatio: verũ tamẽ cum demonstratio non tam in verbis quam in mente construatur, & ad res significatas prospiciatur: vbi nulla est æquiuocatio: non reperitur iste defectus. Vt in mathematicis (quod est exemplum philosophi) si quis ita argumentaretur: omnis circulus est figura: carmen est circulus: ergo carmen est figura. Ibi nomen circulus æquiuocũ est significans figuram circularem, & quoddã genus carminis eodem pede finiẽtis, quo incipit. Apud geometram pro medio non tam hoc nõmine circulus vtentem, quàm re significata nihil proficeret, nihil officeret, nulla esset æquiuocatio: sed statim absq; distinctione minorem negaret. Dialecticales vero argutiones sæpissime ex probabilibus dumtaxat contextis crebro vacillant: vt pote quarum illationes omnes hi defectus concutiunt: quorum minimus si committatur, vim consecutionis infringit, atque dissoluit.*

¶ALTER VERO *defectus scilicet circa intelligẽtiam propositionum est quoq; rarus: quia principia sunt de se nota, & perspicua: ac proinde facile cognita. Conclusiones itidem vt necessariæ, ita prope faciles cognitionis. Si enim vera non sunt, impossibilia sunt. Quod ad intelligentiam facilitandam plurimũ confert: quis enim statim impossibilia non agnoscit. Probabilia vero, quorum veritas nusquam tuto patet, sunt difficilia cognitu: maxime cũ opus sit, in nullo singulari instentur. Demonstratiua, si in vno tãtum falsificãtur singulari, vniuersaliter sunt falsa. Vt homo est risibilis, si aliquis datur nõ risiuus, nullus est risibilis. Probabiles vero patiuntur mille instantias: & ideo sunt obscuriores intellectu. Tertio tandem constat, quòd ressolutio indemonstrationibus, non modo facilior est, quam in dialecticis, ob id quòd media in illis certa de per se, & pauca sunt, in his vero innumera, & quæ non patenter conclusiones respiciunt, verum sæpius in dialecticalibus propemodum resolutio est impossibilis. Quis enim vnquam ad prima vsq; principia probabiles propositiones redu-*

xit

xit? Tantum abest semper aut frequenter fieri posse. Igitur in demonstrationibus deceptio, aut nō inuenitur, nec error patratur, vel cito putratus rasarcitur, & euellitur.

VTRVM TEXTVS sit verus.



RO PARTE NEGATIVA contra diuisionem interrogationis in propriam & alienam arguitur. Est etiam alia tertia scilicet interrogatio communis ad duas, vel plures facultates pertinens. Primo quia sæpe eandem propositionem multæ disciplinæ interrogant, & inuestigant & determinant: propositio, & interrogatio idem sunt: ergo. Deinde ex principijs quædā propria, quædam aliena, quædam etiam sunt cōmunia: quare interrogationes pariter communes non dabantur? Secūdo in id quod multa propter sui celsitudinem non intelligimus. Vnumquodq; est intelligibile secundum quod est ens: ergo maxime entia magis sunt cognoscibilia, ac per consequens melius cognoscentur. Tertia in id quod sensu deficiente scientia illius obiecti proprij deficit. Aristo. primo metaphy. tex. primo sensus (inquit) nulli, est sapiēs, idest, in nullo est scientia: ergo ad sensus defectum nulla scientia peribit. Supra enim caussas memorauimus disciplinarum interitus: quarum hic nulla inuenitur nisi quòd sit subiectum, ac proinde eo corrupto interiet accidēs. Ad hæc multa scimus, quæ nunquam sentimus scilicet substantias (sensus enim tantum sunt accidentium) ergo ècontra poterimus sensibilia nosse, etiam si ea non sentiamus. Confirmatur. Si sensus requireretur, maxime ad species comparandas: sed plura per discursum cognoscimus, quorū species nusquam sensu percepimus, sanè inuisibilia. Ergo & absq; speciebus poterimus per discursum in notitiā aliquorum sensibilium peruenire. Quarto in id quòd error accidit quandoq; circa principia. In naturalibus vt pote ad vnum determinata, non est deceptio, nec error: sed cognitio principiorum est naturalis: ergo in eis cognoscendis nulla deceptio latet. Quinto contra diuisionem propositionis immediatæ in affirmatiuam, & negatiuam. Immediata propositio est antequam nulla est altera prior: sed omnis propositio negatiua habet affirmatiuā se priorē: ergo. Minor patet per S. Tho. primo perier lectione octaua. Quòd affirmatio est prior negatione voce, intellectu, & natura. Affirmatio enim est vt habitus, negatio vt priuatio: & semper habitus antecedit priuationem. Et negatiua deinde significat nō esse: quòd quidem est posterius quam esse natura, & intellectione. Et de malo. q. 2. dicit quòd semper negatiua in rebus naturalibus fundatur super aliqua affirmatione, quæ est quodam modo caussa illius. Vnde in rebus naturalibus idem est, quòd ignis calefaciat, & quod non infrigefaciat. Sed propositiones negatiuæ (quas immediatas nūcupamus) sunt de rebus naturalibus: ergo affirmatio est, & fundamentum, & caussa similium, & per consequens demonstrantur. Vt quòd substantia non sit quantitas fundatur in hoc, quòd substantia est ens per se. Confirmatur secundo. Hæc & similes sunt demonstrabiles: ergo non immediata. Antecedens probatur. Vt omnis substātia est ens per se: nulla quantitas est ens per se: ergo nulla substantia est quantitas. Et generaliter de quacunq; specie per suam definitionem, potest demonstrari negatio cuiusq; alterius. Cum definitio pariter, vt differentia, constituat speciem, & ab alijs disiungat. In contrarium est auctoritas Aristotelis.

¶ AD QVAESTIONEM conclusione affirmatiua respondemus. Sed ad primum argumentum negatiuæ. Nam si interrogatio (vt in præsenti agitur) pro conclusione demonstrata sumatur: cum ex proprijs tantum principijs infertur: si principia propria communia esse nō possunt: patet, quòd nec eadem conclusiones ac proinde nec interrogationes. Confirmatur. Communia principia adhuc scientijs formaliter nō subseruiebant, nisi proscissa, & partitione ad inferendum apropriata: ergo multo minus conclusiones. At non inficias ibo, quin nonnūquam plures disciplinæ eandem ostendāt, tractentq; conclusionem. Vt phisica et vtraq; theologia probāt esse primam caussam. Prima per motum: metaphisica per actum, & potentiam, rationemq; causandi: Theologia per reuelationem. Astrologia etiam, et physica tractant de motibus orbium. Sed nō contingit tamen ea demonstrari exacte, nisi

nisi in vna. Cuius ratio est quòd vnaquæq; conclusio si perfectè demõstratur, procedit ex causis proprijs & de per se, imo adæquatis. Impossibile autem est, vt duo sint principia de per se alicuius adæquata, sed vnum. Quo circa si propria principia ad duas scientias non pertinent (quòd omnido repugnat) impoßibiliter eadem conclusio demonstratur. Nec est eadem interrogatio nisi in scientijs subalternis, vt pote principiu communicantes. Præfatæ vero disciplinæ non demonstrant illam conclusionem à priori, sed potius à posteriori. Sic non est inconueniens eandem esse communem interrogationem, et conclusionem: sicut nõ inconuenit in multis disciplinis easdem opiniones agitari, & ventilari.

¶ SECVNDO respondetur, quòd quamquam obiectum intellectus humani sit ens in sua vniuersalitate sumtum: haud omne ens potest intelligentia penetrare. Nam cum obiectum, & potentia proportionata sint, oportet: entium quædam sunt intellectui proportionatu, quædam multum excedentia. Vnumquodq; quidem in quantum est ens, est intelligibile. Sed entium quædam sunt minima, præsertim entia in potentia, quædam media, vt substantiæ corporeæ: quædam supræma vt substantiæ abstractæ: & maxime Deus qui est infinitum ens. Prima vix sunt intelligibilia: quæ ideo intellectus ob ipsarum rerum defectum, non benepercipit. Media vero sunt nobis pro nunc valde proportionata, vt pote spiritus corpori adglitinatus. Vltima vero etsi de se maxime intelligibilia sint: quippe substantia, & actus puri corporis expertes, ob debilitatem nostram minus capimus. Vnde ad manifestißimu naturæ, idest, ad ea quæ de se impendio cognoscibilia sunt, habet se intellectus noster (vt ait Aristoteles) vt oculus noctuæ ad lumen solis. Quod cũ de se sit perfectè visibile, ab illius oculis, propter disproportionem, nequaquam aut debilißime videtur. Itaq; quædam ex sui defectu non capimus: quædam ob debilitatem nostram non cõprehendimus. Sic argumentum diluitur.

¶ PRO SOLVTIONE tertij notandum, intantum intellectum nunc à sensu dependere, vt quamquam multa cognoscamus sensui non subiacentia: nullam tamen similium rerum scientiam perfectam habeamus. Quantum vero dependeat: & quantum sensum excedere valeat, facile detegitur: si radicem dependentiæ perpendamus. Et quidem dependet: quia cum sine obiecti speciebus cognitio non producatur: quas species rerum mens in se vti angelus congenitas nõ habet, per sensum ad eam ingrediuntur: qui sunt inclusæ mentis veluti fenestræ ac ianua: species vero vicem obiecti obtinent in mente. Vnde quãta est obiecti necessitas, tanta & specierum: ac proinde sensus, quibus species comparantur pro isto statu, naturaliter loquendo. Sed excedit nihilominus intellectus etiam sensui reuinctus. Quod species sensu colliguntur singulares rerum singularium: ex quibus intellectus agẽs ellicit vniuersales. Deinde etsi sensus iudicat tantum de accidentibus, quæ apparent: species tamen substantiæ exterioris, commixtæ speciebus accidentiũ, per sensum ingrediuntur: tametsi sensus illis nõ moueatur. Quod facile quo num pacto contingat, multis exemplijs ipsorummet sensuum percipientium ex multis coniunctis tantum vnum illorum (vt supra vidimus) intelligitur. Vnde intellectus potest & substãtias cognoscere. Ad elliciendas vero vniuersales ab phantasmatibus, singulares vnius aut duorum indiuiduorum sufficiunt, saltem in complexis vt propositiones doctrinales segregemus: quæ per experientiam plurium singularium colliguntur. Quemadmodum (inquit phylosophus) experientiam fecisse artem. Ex quo infertur primo, quòd omnia indiuidua censentur sensui subiecisse: si vnum vel alterum eiusdem speciei subiacuit. Secũdo, quòd natura specifica abstracta: omnia genera superiora sufficienter habentur. Vt pote quorũ quidditas in singulis speciebus, & specierum in indiuiduis formaliter reperitur. Excedit quoq; tertio intellectus, quòd in ipsis naturis abstractis plurima potest scrutari, præsertim quod spectat ad habitudines, & respectus mutuos: & ex eis quoq; alia multa, comparatione aliqua sibi colligere. Hæc enim est virtus naturæ rationalis ex sibi cognitis scilicet incognita rimari. Vnde omnis nostra de rebus inuisibilibus sapientia orta fuit: sane ex rebus visibilibus, quæ ab illis, vel manant, vel pendent: & cum quibus non pauca sunt sibi communia. Cuncta enim sunt entia, & plerumq; etiam substantiæ. Igitur omnis nostra cognitio, quantumlibet intellectus præteruolet, & in vniuersalia pariter ac insensibilia se se attollat, ortum habet ab sensu: per quẽ species acquirit: sine quibus nec pedem mouere potest. Sed quia

quia obiectum sensus semper est accidens sensibile:quod substantia corporea dumtaxat hærere potest:omnis species abstracta:imò omnes quæ sunt in anima pro isto statu,sunt de rebus corporalibus. Et quia (vt diximus) species ibi locum obiecti vendicat:solent metaphysici ac theologi dicere obiectum intellectus nostri pro nunc quidditatem rei materialis esse. Minime gentium, quod eius virtus & immaterialia nõ percipiat. Sed quia nisi harum rerum nunc species non lucratur propter mediũ scilicet sensum, per quod sibi adueniunt.Sed cum & spiritualia asseruerimus pariter,& modo aliquatenus percipere,necessum duplex erit intellectus obiectum. Alterũ vocant motiuum,alterum terminatiuum. Motiuum est,quod mediantibus sui speciebus intellectum in sui notitiam incitat,& propellit. Tália est solum quidditas rei materialis ob caussam expositam. Nempe quòd similes tantum speciẽ sui in animam corpus immersam imprimere possunt. Terminatiuum vero est id,ad quod intellectus actio vtcunq; terminari valet: quod est ens in communi.Omnia enim entia cognoscit. Et iure ens obiectum eius statuitur:quoniam sicut proprium est homini risibile,ita entis esse intelligibile. Hæc obiecti distinctia non habet locũ in sensibus:qui tantum ad id quod adest & præsens est,se se applicant,nec terminantur nisi admotiuum.Hinc etiam altera cognitionis distinctio celebris & cognitu necessaria oritur.Nempe vt altera sit rei propria,alia per aliud.Quando res per propriam ipsius speciem cognoscitur: propria eius cognitio appellatur : quando vero per speciem alienam appellatur,& per aliud,et semper confusa.Et quia scientia est rei perfecta cognitio:sequitur,quòd omnis notitia rei inuisibilis in nobis modo existens,etiam nostræ ipsius animæ,& intellectus(sæpe enim & nos ipsos cõtemplamur)est imperfecta.Hæc etsi digressione adducta videantur,sunt plurimum necessaria, & opportune logicis apposita. Sed vt sermonis torrens in suum aluenm redeat. Notandum: quòd sensus totius nostræ eruditionis cognitionisq; radices,non aliter intellectui subseruiunt, quam suum obiectum sentiendo ac percipiendo. Est autem vnicuiq; duplex scilicet proprium et commune.In primis singulis opus est proprium obiectum aßignetur quia sunt potentiæ quæ per actus,& obiecta distinguntur. Visui primo, & omnium præstantißimo aßignatur lucidum,& coloratum(color enim quædam participatio lucis est.).Auditui sonitus.Naribus odor:Gustui sapor:Tactui primæ qualitates.Commune est accidens quod proprij obiecti subiectum est : vel ipsum commitatur.Et quia omnia obiecta sensui recipiuntur mediante quantitate:quantitas & magnitudo est obiectum commune,præserim visui,& tactui.Primo vnusquisq; sensuum (vt parest) fertur in proprium obiectum :secundario in commune.Et quia intellectus,vt potentior potentia per sensum obiectum vtrunq; percipit:in tantum singuli intellectui famulantur: quantum proprium eius obiectum vniuersalius est,& in pluribus reperitur. Vnde visus maxime scientijs ancillatur: cuius obiectum scilicet lucidum in pluribus reperitur : sane incorporibus corruptibilibus,& incorruptibilibus : quæ ratione lucis intellectus percipit. Quamquam rerum speciebus comparetis plus ad disciplinas acquirendas confert auditus:sed de hac re alibi agetur.

¶ EST AVTEM differentia inter obiectum proprium, & commune : quòd primum à solo suo sensu cognoscetur:commune(vt nominis ethimologia docet) etiam per alium.Ideo enim commune nominatur.Vt lucidum nullo sensu nisi visu percipietur:at magnitudo si non visu,cognoscetur tactu:qui est mensuratiuus.Sed argues:nõne sensus communis,& multo melius intellectus cognoscent lucem,& propria reliquorum obiecta.Cognoscent quidem. At hæc distinctio proprij & communis respectu dumtaxat ipsorum exteriorum intelligitur.Et deinde interiores,& altiores quæq; potentiæ non cognoscent illa, nisi proprio sensu speciebus administratis : quod ex primo euidenter deducitur.Si enim nullus exteriorum nisi iste obiectum percipit:vnde vel sensus communis, vel intellectus illius obiecti species comparabit?Quo circa necessario sensu ab principio deficiente,nulla scientia obiecti erit. Ita enim regulam intelligimus:non quod antea sensus exsistens post modum deficiat:sed vt semper desit.Et ita prouerbio celebratur cæcus à natiuitate non iudicat de caloribus.Siquidem perceptis semel singularibus species memoria conseruantur:vnde ablato sensu permanerẽt. Deinde species manent in absentia obiecti,& suo munere funguntur : ergo semel adquisita etiam

amißo

amisso sensu idem fieret. Quia sensus non alio modo necessarius est quam præsentia obiecti. Ad hoc enim requeritur: vt obiectum præsens moneat. Veruntamen ab exordio generationis carens, cognitionem perfectam, qualis est scientifica, de proprio sensus obiecto nō habebit. Probatur. Nulla talis nisi per propriam speciem habetur: quæ in illo minime inuenietur. Sed rogas an saltem notitia imperfecta obiecti hac hypothesi haberi queat. Notandum duplicem esse imperfectam, alterā, qua cognoscitur inferius in suo superiori. Quam cum omnia obiecta sensuum sint accidentia, & qualitates, poterit de luce habere similis cæcus. Per alios enim cognoscet, quid qualitas, quidq; accidens, & quomodo inhæreat. Altera dicitur imperfecta: cum sit propria rei, idest, in rem terminata, sed per speciem alterius producta. Qualis est cōceptus dei in hac vita per creaturas. Et talis notitia consideratis quiete singulis obiectis sensuum: non video quo pacto habeatur, nec inuenio per quod obiectum aut similitudinem aptam lucē possct ille cognoscere. Cum nullo enim in ratione lucis (vt requirebatur) analogiam gerit. Quod etiam de cæteris (si serutaberis) singula reperies. In ratione quidem accidentis, vel qualitatis conuenit cum cæteris, at odor in ratione odoris nulli similitudinem præfert: & ita in reliquis. Igitur aut non cognoscet, aut confusissime. Quibus oppositis facile est loco Aristotelis respondere. Quòd etsi nulli sensui scientia hæreat: species tamen præcipue proprij obiecti per sensus hauriūtur. Quo nusquam exsistenti necessario illæ non producentur. Rationibus vero obiectis (dum doctrinam traddebamus) obiter sufficienter satisfecimus.

¶ QVARTO ARGVMENTO *celebris omnium philosophorum confessio respondet dicentium, paruus error in principio maximus est in fine. Ergo & in principio cognoscendo ab recto nonnunquam tramite, idest, à veritate deuiatur. Præterea quæ immediatior prædicatio, quam vbi definitio quidditatiua, de definito prædicatur? Et tamen in definitionibus cognoscendis immiscetur deceptio, vt inquit S. Tho. pri. par. q. 25. dum vel definitionis partes male inter se coadunamus non propriam differentiam suo generi: vel definitionem integram alteri definito applicamus: ergo erronea potest esse principiorum notitia. Et quidem multipliciter. Primo, si propositio falsa existimetur verum principium (is error est maximus) secundo, si licet vera sit: demonstrabilis est, non principium. Tertio si, licet principium est, non suo principiato, sed alieno applicatur. Si eorum scilicet principium habetur, quorum non est. Qui modi reducuntur ad duos textui insertos. Quando scilicet quis decipitur circa ipsas propositiones, vel circa earum applicationem. Deceptio enim illationis maxime contingit in falsa principij applicatione. Nā cæteri defectus distributionis, vel inæqualis ampliationis, vix vnquam demonstrationibus officiunt. Ad argumentum respondemus non esse tam naturalem principiorum cognitionem, vt à natura nobis insit: quimpotius est actus in tempore ellicitus. Sed naturale dicitur aliquid dupliciter, primo quod generatione comparatur tam substantia, & cætera accidentia permanentia: alio modo actus, vel operationes quædam ad quas elliciendas sufficiens principium natura concedit: vt visio oculorum: & auditus aurium. Talis est principiorum notitia, quæ intellectus lumine tantum indiget: non rursus quemadmodum conclusiones, notitiam aliam requirunt principiorum & caussarum. Et in similibus actionibus potest esse error. Vnde & in sensibus nonnunquam saltem circa communia sensibilia iacet fallacia: & crebrius in intellectualibus, & moralibus. Vnde videmus cum multa naturaliter appetantur, vt propria rei exsistentia & vita: aliquando etsi raro ipsamet vita viuenti tristis est: & odio habita, mors dulcis, & desiderata.*

¶ AO VLTIMVM *dicendum quòd propositio immediata inuenitur & affirmatiua, & negatiua. Sicut enim quædam immediate cohærent: vt homo & animal: ita quædam seipsis distinguntur (sane quæ appellamus primo diuersa. Ergo horum alterum negabitur immediate de altero. Et sicut res aliqua est aliquid primario, aliquid mediate (quod enim per medium conuenit, mediate conuenit, quod seipso immediate.) Ita profecto res aliquando non primario, & per se non est aliquid, quandoq; mediate, & (vt ita dicam) secundario. Vt homo non est albedo, quia non est color: & non est color, quoniam non est qualitas. Si vero*

O non

non sit mediũ, per quod illud negetur, immediate negatur. Vt substãtia non est accidens. Immediata disconuenietia intelligitur in suo genere, scilicet prædicationis negatiuæ, non absolute. Impossibile est enim, quod alicui rei primario ante omnia competat non esse aliquid. Sed prius debet conuenire aliquid esse: scilicet, vel sua desinitio, vel proprietas. Sed in genere negatiuarum aliquid immediate negatur: vt quodlibet supremum de alio: & differentiæ maxime eiusdem generis. Hæc enim omnia vocamus primo diuersa. Qualibet autem species negabitur de supremo alterius cathegoria mediate. Sed quæstio est, an postquam reuera affirmatio prior est negatione: possint huiusmodi immediatæ negatiuæ per affirmationem demonstrari: ita vt si suo in genere indemonstrabiles sunt, absolute tamen sint demonstrabiles. Videor mihi saltem stricte loquendo indemonstrabiles fore. Nam exacta demonstratio procedit ex proprys & primis caussis: sed affirmatio nusquam est caussa negationis scilicet primo & per se: sed consequitur negatio affirmationem. Vt animal primo est ratio essendi sensibile: non: quòd non sit insensibile. Vnde similes negationes primæ videntur simpliciter indemonstrabiles. Sed affirmatio (vt aiunt) est caussa affirmationis, negatio negationis. Præterea cum concluditur negatiue, altera præmissarum necessario est negatiua, cui maxime vis illationis adnititur. Vt huius, substantia non est accidens, haud est tam ratio substantiam esse ens per se, quæ est affirmatio: quam hæc, nullum ens per se est accidens: & ideo negatiua per affirmationem probari quidem, sed demonstrari non potest. Vltimo si per affirmationem demonstrarentur, vt homo non est quantitas, per hoc, quòd est substantia, multæ forent nihilominus immediatæ ac indemonstrabiles. Primo quando medium est idem cum subiecto demonstrationis. Iam diximus tales demonstrationes esse à priori tantum quoad nos: secundum sententiam S. Tho. Et quia ens per se descriptio est substantiæ, idem est, nullum ens per se est quantitas, & nulla substantia est quantitas. Secundo si quis in oppositum illius resolutionis contendat, saltem hæ maiores erunt indemonstrabiles, scilicet nullum ens per se est accidens. Tametsi non sit opus: cum suprema quæq; constet non habere definitiones. Vnde sine hæsitatione hæc est immediatissima: substantia non est quantitas & similes: nec immediatior est ista, substantia non est accidens: quoniam accidens idem est immediate cum ipsis nouem generibus accidentium. Et hæc: rationale non est rugibile & aliæ: vbi vna differentia diuisiua negetur de alia, quoniam absq; medio negatur. Sed de his, homo non est qualitas, non est actio, quæ iam per medium negatiuum non probantur: sed per positiuum. Haud enim iam quia homo nõ est aliquid aliud, homo non est qualitas: sicut quia non erat color, non est albedo: sed quoniam est substantia, non est quantitas. Absq; dubio sunt suo ordine & gradu demonstrabiles per affirmationem, & negationem. Scilicet quia homo est substantia nulla substantia est quãtitas. Nam hæc est vera, quia homo est substantia, homo non est relatio: ergo redditur vera caussa, & per consequens potest demonstratio formari. Præsertim, quòd iste syllogismus: homo est substantia, nulla substantia est quantitas, ergo homo non est quantitas, est demonstratio etiam à priori Nam redditur caussa adæquata, & vniuersalis conclusionis. Licet enim substantiam non esse quantitatem non sit propter quid vniuersaliter omnibus rebus, vt non sint quantitas: est tamen vniuersalis hominibus scilicet, vt nullus eorum sit quantitas: & ita quibusq; subsecontentis (quod expresse confitetur Aristoteles in capitulo sequenti.) Nempe propositionem illam negatiuam esse mediatam idest demonstrabilem: cuius vel ambo extrema continentur sub generibus supremis vel saltem alterum. Vt hæc, homo non est albedo, & homo non est qualitas sint demonstrabiles: quando vero nullum extremum continetur: sed sunt ipsa suprema, censentur immediata. Et idem est quando differentia diuisiuæ. Sed superest perpendere in similibus demonstrationibus vtra præmissarum sit magis caussa conclusionis, affirmatiua, an negatiua? hominem esse substantiam: an nullam substantiam esse quantitatẽ? certe meo arbitratu negatiua. Si enim substantia est quantitas, quantumcunq; homo esset substantia, non ideo non esset quantitas. Sed quia nulla substantia potest quantitas esse: ideo conclusio infertur. Quamquam non est negandum, quin negatio reducatur ad affirmationẽ. Et sic videmus, quòd ressoluendo similes discursus ex negatiuis transimus in affirmatiuas.

Nam

Nam in exemplo præfato iam non resoluitur nisi ista, homo est substantia, quod per affirmatiuas perficitur.

¶ PRO SOLVTIONE ARGVMENTORUM *notato, quòd si affirmatio, & negatio vniuersaliter capiantur: non fundatur negatio in reali affirmatione. Vt bene aduertit d. Tho. inde malo. 2. Aliàs negatio vt non sedere, non verificaretur tam de eo quod est, quam de eo quod nõ est: nec esset vera hæc, chymera non sedet, quia nulla res positiua realis hic exprimitur. Ad hæc non esset etiam discrimen inter negationem, & priuationem. Hæc enim fundatur in affirmatione scilicet in subiecto apto (id appellamus nãq; in præsenti affirmationem, nẽpe aliquam rem positiuam.) Et tamen constat apud omnes eas differre quòd negatio nõ est coarctata, nec vllũ exigit subiectum. Præterea contradictoria haberent media, sicut habent absolute priuatiua scilicet id, quod illud subiectum non foret siue reale, siue rationis: quod tamen est impossibile. Vltimo tandem arguitur. Non probaretur sufficienter vera tunc propositio negatiua per non suppositionem vnius, vel amborum extremorũ: quin opus esset subiectum supponeret negationis: sicut hoc nomen cæcus. Igitur non fundatur in aliqua affirmatione reali: necessum tamen est, fundetur super affirmatione: saltem intellecta, vel imaginata, quando fit propositio, idest, necessario intelligitur: aut imaginatur aliquid de quo prædicatum negatur. Per se tamen sumpta vt in terminis contradictorijs homo non homo, nec id opus est: sed quod alter ponit, alter simpliciter aufert. At negatio idest propositio negatiua de rebus naturalibus ac deniq; exsistentibus fundatur super aliquam affirmationem realem. Habet enim subiectum reale, & deinde est aliqua ratio affirmatiua, vt plurimum, quare hæc negatiua remoueatur. Vt ignis non frigefacit: quia calefacit. Illa actio negatur propter istam: & me non esse Ethiopem in hoc, quòd sum albus. Ad primum ergo argumentum respondemus non esse alteram superiorem: intelligi debere etiam in affirmatiuis in eodem genere: quanto magis in negatiuis: quæ sunt naturaliter in communi posteriores. Ad reliquas obiectiones formaliter, & satis multa diximus.*

Caput nonum. De demonstratione propter quid & quia. Tex. 26.

EST AVtem demonstratio duplex affirmatiua sane, & negatiua: & vtraq; rursus, vel propter quid: vel quia. Affirmatiua est cuius conclusio affirmatiua: imo (quid idem est) cuius omnes propositiones affirmatiuæ sunt: negatiua vero, cuius conclusio negatiua est. Et ambæ possunt procedere ex primis, medioq; vacantibus, ex prioribus, & notioribus, caussis eiusdem. Sicut enim sunt affirmantes immediatæ: & sicut quid, cui immediate competit: ita sunt quædam negatiuæ, in quibus alicui aliquid primo ac immediate non conuenit. Quorum scilicet extremorum diuisionis seu disiunctionis non datur caussa: sed seipsis discohærẽt, & sunt huiusce quam plura. Vt quod rationale non sit rugibile, nulla est caussa.

Homo quidem non est rugibilis, quia est rationalis, seu quia non est leo: & leo non est rationalis, quia est rugibilis: sed quòd rationale non sit rugibile. Præter ipsamet extrema non est propter quid. Etiam est immediata quando ambo extrema sunt supre ma sub nullo genere scilicet contenta. At si vtrunq; species, vel alterum saltem contineatur, propositiones fiunt mediatæ.

Tex. 27. Demonstratio quia est, vel quando proceditur ab effectu, vel a caussa remota. Illud, vt cum quis planetas ostendit, esse prope, quoniam non scintillant. cum scintillare effectus sit ipsarum propinquitatis. Sed quoniam notius est nobis ipsas non scintilare, quã prope esse: ideo sæpe caussam cognoscimus per effectum: effectum autem ipsum colligimus sicuti principium, vel inductione, vel experientia. Idem fit quando luna cognoscitur rotunda, quia orbiculariter crescit: cum augeri ita lumine nõ sit ratio rotunditatis, sed effectus. Verum est non nunquam facile demõstratio QVIA cõuertitur in propter quid, & èconuerso. Si effectus videlicet maior extremitas, & subiectum demonstrationis sint adæquata. Vt rationale & risibile & homo. Bene enim ex rationali, demonstratur de homine risibile: & per risibile infertur quoq; rationale. Quando vero effectus est inferior, vt motus progressiuus, qui est effectus animalis: demõstratio QVIA procedit. Ex effectu scilicet causa cõcluditur. In demõstratione affirmatiua QVIA, ab inferiori ad suũ superius affirmatiue tenet. Vt omne quod mouetur progressiue, est animal, leo mouetur progressiue: ergo leo est animal. Propter quid vero non construetur. Haud enim quia leo est animal: leo ambulatiuus est. Vnde illa demõstratio QVIA: nõ conuertetur in propter quid. Demonstratio negatiua vero in talibus construitur èìcontrario, per negationem caussæ infertur effectus negatus, ab superiori ad inferius negatiuè: sed nihilominus, & talis demõstratio erit. Quoniam procedit à caussa remota negatiuè. Caussa enim maior effectu remota est effectus. Si vero effectus fuerit superior, per caussam monstrabitur aptè: vt viuere ostendetur probè de quopiam per animal: & erit propter quid. At negatiuè èìcontrario per negationem effectus superioris concludetur negatio caussæ, et erit QVIA.

¶ CONTINGIT etiã, QVIA, si licet procedatur ab caussa, est remota, siue affirmatiua, siue negatiua. Caussa remota est, quæ verè vtcũq; effectus caussa est, sed tanquam superior, quæ non habet omnem virtutem producendi similẽ effectum: sed aliqua maior virtus requiritur. Vt animal caussa respirandi est: sed non completè. Etenim nisi, & sit animal, & vltra habeat pulmonem, non respirabit. Sed vtrum si inferior caussa fuerit, propinqua est, & non remota? Certè non est remota. Quia cum inferior est, omnem virtutem habet in se caussæ adæquatæ: quæ est superior. Imo & maiorem aliquã etiam ad eundem effectum emittendum. Vt animal producit viuere, qui est effectus adæquatus viuentis: sed multo perfectior est vita in animalibus. Ideo similis caussa non dicetur remota. Et quidem remota est tam affirmatiua, quam negatiua. Nam negatio superioris caussæ inferet negationem effectus, & tunc negatio est caussa negationis, sed remota. Vt valet: non est animal: ergo non est respirans. Et quia per affirmationem cognoscimus negationem, & per habitum priuationem: sicut affirmatio fuerit caussa affirmationis: & negatio negationis, quantum ad gradum essendi caussam. Nam quoad æqualitatem non quotiescunq; ex caussa sequitur effectus, ex negatione caussæ inferretur negatio effectus (vt diximus.) Valet enim: si est animal, viuit: haud tamen si non animal, non viuit. Vnde patet quòd caussæ remotæ plures sunt gradus. Nam respirationis remotior est viuens, quã animal.

Textus. 28. Quæ quidem demonstrationes non indifferẽter, atq; æqualiter in omni

n omnibus formantur figuris: ſed prima eſt omnium, aptiſſima ad ſimpliciter demõſtrandum. Vnde Mathematicæ diſciplinæ Arithmetica, Geometria, Perſpectiua, demum omnes, quæ per cauſſam demonſtrant, hac vtuntur. Eſt enim magis idonea ad reddendam cauſſam concluſionis. Nam primo debet eſſe affirmatiua, & vniuerſalis. In ſecunda vero figura nulla concluſio eſt affirmatiua: quales tamen ſunt prope ſemper ſcibiles. Scientia enim vniuſcuiuſq; eſt ſimpliciter de eo, quod ipſum eſt: non de eo, quod nõ eſt: & rerum cauſſas ſcrutamur, non negationum. In tertia vero figura concluſio eſt particularis. Quare prima vbi omnes cuiuſcunq; quantitatis, & qualitatis tam in concluſione, quam in antecedente locantur, eſt aptiſſima. Maximè quòd cæteræ figuræ reducuntur ad primã, quaſi ad euidentiorem: quod demonſtrationi plurimum iuuat. Præſertim quòd cum eius propoſitiones per ſe reſſoluantur, in ea figura conſtruenda eſt, vbi non etiam quoad formam indigeat reſſolutione. Quamquam nihilominus ſecunda figura eſt accommodatior ad demonſtrationes negatiuas componendas.

¶ EXPOSITIO.



VIDDITATE atq; natura demonſtrationis etiam protracta expoſitione hactenꝰ diſſerta, tandem de eius diuiſione, pluralitateq; paucis Ariſtoteles perſtringit. In quo capitulo ſunt tres textus: & totidem partes principales. In quarum duabus prioribus, duæ diuiſiones demonſtrationis penes qualitatem, & materiam traduntur. In tertia docetur, in qua nam figura commodius demonſtrationes formantur. Quoad primum. Sicut in quinto libro ſummularum partiti ſumus ſyllogiſmũ quoad qualitatem, ita nunc demonſtrationem. Cuius qualitas cognoſcitur, ſicut & ſyllogiſmi penes concluſionem: vt pote à qua totus qualificatur. Præſertim quòd qualis eſt ipſa, eſt vel tota demonſtratio, ſyllogiſmusvè, aut ſaltem maior pars. Si affirmatiua, omnes præmiſſæ ſunt pariter affirmatiuæ: ſi negatiua, & altera. Vnde denominatio à concluſione eſt etiam à maiori parte. Sed quamquam id facile in ſyllogiſmo intelligatur, qui ex quibuſq; conſtruitur: haud ita planè de demonſtratione percipitur, ſane vt procedat ex negatiuis. Cum ex primis, atq; immediatis procedere debeat: quales non videntur negatiuæ. Primo quo pacto negatio quæ nihil eſt, cauſſa eſt? Maximè cum non procedatur ex cauſſis dumtaxat cognoſcendi, ſed eſſendi: quomodo tribuet eſſe quod non eſt. Ad hæc, nec immediata videtur: vt pote de ſe poſterior quàm affirmatiua. Philoſophus reſpondet, eſſe itidem inter negantes quaſdam immediatas, medioq; carentes, quaſdam demoſtrabiles. Si genus qualitatis generi componatur, prior eſt affirmatio negatione: ſed prioritas generis nihil impedit, quin in ſingulis ſint immediatæ. Aliàs ſolum in genere finali. Quippe prima omnium cauſſarũ, reperirentur immediata. Quæ omnia, & in textu ſplendent, & à nobis in quæſtione præcedenti ſufficienter expoſita ſunt. Tantum ſupereſt in præſenti de cauſſalitate negationis agamus: cũ de immediatione ſatis multa vtrobiq; tradiderimus At negatio eſt cauſſa eſſendi quidem negationis, non modo cognoſcendi. Nam ſi præmiſſa aliqua negatiua eſt, concluſio affirmatiua non eſt. Sed negationi non competit eſſe, ſed non eſſe. Eſſe namq; negationis eſt, non eſſe: ſicut eſſe nihil, eſt nihil eſſe. Vnde nihil virium ſecundum argumentum habet: in eo vim faciens, quòd eſſe dare negatio nõ poteſt: quaſi neceſſe ſit, ſi cauſſa eſt, tribuat eſſe. Et quidem negatio eſt cauſſa alterius, non modo in genere cauſſæ formalis, verum & cauſſæ efficientis, imo in omni genere. Ita enim negatio eſt cauſſa negationis, dum ex quo cauſſa poſitiua aufertur, tollitur effectus. Sicut dicere ſoliti ſumus, ablata cauſſa tollitur effectus. Ergo cũ quæuis cauſſa cuiuſcunq; generis auferri negatione poſſit, ſimilis negatio erit cauſſa negationis effectus in eodem genere, quo poſitiua ratio erat. Sed argues: ergo ex oppoſito antecedentis, licebit arguere ad oppoſitum conſequentis. Reſpõdetur, licere nonnunquã: non tamen quaſi is ſit locus arguendi, vel ſedes. Quoniam non ſemper ex cauſſis argumentamur. Maxime quòd nec ſemper, quòd ex cauſſis procedimus. Enimuero cauſſa eſt triplex, quædam adæquata, ex qua. ſ. omni, & ſoli, & ſemper effectus ſequitur: vt humanitas riſibilitatis. Dum tamen aduertatur, quòd ly ſoli non excludit ſub-

ordinatas, vel subsequentes, vel praecedentes. Haud enim desiuit esse caussa adaequata risibilitatis animal rationale, quòd eiusdem etiam sit admiratiuum, vel hoc, quia etiam illud. Ambo enim sunt in eadem coordinatione respectu eiusdem effectus. Alia est inadaequata, ex qua soli, sed non omni: vt motus progreßiuus, qui procedit à solo animali, sed non ab omni. Alia inadaequata inferior, ex qua omni videlicet, sed non soli effectus emanat, vt viuere, quod ab animali effluit, & pariter à planta. Primo modo, & affirmatio est caussa affirmationis, & negatio negationis: ab caussaq; ad effectum, & è conuerso est mutua consequentia affirmatiuè, & negatiuè. Sed cam caussa superior est, negatio est quidem caussa negationis: sed non affirmatio affirmationis. Ablata (inquā) caussa tollitur effect9, sicut ab superiori ad suum inferius negatiuè: sed posita tali caussa non ponitur effectus, quia est caussa remota. Econtrario quando est inferior, affirmatio infert affirmationem effectus, & posita is ponitur: sed ablata ea non aufertur. Quoniam ab inferiori ad suum superius negatiuè non valet. Aufertur quidem effectus ille: qui realiter ex simplici caussa promanat: quippe cum impoßibiliter absq; sua caussa persistet. At significatur in maiori vniuersalitate, qualiter ex sola illa caussa non procedit. Haud enim omne viuere emanat ab animali. Est tamen hic aduertendum: quòd negatio aßignatur caussa & phisicè, & moraliter. Phisicè tantum est caussa negationis, vt pote omnis virtutis, & esse expers, qua poßit entis quicquam efficere. At moraliter frequenter fit caussa etiam positionis. Vt cū nauis submersio tribuitur absentiae naucleri. Et filiorum scelera parentum socordia: & ouium dißipatio, somno pastorum. Sed est ambiguitas, verum ècontrario affirmatio non sit caussa nisi affirmationis, nō negationis. Pro parte affirmatiua, agit textus dicens, quòd homo non est leo, quia non est rugibilis: videmur nobis probe respondere, quia est rationalis. Dicendum primo: quòd multo maior ratio est, vt affirmatio ponatur caussa etiam negationis, quam negatio affirmationis. Siquidem caussa positiua non modo agit inducendo formam, verum et praeexistentē corrumpendo: & sic non tantum efficit, vt sit genitum: verum etiam ne iam sit corruptum. Imo generatio, & corruptio ponitur à philosophis idē motus. Negatio vero nihil agit, sed praesupponit potius, iam actum esse. Sed nihilominus positiua caussa sicut primo, & principaliter intendit, sui similitudinem inducere: & consequenter non esse sui contrarij: ita nulla affirmatio est caussa primaria negationis, sed affirmationis. Itaq; in genere caussa efficientis videtur poße cōcedi, affirmationem esse caussam negationis. Sed quia reuera sicut efficere est entis realis: ita & caussam habere: & effici est pariter entis. Quòd si negatio est nihil: agre intelligitur, quo pacto caussam habeat. Vnde vniuersaliter loquendo dicerem ego: quòd sicut relatio habet & subiectū, & fundamentū: ita & negatio habet caussam, & fundamentum. Et id quidem rationabiliter: quandoquidem incomparabiliter est minoris entitatis relatione (si minoris potest dici, quae nullius est) & quòd caussa negationis est negatio: fundamentum vero affirmatio. Cui ressolutioni patrocinatur S. Tho. dicens (vt vidimus) quòd negatio fundatur in affirmatione. Vnde formaliter loquendo tenet firmiter textus: quòd homo nō est leo, quia non est rugibilis: non quod sit rationalis. Et confirmatur, quia si affirmatio caussa est, vel propria, vel remota, sed neutra: ergo nulla. Minor patet de propria: et de remota prob. Quia non est superior. Negatio vero scilicet non est rugibilis, est caussa adaequata, & vniuersalis: per quam de quocunq; subiecto concludetur altera negatio. Similis huic est sententia S. Tho. 1 2. q. 75 arti. primo. Negationi (inquit) alicui duplex caussa aßignari potest. Prima, ipsius caussa negatio est caussa negationis secundum seipsam. Ad remotionem enim caussa sequitur remotio effectus sicut obscuritatis caussa est absentia solis. Alio modo caussa affirmationis, ad quā sequitur negatio, est per accidens caussa negationis consequentis. Vnde constat, quòd ex eius sententia affirmatio non est caussa negationis. Nam esse per accidens caussam, & nos confitemur, & est non esse caussam. Sed est aduertendum, quòd siue fundamentum affirmatio ponatur, siue caussa, non ponitur absolutè, ac vniuersaliter illius negationis, sed respectu dumtaxat talis subiecti scilicet hominis, vt pote cui fundamentū est rationale, vt non sit rugibile, vel leo. Quae quidem negatio in alijs subiectis fundabitur similiter in alijs affirmationibus: ratio vero positiua nulla vniuersalis illius negationis aßignabitur. Hactenus

de demonstra

de demonstratione affirmatiua, vel negatiua.

IN TEXTV introducitur secunda demonstrationis distinctio in propter quid, & QVIA. Hæc vero (nam de priori hactenus fecimus) est qua cognoscitur tantum, subiectum cõclusionis esse prædicatum, nẽpe hoc esse illud. Cũ in demonstratione propter quid non modo conclusionem esse, sed caussa ratioq; essẽdi detegatur. Vnde illa dictio QVIA, non caussaliter sed coniunctionaliter in præsentiarum accipitur. Exemplum appositum vnum, & alterum adducitur in textu. Primum de planetis. Sydera orbium inferiorũ octauo erraticæ nominatæ, quòd non semper eãdem distantiam inter se propter suorum orbium inferiorum motum differentem custodiant. Quæ quia propinquiores sunt, non scintillant: & non scintillare est, vt fixo, & quieto obtutu cernãtur. Stellæ vero fundamenti, vt adeo semotæ ac distãtes vidẽtur nobis titubare, & scintillas quasdã emittere. Cum nec vacillent in se vllatenus, nec micent: sed fixistimæ exsistãt. Sed quoniã specierum in modũ Pyramidis prouenientium pineus angulus, vel Conus adeo debilis, atq; gracilis iã ad oculos vsq; peruenit, vt, vix oculis hæreat, nec quiete assidat. Cum per ipsas species videamus, quod species faciunt, quas non videmus, vidẽtur nobis stellæ facere, quas illæ repræsentãt, & inquas ferimur. Itaq; ratio scintillationis est distãtia obiecti: non scintillationis vero eius vicinitas atq; propinquitas. Concludere ergo, prope nos stellas esse, quia non scintillant: est per effectum caussam monstrare. Sed argues. Cum omnis demõstratio procedat ex notioribus; & caussa sit notior effectu, quo pacto ab effectu proceditur. Secundo quoq; rogabis, quo nam modo tunc antecedẽs cognoscatur, cũ omnis effectus cognoscatur per suã caussã. Sed primo respondetur, notius esse duplex scilicet nobis, & natura. Haud enim eadẽ sunt notiora nobis, & natura. Effectus vero, vt plurimũ notior est nobis sua caussa: vt pote manifestior. Causæ nãq; plerũq; latitant, & sunt occultæ. Secũdæ interrogationi dicito: quòd cũ cognoscere bifariã contingat à priori & à posteriori, ipse effectus cognoscitur à posteriori per experientiam quoad esse. Vt primum experientia cõpertum fuit, hanc herbam choleram sedare, deinde indagata est caussa. Itidem inductione constitit, quòd res multum distãs imperfectè, cominus posita optimè cernatur: & quòd nimis remota dum conspicitur, titubat, atq; titillat: propinqua vero pacato percipitur. Iste fuit modus disciplinarum inuentionis: dum visorum effectuum admiratione homines perciti: caussas indagare cœperunt. Et quia caussa remota revera non est totalis caussa, cum per eam conclusio infertur, iure itidem censetur QVIA: vt pote cum adhuc propter quid conclusionis lateat: propemodum solum quòd sit cõclusio noscitur. Sed quando ab effectu simpliciter est, QVIA: quando vero ab caussa remota, non æquè. Tantũ enim de propter quid participare videtur, quantum caussa remota caussæ rationem habet. Caussa remota vero non distinguitur hic contra adæquatã (vt nomen præsefert) sed cõtra propriam. Aliàs caussa inferior effectu esset remota: vt pote non adæquata: & tamẽ animal non est certe remota caussa vitæ. Est autem remota, quæ requiritur quidem, & in propria clauditur. Sed nõ sufficit: cui proinde ab illa quicquam adijcitur. Vt animal est remota respirandi, sed adiectus pulmo completur. Et quidẽ caussa remota est in singulis generibus de quibus forsan regula communis statui potest: quòd omnis caussa effectus, sed eo superior, est ipsius remota præter caussam primam. Quæ etsi mediantibus secundis operetur, completissima in suo genere caussa est, cuius virtute omnes caussæ operantur, & in quibus cunctis ipse semper benedictus appellatur. Non dixi omnis caussa vniuersalis, quia sæpe tales sunt propriæ effectus, etiam vniuersalis. Quocirca caussa media vniuersalis, quæ ab particulari applicatur, remota est effectus. Cætera in textu adeo plana sunt, vt nulla penitus indigeant expositione. Et quia ea tantum à principio commẽtarijs hic exponere statuimus, quæ in scholis verbo tenus doctores communiter explicant, huc vsq; peruenisse sufficiat: nec enim illi gradiuntur vlterius.

FINIS.

EXPLICIVNT COMMENTARII REuerendi patris Thomæ de Mercado sacræ theologiæ professoris in posterioribus ac demum in totam logicam.

Mercado, in Logic. m